De elemosina et oratio
multabona quere in
sexta feria cinerum

I casl

E. n. 71

n° 6

Est 28
N- 17

Quadrage Verrati

HOMELIÆ,
SIVE COMMENTARIA,
IN OMNIA, QVÆ AB ADVENTV DOMINI VSQ. AD DOMINICAM RESVRRECTIONIS, LEGI SOLENT EVANGELIA.

IN quibus non modo vera illa, ac peruetusta docendi ratio, & methodus, ex Sanctorum Patrum fontibus exhausta cognosci potest, verum etiam nostrorum temporum errores constantissime reijciuntur.

Auctore R. Io. MARIA *Verrato Ferrariensi. Carmelita.*

Nunc tertio in concionatorum gratiam, quibus summoperæ vtiles sunt, ab innumeris quibus scatebant erroribus expurgatæ, suoq; nitori itegritatiq; summo studio restitutæ.

OMNIA



VIRTVTI PARENT.

Venetijs, Apud hæredes Ioannis Mariæ Bonelli. M. D. LXXI.

REVERENDISSIMO
[illegible] NICOLAO
AVDETO TOTIVS
Religionis Fratrum Carmelitarum, Priori Generali:
IOANN. MARIA VERRATVS Ferrariensis Carmelita perpetuam felicitatem.

QVONIAM inferendam Ecclesiae Catholicae calamitatem, & infinita Christianae religionis pericula, Reuerẽdissime Pater, cum doctorum fidelium corda cognoscunt; idcirco aduersus recentiores haereticos (diuina iuuante gratia) scribere non desisto. Nam circa ea dogmata nostra quartam in lucem venerunt, nuperrime haec duo opuscula super Euangelijs totius anni, multis vigilijs, & sudoribus edidi, quae tuae Paternitati, cum omni qua decet reuerentia, atque honore, dicata esse volui. Nec id quidem indecenter. Opus enim in his opusculis nostris aduersus Euangelistes elaboratis, talem protectorem habere, qui sapientia, iustitia, praestantissimisque moribus in haereticos detractores omnimodam protectionem praestare non [illegible]

Venetiis. [illegible]

M. D. [illegible]

REVERENDISSIMO PATRI NICOLAO AVDET, TOTIVS Religionis Fratrum Carmelitarum, Priori Generali:

F. IOANN. MARIA VERRATVS Ferrarienſis Carmelita perpetuam felicitatem.

QVONIAM miſerandam Eccleſiæ Catholicæ calamitatem, & infinita Chriſtianæ religionis pericula, Reuerẽdisſime Pater, cunctorum fidelium corda cognoſcunt, idcirco aduerſus recentiores hæreticos (diuina ſpirante gratia) ſcribere non deſiſto. Nam citra ea dogmata noſtra quæ tam in lucem venerunt, nuperrime hæc duo opuſcula ſuper Euangelijs totius anni, multis vigilijs, & ſudoribus edidi, quæ tuæ Paternitati, cum omni qua decet reuerentia, atque honore, dicata eſſe volui. Nec id quidem indecenter. Opto enim in his opuſculis noſtris aduerſus Eccleſiæ hoſtes elaboratis, talem protectorem habere, qui ſapientia, iuſtitia, præſtantisſimisque moribus in hæreticos detractores omnimodam protectionem præſtare non dedignetur. Si

Multorum certe hæreticorum malignitate ab Apoſtolicis temporibus nunc vſq; eccleſiam vexatum ſcimus,ſed nunquam tales hoſtes eccleſia perpeſſa eſt,quales nunc ſuſtinet,qui certatim inter ſe contendunt quis eorum grauiſſime noceat Eccleſiæ.Qui vero plus nocuerit, illuſtrior apud eos habetur. Ego autem contra horum hæreticorum dogmata, religioſiſſime Pater, hæc duo Euangelica volumina pro fide Catholica à me elucubrata,ac nomini tuo dicata,qualia,& quanta ſint,in perpetuam nominis tui memoriam,vt læto animo ſuſcipias, humiliter oro, atque obſecro. Vale ætatis noſtræ decus.

Idem F. Ioan. Maria Verratus
Ferrarienſis Carmelita.

INDEX TOTIVS OPERIS.

INDEX.

Colla

Draco

Fides

Locutio

Modus

Patrum

Spiritus

Sacri

FINIS.

DOMINICA ANTE PRIMAM DOMINICAM ADVENTVS DOMINI:

De Antichristi aduentu, & ipsius signis super Euangelijs, Matthæi, Marci, & Lucæ.

ET egressus IESVS *de templo ibat. Et accesserunt Discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis. Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Matth. 24. In tribus primis capitibus Christum fuisse regem nostrum, habuisseq. vniuersale dominium, Matthæus euangelista pulcherrime fatetur. In sequentibus autem vsque ad initium vigesimiquarti, ipsum fuisse optimum legislatorem insinuare videtur. At in sequenti capite ostendit Christum esse iudicem vniuersalem, cum dicit. Et egressus Iesus de templo ibat. Egressio, significat recessum à Iudæis, additur vero ibat, vt significet accessum ad gentes. Et accedentes ad eum Discipuli eius, quia dixerat domum, siue ciuitatem Iudæorum deserendam, ideo accedunt discipuli admirantes, si templum tantæ pulchritudinis, & fortitudinis destrueretur. Quare ostenderunt ei ædificationes templi non ignotas, sed tanquam admirandas, vt propter nobilitatem, & magnificentiam ædificiorumque ad diuinum cultum facta erant, flecteretur ad misericordiam, & mitigaret pœnam comminatam. Videbatur etiam eis quòd nec rapi, neque euerti, vel dirimi posset. Non respiciebant ad templi sanctitatem, sed ad ædificiorum preciositatem, & fortitudinem, quemadmodum nonnulli hodie plus ad cultum ecclesiæ cor-

Bernar. poralem, quàm spiritualem attendunt, iuxta illud Bernardi. Gemmis altaria fulgent, & ministrorum Dei nulla electio est. Olim (inquit Augustinus) erant parietes Ecclesiæ uiles, & viri preciosi, modo, & conuerso. Sed heu quia his temporibus, viles sunt Ecclesiæ, nam diruuntur, expoliantur, & non reparantur. Et viliores sunt ministri, & pro maiori parte, infames, concubinarij, vel hæretici.

August. De ornatu templi.

Et si quispiam dicat, scribitur in euangelio Marci, quòd vnus ex discipulis ait illi. Magister, aspice quales lapides. Hic autem pluraliter dicitur. Et accesserũt discipuli. Responderi potest, quòd discipuli accesserunt, sed vnus ex omnibus loquebatur, vel singularem numerum, pro plurali posuit, propter vnitatem vocis omnium ad quærendum. Ipse autem respondens ait illis. Videtis hæc omnia, quæ tam firma, tam sumptuosa videntur? Amen dico vobis, id est veraciter testificor, nõ relinquetur hic, id est in hoc loco, lapis super lapidem qui non destruatur. Quemadmodum factum est à Romanis, anno xiij. post Passionem Domini, sicut Balaam vaticinatus fuerat, dicens. Venient in trieribus de Italia, & superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, &c. Causam cuius assignat venerabilis Beda dicens. Diuinitus procuratum est & prouisum, vt patefacta Euangelica gratia, per orbem: templum ipsum cum suis cerimonijs tolleretur, ne quis adhuc paruulus & infirmus in fide, si viderit illa permanere quæ à Deo sunt instituta, à sinceritate fidei ad Iudaismum laberetur. Auferetur ergo vmbra, & palmam tenet veritas per orbem declarata. Omnis enim compositio mandatorum, sic est destructa, vt Iudæi nihil impleant, & capite sublato, membra inter se pugnent.

Mar. 13.

Num. 24.

Beda.

Dicit insuper Chrysostomus. Illa Hierusalem figuralis typum gerit Hierusalem spiritualis, idest Ecclesię. Nam nisi templum istud destructum fuisset, obseruantia legis non facile fuisset compescenda. Ideo autem destructum est, vt si velint Iudæi postmodum seruare legem non possit, aut de pascha, vel de sacrificijs

Causam destructionis templi assignant Beda & Chrys.

cijs

cijs,aut de ceteris festiuitatibus. Ceciderunt corporalia & figuralia,vt surgerent spiritualia & vera misteria. *Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes. Dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus,& consumationis seculi? Et respondens Iesus,dixit eis.* Super montem Olueti vnde templum & ciuitas manifestissime aspiciuntur, accesserunt ad Iesum discipuli, scilicet, Petrus, Iacobus, Ioannes: & Andreas (vt Marcus testatur) secreto tanquam familiares,tum quia rem magnam sciscitaturi erant,tum quia nouerant magistrum suum tam alta secreta non omnibus reuelare, dicentes. Dic nobis, (quibus datum est noscè misterium regni Dei)quando hæc erunt: id est, quo tempore verba tua de templi destructione implebuntur, & quod signum aduentus tui ad finale iudicium,& consumationis seculi. Duo enim quæsierunt discipuli Christi. Primo, tempus destructionis ciuitatis & templi. Secundo, signum secundi ipsius aduentus ad iudicium, & consumationis seculi. Christus autem inchoat respondendo ad secundum quæsitum, dicens. *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent. Audituri enim estis prœlia, & opiniones prœliorum,videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentiæ, & fames,& terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pseudo prophetæ surgent, & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Ad secundam interrogationem, scilicet de signo aduentus eius ad iudicium,respondens Dominus ait. Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, id est, nomen meum sibi ascribendo, non tamen venient in

Marc.13.

Duo quæsita discipulorum Christi

nomine meo, sicut ego veni in nomine patris mei. Et quemadmodum veri Christi fideles operantur, & veniunt in nomine meo, dicentes singuli, Ego sum Christus. Veritas euangelij est apud me. Tales enim venerūt in Iudæa ante destructionem templi, quorum vnus fuit Simon magus, de quo dixerunt Samaritani. Hic est virtus Dei, quæ dicitur magna, vt in Actis scribitur Apostolorum. Qui Simon (vt refert Hieronymus) reliquit in suis codicibus scriptum. Ego sum sermo Dei, ego speciosius præ filijs hominum, ego sum paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei. Fuit quoque alius (vt recitat Iosephus) nomine Simon Essæus asserens se esse Christum, & spondens se liberaturum Iudæos à tributo Romanorum. Et alij quamplurimi. Tales etiam ante finem mundi venturi creduntur, & seducent multos, quemadmodum his temporibus Hæretici Lutherani, suis falsis dogmatibus. Deinde ponit Saluator quædam signa in particulari, quorum nonnulla remotiora, & plurimo tempore duratura ante consumationem, vt prœlia, & rumores prœliorum, quę fieri oportet ingruente mundi malitia. Surrectura item est gens in gentem, & regnum aduersus regnum, & erunt pestilentiæ, fames, & terræmotus per varia loca, quæ diuina sunt flagella. Quæ quidem etiam ab initio recenti adhuc ecclesia emergere cœperunt. Et cum ait, tunc tradent vos in tribulationem, persecutiones primitiuæ ecclesiæ tangit. Cum vero subdit, & multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, innuit Hæreticos, & præcipue Lutheranos, qui ferè omnes hęreses ante se ortas, & ab ecclesia damnatas, amplexi sunt. Quos, pseudoprophetas vocat, vt quos spiritus malignus mortifero halitu afflat, ita Spiritus sanctus viuifico afflatu veros prophetas. Sed hi salui facti sunt in illis, persecutionibus qui ad finem vsque in vera fide, & doctrina perseuerauerunt. Et quemadmodum in primitiua ecclesia prœlia fuerunt, & rumores prœliorum, pestilentiæ quoque, fames, & terræmotus, pseudoque prophetæ, & hæreses, sic & in sequentibus

Act. 8. Simon magus primus hæreticus. Hieron. Iosephus.

De magnis tribulationibus Ecclesiæ.

quentibus eccleſiæ ſtatibus, vſque in finem, atrociores erunt.

Inde ſubiungit: Et eritis odio omnibus hominibus, non propter veſtram malitiam, ſed propter nomen meum, quia diſcipuli mei eſtis, meamque fidem, & doctrinam tenetis, ac veritatem prædicatis, Sed veritas *Ioan. 15*
odium parit. Dixerat enim eis Dominus in nocte Paſſionis. Si de mundo eſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus. Et nota, quòd ad quoſcunque fideles loquitur Chriſtus ſub Apoſtolorum nomine, de quibus alibi ait: Beati eri- *Matth. 5*
tis cum oderint vos homines, & cum vos perſecuti fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me. Et tunc ſcandalizabuntur multi. Nam in primitiua eccleſia propter perſecutionis acerbitatem multi ceciderunt à fide. At multo copioſius *1. Thim. 4*
fiet tempore Antichriſti, iuxta illud Apoſtoli. Spiritus manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent, quidam à fide & inuicem tradent, hoc eſt proximus proximum, propinquus propinquum, tradet in mortem. Vnde & in Luca clarius ſcribitur. Trade- *Luc. 21*
mini à parentibus, & fratribus, cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis. Marcus inſuper. Tradet *Mar. 13*
frater fratrem in mortem, & pater filium, & conſurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Nam inter fideles, & infideles continua maleuolentia extat, quemadmodum noſtri lutherani odiunt quoſcunque fideles, etiam proprios fratres, ſi catholici reperiuntur. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, videlicet, hæreſiarchæ de quibus Ioannes in Epiſtola canonica. Nunc Antichriſti multi facti ſunt, & ex nobis *1. Ioan. 2.*
prodierunt, ſed non erant ex nobis. Apoſtolus quoque ait. Ego ſcio quia poſt diſceſſum meum intra- *Act. 20.*
bunt in vos lupi graues non parcentes gregi. Legitur etiam ex illis octo millibus Iudæorum in Hieruſalem primo conuerſis ad Petri prædicationem multos hæreticos ſurrexiſſe, quorum primus fuit Nico-

laus Antiocenus vnus de septem diaconibus asserens mulieres debere esse communes, sicut & cetera bona, de cuius sequacibus loquitur Dominus in Apocalypsi. Hi omnes seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas persecutorum seducentium, & seductorum, refrigescet spirituali feruore charitas multorum. Abundantia enim peccati, mors est charitatis, quoniam vnum contrarium adimit aliud, Hæc omnia circa seculi finem copiosius accident, dicente Apostolo Petro. Venient in nouissimis diebus illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes,& dicentes. Vbi est promissio, aut aduentus eius. Qui autem perseuerauerit in fide, & bonis operibus vsque in finem vitæ suæ, hic saluus erit. Sola enim perseuerantia coronatur. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consumatio.* Signum quod est vicinius consumationi seculi, inditium est cum Euangelium in vniuerso orbe fuerit prædicatum, & venerint ex omni gente quæ sub cœlo est ad lucis Euangelicæ confessionem, & Israël intrauerit dicente Apostolo. Cecitas ex parte contingit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret. Quod, & dominus in Luca insinuare videtur, cum de Iudæis ait. Captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus,donec impleantur tempora nationum. Cum ergo viderimus omnem gentem Euangelium recipere, & Iudæos ex errore resipiscentes Christum agnoscere, Christum nobiscum venerari, & adorare, tunc propinqua erit consumatio,& vicinum tempus, vt saluandorum impleatur numerus. Qui donec impletus fuerit,nulla erit consumatio seculi.

Apoc. 2. — *1. Petri 2.* — *Rom. 11.* — *Luc. 21.*

Deinde reddit Dominus ad primum quæsitum, & ad enucleandum quod primo loco petierant Apostoli, scilicet de tempore destructionis ciuitatis, & templi dicens. *Cum ergo videritis abhominationem desolationisq; dicta est à Daniele propheta stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Tunc, qui in Iudæa sunt fugiant ad montes,*

& qui

& qui in tecto non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato. Daniel propheta capite nono misteria de Christo, & quæ post mortem eius ventura sunt hoc modo enunciat. Septuaginta hebdomades abbreuiate sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum, Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomaba vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium. Et erit in templo abhominatio desolationis, & vsque ad consumationem, & finem perseuerabit desolatio. Per abhominationem hoc loco intelligitur Titus qui colebat idola, & proinde erat abhominatio, & abhominatio desolationis, siue desolationum, quia desolationes sanctæ ciuitatis, & sancti templi per ipsum factæ sunt. Quasi velit dicere Dominus. Cum videritis abhominationem desolationis, idest, Titum Romanum filium Vespasiani qui desolabit ciuitatem sanctam, & templum sanctum. gentemque Iudæorum destruet, perdet, & dissipabit, tunc quando appropinquabit ciuitati Hierosolymitanæ hæc abhominatio exercitus circa ciuitatem sanctam, qui in Iudæa sunt in sorte tribus Iudæ fugiant ad montes vt abscondantur, vel ad montes Dei qui erant Apostoli Domini nostri Iesu Christi, Ipse vero mons magnus totam terram

Dan. 5.

Quomodo Titus fuit abhominatio desolationis.

Dan. 2. (iuxta Danielis sententiam) impleturus, à quo & ipsi montes sunt dicti. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua. Non dicit, non descendat, sed non descendat ad tollendum res suas domesticas, sed ad fugiendum dimissis omnibus. Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam, vel vestimenta, seu pallia sua. Væ autem prægnantibus non valentibus fugere propter onus ventris, & nutrientibus, seu lactantibus, quæ nequeunt dimittere infantulos suos, & expedite fugere. Mulieres enim prægnantes,& nutrientes infantulos propter pondus & sarcinam, curamque infantium expedite fugere non valent. Ideo persecutionis tempore imminet eis periculum, etiam quoniam abhortiuum sæpe incurrunt solo timore imminentium aduersitatum: Propterea enim tam prægnantibus, quàm lactantibus dixit, væ, Orate Deum ne fiat fuga vestra, hoc est ne fugere vos oporteat hyeme, vel sabbato, id est quocunque tempore inconuenienti. Si quidem per hyemem qua malum est ambulare propter duriciem frigoris, & intemperiem aëris. Et per sabbatum, quo secundum legem non licuit ambulare nisi per mille passus, designatur omne tempus improportionatum,& ad fugam ineptum.

Sensus spiritualis euangelijs. Spiritualiter autem & mistice hanc partem euangelij exponendo, cum viderimus abhominationes desolationis, hoc est hæreses, & flagitia regnare inter eos, qui cœlestibus misterijs videbantur esse consecrati (vt *Beda.* inquit Beda) cum operantes iniquitatem loquentes mendacium viros sanguinum, & dolosos quos abhominabitur dominus, pacem fidelium turbare perpenderimus,tunc quicunque in Iudæa, hoc est in confessione veræ fidei persistimus,non terrenis,infimisque actibus mancipari, sed tanto altius virtutum culmen debemus ascendere, quanto plures ampla, & errabunda vitiorum sequi itinera videbimus. Et qui in tecto sunt, id est in eminenti perfectione, non descendant tollere aliquid de domo sua, per cupiditatem rerum secularium, propter quas sæpe etiam perfecti deijciuntur

à cul-

à culmine perfectionis tempore perſecutionis. Et qui in agro ſunt laborantes pro fructu bonorum operum non reuertantur tollere tunicam ſuam, id eſt non redeant ad occupationem ſeculi peccatum ſe implicantes quæ per tunicam intelliguntur. Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus prægnantes enim ſunt quæ fœtum mali propoſiti conceperunt, & nutrientes quæ partum mali operis foueunt, & nutriunt. Vel prægnantes (teſte Auguſtino) ſunt auari, qui aliena concupiſcunt,& ſpem habent adipiſcendi,ſicut mulier prægnans in ſpe eſt prolem habendi. Nutrientes vero ſunt, qui ea quæ concupierunt poſſident, & poſſeſſa nutrire ſtudent, ea detinendo, & augendo. Et ſic animę cupide temporalium, prægnantes ſunt in acquirendo, & nutrientes in poſſidendo. Orate autem ne fiat fuga veſtra hyeme,vel ſabbato. In quibus deſignatur duplex defectus,ſcilicet,Charitatis in hyeme,& bonæ operationis in ſabbato. In hyeme eſt frigus amoris, in ſabbato ceſſatio virturum. Oremus igitur ne tunc incipiamus peccata noſtra fugere, & pœnitentiam agere, quando iam non licet ambulare, ſcilicet, tempore mortis.

Quæ ſunt ſpiritualiter, prægnãtes, & nutrientes.

Auguſt.

His dictis iterum reuertitur Dominus reſpondendo ad ſecundam interrogationem,ſcilicet,de ſigno aduentus eius ad iudicium,& conſumationis ſeculi,dicẽs. *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vſque modo,neque fiet.Et niſi breuiati fuiſſent dies illi,non fieret ſalua omnis caro,ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Tunc *ſiquis nobis dixerit,* Ecce, *hic eſt* Chriſtus, *aut illic,nolite credere. Surgent enim pſeudochriſti,& pſeudoprophetæ: & dabunt ſigna magna,& prodigia, ita vt in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiam electi.* Ecce *prædixi vobis.Si ergo dixerint vobis,*Ecce,*in deſerto eſt, nolite exire,* Ecce,*in penetralibus,nolite credere.* Siquidem particula hæc pars eſt reſponſionis ad ſecundum quæſitum,quando, ſcilicet diſcipuli, quæſierunt à Chriſto, dicentes; quod eſt ſignum aduentus tui,& conſumationis ſeculi. Et ita per modum interpoſitionis intelligendus eſt Matthæus

Matthæus interponens signa destructionis templi, & ciuitatis inter ea quæ sunt aduentus Christi ad iudicium, & consumationis seculi. Dicit ergo. Erit.n.tunc, hoc est tempore Antichristi instante consumatione seculi tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo nec fiet vsque ad tempus illud. Antichristi enim

Dan. 11. persecutio adeo grauissima erit vt dicat Daniel Veniet tempus quale non fuit ex eo ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud de quo vaticinatus est

Sophon. 1. Sophonias dicens, Dies illa dies iræ, calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris. Et nisi breuiati fuissent dies illi, scilicet tribulationis Antichristi qui in æterna, & diuina præordinatione breuiati iam fuerant, & tunc realiter breuiabuntur, non mensura, sed numero non fieret salua omnis caro, hoc est nemo saluaretur eorum qui tunc erunt, considerando eos quo ad propriam infirmitatem, naturam & conditionem.

Non enim genus humanum tam acerrimam persecutionem diu sufferre posset. Veruntamen quantuncunque diu duraret, diuina prædestinatio non posset frustrari, nec electi perire, quoniam virtus diuina conseruans electos omni aduersa potestate potentior est.

Sed propter electos breuiabuntur dies illi ne supra id, quod possunt tenentur. Et sicut de persecutione acerbitate torquentur, sic de ipsius breuitate, consolationem recipient. Quemadmodum enim crudelissima, sic & breuissima erit persecutio illa quæ durabit annis tribus cum dimidio, quantum prædicatur Christus. Id enim persecutionis Antichristi tempus describitur in scripturis per annos, menses, & dies. per annos quidem, dicente Daniele. Aspiciebam, & ecce cornu illud, videlicet, Antichristus faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Per tempus enim Hebræi intelligunt annum. Per menses vero, dicente Ioanne in Apocalypsi. Et ciuitatem sanctam, id est, ecclesiam calcabunt, scilicet

Quantum persecutio Antichristi sit duratura.

Dan. 7.

Apoc. 11.

Antichri

Antichristus, & pseudoprophetæ mensibus quadraginta duobus, id est tribus annis cum dimidio. Et infra. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt, id est prædicabunt diebus mille ducentis sexaginta, qui quidem dies, idem tempus afficiunt. Amictis saccis, vt homines ad pœnitentiam inducant. Hi sunt duæ oliuæ. s. pleni misericordia, & duo candelabram per veram doctrinam lucentia in conspectu Dei. Hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat, & potestatem super aquas conuertendi in sanguinem, & percutere terram omni plaga, Enoch, videlicet, & Helias. Tunc siquis vobis dixerit, Ecce, hic est Christus, id est, in hac plebe, vrbe, seu loco, aut Ecce illic, hoc est, in illo loco, vel populo, nolite credere seductoribus ita narrantibus.

Persecutio Antichristi, qũo describitur p annos, menses, & dies.

Verus enim Christus secundum diuinam naturam vbique est, secundum vero assumptam humanitatem in cœlo, Est quoque in medio electorum per fidem, & gratiam. In ecclesia quoque sua per sacramentalem existentiam. Si ergo quispiam dixerit, Ecce hic est Christus, & non alibi, vel in plebe, Euangelio contradicente, non est credendum. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, hoc est ipse Antichristus cum prædicatoribus, & vatibus suis, qui per participationem malitiæ principi sui pseudochristo, & Antichristi merito dicuntur. Et dabunt, hoc est facient arte magica, diabolicaque operatione signa magna, & prodigia.

Facient enim multa miracula etiam vera, quæ ab Apostolo appellantur mendacia, quoniam ad fallendum ordinabuntur, Ipse enim de Antichristo, sic ait. Reuelabitur homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Et paulo post subdit. Et nunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, cum cuius est aduentus secundum operationem Sathane in omni virtute, & signis, & prodigijs, mendacibus, & in omni

De Antichristo loquitur. Paulus 2. Thessal. 2.

Apoc. 13 omni seductione iniquitatis, &c. Ioannes quoque in Apocalypsi. Et fecit signa magna, ita vt etiam ignem faceret de cœlo descendere in conspectu hominum, & seducet habitantes in terra, propter signa, quæ sunt data illi facere in conspectu bestiæ.

Et si quispiam dicat, quomodo igitur verum est illud psalmographi, Benedictus dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus? Dicendum est psalmistam loqui de mirabilibus totam facultatem, legem, & ordinem naturæ creatæ excedentibus, de quibus dixit Saluator. *Ioan. 15* Si opera in eis non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Talia vero non faciet Antichristus, sed ea quæ per occulta rerum semina, insitasque virtutes fieri valent. Ita ut in errorem peccati, & ignorantiæ inducantur si fieri potest etiam electi. *Quomodo electi non ducuntur in errorem* Et signanter dicit si fieri potest. Nam illa conditionalis est vera, tam antecedente, quàm consequente existente impossibili. Vt si lignum loquitur, habet os. Et quia fieri minime potest vt electi ducantur in errorem, ideo verissime dicitur si fieri posset ducerentur in errorem electi, qui finaliter errare non possunt, dicente Ioanne. *Ioan. 3.* Qui natus est ex Deo non peccat, quoniam semen Dei manet in eo. Ecce prædixi vobis, scilicet mala futura, vt iacula præuisa minus noceant, frustraque iaciatur rethe ante oculos pennatorum. Deinde subiungit. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est Christus, scilicet tanquam homo religiosus in loco deserto, quasi sub specie sanctitatis vos decipere volentes, nolite exire à vestro loco, & proposito ad videndum eum, vel ad sequendum per operis imitationem. Et si dixerint, Ecce in penetralibus, & in locis occultis est sub specie cognitionis diuinorum archanorum malitiam eius palliantes, & vos decipere volentes, nolite credere. *Hieron.* Vel secundum Hieronymum, Si quis promiserit vobis quòd in deserto Gentilium, & Pharisæorum dogmate Christus moretur, aut in hæreticorum penetralibus, & occultis, seu obscuris conuenticulis quæ Dei pollicentur archana, nolite credere.

Christus

Christus enim de cœlo veniens, manifeste omnibus vbique apparebit. Quia licet aduentus Christi in carnem fuerit occultus, aduentus tamẽ ipsius ad iudicium ita erit adeo manifestus, quòd non poterit aliquem latere tanquam incognitus, dicente Augustino. Occultum oportebat eum venire, vt iudicaretur, manifestus autem veniet vt iudicet.

Aduentus Christi ad iudicium manifestus.
August.

De Antichristo insuper loquitur Ioannes in Apocalypsi, vbi sententialiter dicitur, quòd vidit bestiam ascendentem de mari aduersus homines pugnantem, & habentem cornua decem, & capita septem, & super cornua, decem diademata, & super capita eius nomina blasphemiæ. Erat quippe similis pardo, cuius pedes ad instar vrsi, os quoque sicut os leonis. Habebatque potestatem draconis, quam adorauerunt homines dicentes. Quis similis bestiæ? Deinde vidit aliam bestiam ascendentem de terra habentem cornua duo, similia cornibus agni, & ad instar draconis loquebatur, habebatque potestatem prioris bestiæ, vt signa magna faceret in conspectu hominum, & seduceret habitantes in terra propter signa quæ faciebat. Cogebatque omnes adorare imaginem bestiæ primæ, vt qui ipsam non adoraret interficeretur. Siquidem per primam bestiam intelligitur diabolus, qui ideo dicitur bestia, quia crudeliter operatur, suosque cultores irrationales homines efficit. Hæc enim de mari huius mundi ascendere dicitur ad pugnandum contra homines, Deo sic permittente, vt tentandi homines habeat facultatem. Dicitur insuper septem habere capita, in quibus sunt nomina blasphemiæ, propter septem vitia capitalia de quibus homines tentabunt, & in quibus operando Deum blasphemant. Dicitur etiam decem habere cornua, propter transgressionem decem præceptorum, in quibus aliquam delectationem ostendit ad instar diadematis caput ornantis. Vel per decem cornua omnes Reges ei tunc temporis subiecti intelliguntur. Dicitur similis pardo ob diuersitatem colorum, modorumq. seducentium. Fertur proinde habere pedes vrsi propter ipsius immundi-

Apoc. 13.

Prophetia Ioannis pulchra intelligentia.

immunditiam. Dicitur autem habere os leonis ob nimiam superbiam,& arrogantiam, Dicitur quoque potestatem, Draconis habere, quia quemadmodum Draco est animal venenosum, & subdolum, sic Diabolus callide hoiem decipiens ipsum veneno interficere dicitur. Hanc autem bestiam dicuntur homines adorare, dicentes. Quis similis bestiæ? Quando eis suggestionibus acquiescunt.

Sed per secundam bestiam ascendentem de terra, intelligitur Antichristus, qui ideo de terra ascendere dicitur, quia in terra ortum habebit. Hæc enim cornua cornibus agni similia habere dicitur, quia velut agnus se virum iustum,& sanctum ostendere vellet, sed reuera loquetur vt draco, cuius blandia verba erunt malitia venenata. Hic fertur habere potestatem prioris bestiæ, quia diabolus figuratus per primam bestiam dabit sibi suam quantum poterit potestatem, virtute cuius faciet signa, & prodigia magna, vt in ipsis decipiat homines, eosque inducat ad adorandum primam bestiam, id est Diabolum. Et si qui inuenti fuerint qui bestiam adorare noluerint, ipsos atrociter persequetur,&c.

Dan.7. De eodē Antichristo loquitur Daniel, vbi prius mentionem facit de quatuor Monarchijs mundi successiuis, quæ per quatuor bestias exeuntes de mari magno pulcherrime notantur. Siquidem vt huius capitis expositores asserunt, mare dicitur mundus ob regnorum varietatem, & instabilitatem, qui ad instar maris procellis agitatus. Quatuor bestiæ exeuntes de mari, vna post alteram, quatuor monarchiæ, & regna magna dicuntur, & ob eorum ferocitatem, nimiam superbiam, & potentiam bestiæ grandes merito appellantur.

1. Monarchia. Quarum prima, dicitur similis Leænę habenti alas Aquilæ cuius alæ auulsæ sunt,& datum est ei cor, & stetit vt homo. Designans regnum Assyriorum, quòd primum fuit in Monarchijs. Assimilatur autem Leænæ, propter violentiam, libidinemque illius populi. Nam

Leæna

Leæna inter bestias est ferocissima, & præcipue si catulos nutriat, semper gestans coitum. Duæ alæ, duæ gentes sunt, Assyrij, videlicet, & Chaldæi, quibus præcipue præfuit. Alæ insuper dicuntur Aquilæ ob illius regni diuturnitatem, cum Aquila diu viuat. Incepit enim illud regnum forte à Nembroth, vel saltem à Nino, qui regnauit in Niniuem, vsque ad Balthasar perseuerans, qui sedem regni tenebat in Babylone vbi interfectus fuit, sicut Danielis narrat historia. Quod vero auulsæ sunt ei alæ, & postea datum est ei cor, refertur ad Nabuchodonosorē magnū, auum, vel proauū Balthasaris, cuius ad tēpus sublatum fuit Imperiū ob ipsius superbiā. Dan. 5.

Secunda bestia, egressa est de mari similis Vrso, habenti tres ordines dentium in ore eique dicebatur, Surge, comede carnes plurimas. Hæc monarchiam Persarum, & Medorum pulcherrime figurat, quæ propter patientiam laboris, & parcitatem victus assimilatur Vrso. Cœpit hæc Monarchia in Dario, & Cyro eius nepote, postquā occiderunt Balthasar capta Babylone, perdurans vsque ad Darium Vrsam huius nominis quartum deuictum ab Alexandro Magno, per successionem quatuordecim Regnum, Medorum, atque Persarum. Dicitur aūt in partem, & non in toto similis Vrso, quæ ita parca fuit in victu hæc monarchia, quod nil tamen crudele fecit in populum Iudæorum sibi subiectum. Tres ordines dentium, sunt tria genera principum sibi astantium. s. Medorum, Persarum, & Chaldęorum. Et quia ei dicebatur. Surge, comede carnes plurimas, refertur ad Regem Assuerum cui persuasum fuit ab iniquissimo Aman, etiam litteræ destinate erant, vt quadam determinata die occiderentur omnes Iudæi vbicunque inuenirentur. Sed id totum reuocatum fuit, vt Hester narrat historia. 2. Monarchia.

Tertia bestia, erat similis Pardo, habenti alas auis, cum quatuor capitibus, cui potestas data est. Hæc Græcorum Monarchiam ordinate designat, quæ assimilatur Pardo varij coloris ob regnorum, doctrinarumque varietatem. Nam sub ista monarchia Philosophi 3. Monarchia.

Arist. magister Alex. Magni. plurimum claruerunt. Aristoteles enim dicitur fuisse magister Alexandri. Alas dicitur habuisse auis propter velocitatem adeptionis dominij. Nil enim velocius Alexandri victoria, vt non videatur velasse, sed volasse ad huiusce dominij acquisitionem. Nempe in duodecim annis subiugauit sibi regna Orientis. Et cum moreretur, allatæ sunt epistolæ de regnis Occidentis. Potestas ei dicitur data, quia non a se, sed à Deo tanti dominij facultatem habuisse constat, ad malorum punitionem. Quatuor capita, quatuor Reges fuerunt, qui ei in domino Macedoniæ successerunt. Nam Seleuchus in Oriente regnauit in Babylonia, & Syria. Philippus in Græcia. Ptolemæus in Aegypto, versus Meridiem. Antigonus in Asia, & Ponto, versus Aquilonem.

4. Monarchia. Quarta bestia ceteris dissimilis, terribilis valde, habens dentes ferreos, comedens, & cuncta comminuens, & reliqua pedibus conculcans est Romanorum Monarchia, quæ sua nimia fortitudine omnia sibi regna subiecit. Dentes ferreos habebat, quia quemadmodum ferrum omnia domat, ita Romanorum regnum, omnia regna domauit, Comedens, atque comminuens, aliquos occidendo, & reliqua pedibus suis conculcans, ceteros tributo subijciendo. Ceteris dissimilis ob nimiam ferocitatem, & potestatem. Habebat quoque cornua decem, id est decem Reges, non per successionem vnius post alterum, sed simul extantes. Nam futurum est (vt liquet ex verbis Angeli Danielem alloquentis) vt Romanum Imperium diuidatur in decem Regna simul existentia, imminente tempore Antichristi. *De Antichristo, quid Daniel.* Deinde vidit Daniel inter hæc cornua decem, cornu paruulum oriri, id est Antichristum, qui erit Rex vndecimus, respectu illorum decem prædictorum, existens homo paruus quantum ad potestatem in principio, sed postea crescet, augebiturque potestas diabolica virtute. Et tria cornua euulsa sunt de prioribus à facie eius, quia tres Reges (vt scholastica narrat historia) scilicet, Aphricæ, Aegypti, & Aethio-

Aethiopiæ, interficiet. Alij septem colla ei subijcient, vt victori. Oculi quasi hominis, quos vidit Daniel in cornu illo paruulo est subtilis, & alta ipsius scientia, malitiaque. Os autem ingentia loquetur, quia Deum se esse fatebitur, & verum Messiam in lege promissum. Quare Iudæi credentes confluent ad eum, cæteros vero ad se trahet homines tormentorum terrore, terrænorum promissione, ac falsorum miraculorum operatione, Interficiet quoque Enoch, & Heliam. Et subdit Daniel. Aspiciebam donec positi sunt thronis, scilicet, assessorum Apostolorum, & antiquus dierum sedit, scilicet Deus pater propter ipsius æternitatem. Sedet quippe, quia in maiestate sua iudicium faciet, & libri aperti sunt, scilicet, bonorum, & malorum operum, quia tunc temporis, conscientiæ singulorum patebunt, Deinde vidit q̃ bestia illa quarta perijsset, & corpus eius traditum esset igni, quia teste Apostolo, Dominus Iesus interficiet Antichristum spiritu oris sui. Et corpus eius, id est homines mali qui sunt corpus misticum Antichristi existentis caput eorum, quemadmodum Christus est caput bonorum, tradetur igni inextinguibili. Et potestas aliarum bestiarum etiam ablata, quia omnis principatus mundi cessabit. Et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis, id est Christus: quia quemadmodum ascendit in cœlum secundum humanitatem obsequio nubium, ita etiam ad iudicium veniet. Et peruenit vsque ad antiquum dierum, id est ad æqualitatem Dei patris in vna essentia diuina. Et data est ei potestas, honor, & regnum, & omnis populus, tribus, & lingua, seruient ei, ipso dicente. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et dedit ei pater iudicium facere, quia filius hominis est. Et tandem subiungit. De cornu illo paruulo, scilicet Antichristo, quòd faciebat bellum aduersus Sanctos, & præualebat donec venit antiquus dierum putans quòd posset mutare tempora, leges, & iudicium, sedit vt auferatur potentia eius, & conteratur. Et hoc est quod subdit Euangelista. *Sicut enim fulgur exit ab*

Antichristus tribus modis trahet homines ad se.

2. Thess. 1.

Act. 1.

Matth. vlt.

Ioan. 5.

Oriente, & apparet vsque in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunque fuerit corpus illuc congregabuntur & Aquilæ. Cum enim oritur Sol in Oriente, apparet in omnibus partibus mundi, ideo congrue dicitur. Sicut enim fulgor Solis non fulgur, quia similitudo affertur de fulgore Solis apparente mane ab Oriente in Occidentem. Quemadmodum igitur talis fulgor exit ab Oriente, & apparet vsque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis omnibus manifestus, iuxta illud Psalmi, Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Inde sequitur, qualiter electi sibi finaliter adhærebunt, nec poterunt errore seduci, dicens. Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ. Aquilæ enim, & aliæ aues vbicunque odoratu, visu, vel alio sensu perceperint esse cadauer, illuc mox volant, & colliguntur. Sic spiritualiter vbicunque fuerit Christus, qui dicitur corpus tanquam verbo caro factum, & pro nobis occisum, illic congregantur homines sancti, & virtuosi, quorum iuuentus renouatur vt Aquilæ, de quibus Saluator ait: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam. Et alibi: Veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis, &c.

Dominica prima Aduentus, De signis aduentus Domini ad Iudicium, & consumationis seculi, super Euangelijs, Lucæ, Matthæi, & Marci.

ERunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in Terris pressura gentium præ confusione sonitus Maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. In omnibus mirabilibus quæ operatus est Deus, semper voluit nonnulla signa præcedere, quemadmodum liquet in toto scripturarum decursu.

Nam

Nam signa temporum annorum, & dierum, fuerunt duo luminaria magna. Gen.1.

Signum vniuersalis Diluuij fuit Archa Noë, in qua pauci salui facti sunt. 7.

Signum fœderis, fuit cœlestis Arcus, dicente Domino: Ponam Arcum meum in nubibus cœli. 9.

Signum finiti Diluuij, fuit columba, & ramus oliuæ, quem tulit in ore. 8.

Signum fœderis dedit Deus Abrahæ, & posteris eius, dicens, Hoc erit signum inter me, & vos. Circuncidemini carnem præputij vestri. 17.

Signa, quàm plura dedit Deus Moysi, quibus testetur Pharaonem se à Deo missum liberatorem. Exod.4.

Signa duodecim fecit Moyses coràm Pharaone, ut liberaretur populus ab eo.

Signum dedit Deus Moysi, scilicet, sanguinem super postes, vt Angelus transiens non percutiat Israël. 12.

Signum erit inter me, & vos (inquit Dominus) Sabbatum meum custodietis. 31.

Signum dat Dominus, pro aduentu filij sui Virginem concipientem, & parientem filium, cuius nomen Emanuel, &c. Isa.7

Signum reuersionis vmbræ lineis decem in horologio datur Ezechiæ à Domino, pro sua recuperanda sanitate, iuxta sermonem Esaiæ. 38.

Signa multa prædicuntur excidij Babylonici Regni, quod Esdras conspicere suo tempore sperabat, & desiderabat. 4. Esd.5

Signorum pars dum cœperit impleri, tunc intelliges impendere tempus in quo Altissimus visitabit seculum. 9.

Signa visa sunt Hierosolymis quadraginta diebus per aëra. 2. Mach.5.

Signum silentij habuit Zacharias, sicut signum Elisabeth habuit virgo Maria. Luc.2.

Signum nati Saluatoris, inuenietis infantem pannis inuolutum in Præsepe.

Si igitur in his omnibus mirabilibus Dei tot præcesse-

runt signa, quid mirum si in aduentu irati iudicis erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, quæ & quando hæc signa in luminaribus cœli apparebunt, Christus in Matthæo exprimit. Cum enim enumerasset iam illas quæ super terram futuræ sunt per Antichristum calamitates & persecutiones, sequitur. Statim post tribulatio-

Matth. 24. nem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, &c. Vnde certa stat sententia, signa quę hic in Euangelio commemorantur futura post Antichristi tempora, ante tamen diem extremum. Nempe vbi Christus dominus spiritu oris sui interfecerit Antichristum, sicut Paulus testatur & Iudæi & Turcha, & hi qui ex Christianis deliquerant agnoscere iam cœperint, se ab Antichristo & pseudoprophetis deceptos, tunc demum hi quoque se per contritionem & pœnitentiam ad Christum conuertent. Et post pauca, signa incipient de quibus hic in Euangelio. At quoniam inter Antichristi mortem, & diem extremum temporis aliquid intererit, colligere facile potest ex verbis Ioannis in Apocalipsi dicentis. Cum aperuisset sigillum se-

Apoc. 8. ptimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora ideo. Cum Ioannes commemoret mediam horam silentij, & apud Matthæum dicatur, statim, manifeste constat ab interfectione Antichristi, non diu signa hæc in cœlo apparitura.

Signa autem quæ videbuntur, Christus hic enumerat quinque. Primum erit de cœlo in Sole, & Luna & stellis. Et merito quidem. Nam Sol suo cursu totum mundum regit quotidie circa terram rotatus & agitatus. Nec solo motu, sed splendore & influentia, vnde de æstatis & hyemis pendet vicissitudo. Et quicquid hyeme occidit, & æstate oritur, vt recte dicat Sa-

Eccl. 43. piens. Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile opus excelsi. Erunt ergo in illo omnibus conspicuo Sole signa, pariter & in Luna, & stellis. Cuius rei

Ioël. 2. apertissimum habemus testimonium Ioëlem, dicentem. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus, & horribilis,

bilis. Dies iste magnus dies extremus est, qui sæpe in scripturis dies domini quo ad iudicium venturus est Christus, appellatur. Et non sine rationabili causa dies iste dies domini est, cum omne iudicium pater dederit filio. De his signis etiam loquitur Ioannes in Apocalypsi, dicens. Ecce terræmotus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis, & stelle de cœlo ceciderunt super terram. Neque vero in Sole tantum & Luna signa hæc cernentur, sed & alia multa. Ad declarandum enim horrorem & terribilitatem irati iudicis, qui die illo venturus est. Stellæ errabunt ex solito suo motu, stabuntque interdum, dicente Abachuch. Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum. Solis quoque pars non modica percutietur, sicut Ioannes dixit. Percussa est tertia pars Solis, & tertia pars Lunæ, & tertia pars stellarum, ita vt obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia & noctis similiter. Ex quibus, defectus in omnibus fructibus terræ & omne morbi genus inde sequetur. *Ioan. 5.* *Apoc. 6.* *Abach. 3.*

Et nota, quòd iste stellarum de cœlo lapsus non essentialiter in rebus ipsis debet intelligi. Sed tantum id fieri propter fulgura stellas volantes aliasque impressiones metheoricas, quæ hominibus apparebunt, vsque adeo tamen stellę quoque lumen suum amittent, vt nec amplius videbuntur, & homines ipsi stellas iam nullas in cœlo esse putabunt, sicut ait Isaias. Stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo. Quorum omnium ratio assignari potest, quia quemadmodum tempore Passionis Christi Sol obscuratus est super peccata hominum, eo quod dominum Deum suum Iesum Christum occiderant; ita consumatione imminente seculi, idem ille obtenebrabitur, suumque subtrahet splendorem à multitudine scelerum, & peccatorum hominum, qui radijs etiam solaribus tunc erunt indigni, sicut alio lo- *Primum signum.* *Isa. 13.*

Isa. 14. co dicit Isaias. Erubescet Luna & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum, id est, quando regnum ipsius omnibus manifestabitur.

Mystica expositio. Sed mistice loquendo, instante die iudicij Christus Sol iustitiæ obscurabitur in cordibus plurimorum. Nã tempore Antichristi, prædicatione, & miraculis non clarescet, & multi deficient a fide. Luna quoque, id est ecclesia obscurabitur vehementer præualentibus impijs, & fide penè extincta. Quia & stellę cadent de cœlo, hoc est multi litterati auertentur à cognitione fidei. Quam obrem virtutes cœlorum, hoc est perfecti, & contemplatiui commouebuntur timore, compassione, & admiratione. Vel aliter. Sol obscurabiur, id est, intellectus humanus. Quia quemadmodum Sol est omnibus planetis clarior, ita intellectus inter omnes animæ potentias. Et sicut Sol ceteris planetis lucem præstat, ita intellectus omnes animæ potentias illustrare videtur. Sol igitur, id est intellectus humanus tempore Antichristi obscurabitur quantum ad fidei nostræ cognitionem ad diuinæ legis obseruationem & quantum ad nostræ considerationis veram cognitionem. Nam respectu plurium fidem sinceram amittet, legem Dei seruare minime curabit, & magis corpus, ac cetera corruptibilia, quam propriam animam, & alia superiora existimabit, quod est stultitiæ signum, & cæcitatis. Per Lunam autem voluntas humana intelligi potest, quia sicut Luna illuminatur à Sole, sic voluntas dirigitur ab intellectu. Voluntas enim non fertur nisi in præcognitum. Ipsa autem quæ charitatis feruore, & operibus bonis clarescere debet, tempore Antichristi erit tota obscura per torporem & negligentiam, desideraque mala. Et

Ezec. 32 sic, teste Ezechiele, Luna non dabit lumen suum, quia dilectione, & charitate carebit. Per stellas autem, animæ virtutes intelliguntur, quę tempore Antichristi deficient.

Secundum signum. Secundum signum, quod diem præcedet extremum, pressura numeratur gentium in terris, illaque ex superioribus signis proueniet. Sterilis enim per illa facta terra,

terra, paulatim etiam inficietur. Vnde fames, calamitas, & pestilentiæ prodibunt. Quemadmodum Aegyptus ꝓpter scelera & peccata sua, afflicta est grauiter a Deo. Si quidem cœlum, terra, & omnia elementa, creatori suo famulantur ad pœnam, & supplicium peccatorum, teste Sapiente. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Testatur idem & Iob, dicens: Terra cõsurget aduersus eum, apertum erit germen domus illius. Decet enim vt cum iam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, vt Christus fore prędixit, maior etiam fiat pœna, & afflictio. *Sap. 5.* *Iob 20.*

Tertium signum erit confusio sonitus maris, & fluctuum. In terris enim pressura erit gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum. Quare manifeste constat quomodo mare etiam commouebitur, magnosq; accolis suis horrores, pressuras malaque dabit, dicente Dauide in psalmis: Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Vnde ex tanto signorum horrore, contabescent etiam homines præ magnitudine timoris, & expectatione iudicij, quod tunc veniet super vniuersam terram. Ideo dicit Euangelista. Arescentibus, id est deficientibus hominibus à vigore suæ corporalis virtutis, & calore. In diebus enim illis, efficientur homines aridi, & stupidi pallescentes, & velut amentes, & contabescent in seipsis, ita vt alter alterum non alloquatur præ timore, scilicet malorum præsentium, & futurorum quæ superuenient vniuerso orbi, quia nulla natio ab his angustijs excludetur. *Tertium signum.*

Quartum cõmemoratum in hoc Euangelio signum est, quòd virtutes cœlorum mouebuntur, id est, Angeli corporibus cœlestibus assistentes. Primo, quia cessabunt à suis operibus, non amplius mouentes orbes. Nam cœlorum motus causa est omnium generationum, & corruptionum, quibus semotis non erit opus amplius moueri cœlum. Secundo, virtutes cœlorum mouebuntur, quia ipsi Angeli tremore quoddam horrebunt, & trepidabunt illo die. Et quomodo non tremerent Angeli sancti (inquit Chrysostomus) cum *Quartum signum.*

Iob 26. videbunt tantam,& dæmonum, & hominum multitudinem. Simul damnari? Vnde & Iob dixit. Columne cœli contremiſcunt,& pauent aduentum eius. Tertio, mouebuntur ex diuina voluntate ad faciendum miraculoſas tranſmutationes in elementis ad incutiendum hominibus terrorem iudicis venientis. Quarto, mouebuntur ad peccatorum vindictam, & ſeparationem expetendo ab eis vltionem, quia ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis. Vel aliter dici poteſt, virtutes cœlorum mouebuntur, quia potentiæ actiuæ cœleſtium corporum à ſolitis actionibus mutabuntur circa Solem, Lunam, & ſtellas, ne influant in his inferioribus, ſed ab his impediantur.

Multipliciter virtutes cœlorũ mouebũtur

Quintum ſignum.

Quintum ſignum commemoratur in Euangelio Matthæi dicentis. Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo, id eſt crux, de qua eccleſia canit. Signum crucis erit in cœlo, cum dominus ad iudicandum venerit. Teſtatur idem vniuerſa religio Chriſtiana vtens ſigno crucis in omnibus tanquam ſigno proprio Ieſu Chriſti. Et aptiſſime quidem vexillum crucis præcedet Ieſum in humana natura venientem tanquam in quo vicit mundum, & diabolum moriendo. Quæ autem fuerit illa crux, aliqui putant ꝙ erit aliquod lucidum in cœlo, apparens in ſimilitudinem crucis. Plerique vero arbitrantur veram illam Chriſti crucem eſſe miniſterio angelorum deportandam in ſignum victoriæ, ſicut Chryſoſtomus ait. Qui enim cadauera hominum in pulueres iam, & cineres mutata reintegrat, idem reſtaurare totamque plane reſtituere poteſt, Crucem in plures etiam diuiſam partes. Illa tunc exhibita ſimul declarabit Chriſtus, & victoriam erga dæmones, & ſuam miſericordiam, qua boni ſalui facti ſunt in cruce. Vnde recte dicit Chryſoſtomus. Crux ſole fulgentior videbitur. Obſcuratur enim Sol, crux vero nouo quodam, & admirabili illuſtrabitur ſplendore, & ſic perpetuo fixa fulgebit in cœlo. Et congrue quippe. Quemadmodum enim ingrediente Rege in ciuitatem

Pulchra ſimilitudo.

ciuitatem exercitus antecedit, qui signa atque vexilla regalia præferens annũciat Regis introitum, ita domino descendenti de cœlis præcedet exercitus Angelorum, Archangelorumque, qui signum crucis vt triumphale vexillum præferentes, diuinum Regis cœlestis ingressum, terris trementibus, annunciabunt. Et tunc, scilicet cum triumphale vexillum videbunt, omnes tribus terræ flebunt amare, sero accusante conscientia plangent Iudæi, plorabunt gentiles, flebunt Christiani qui magis dilexerunt mundum, quàm Christum. Plangent autem se, idest culpam suam, quam commiserunt, suam stultitiam quam non correxerunt, suam gloriam, quam amiserunt, suam pœnam, quam incurrerunt. Et ita plangent se omnes tribus terrę, id est mali. Non enim accusantibus opus erit cum crucem viderint. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum potestate magna, & maiestate.* Cum enim Christus duplicem habeat naturam, diuinam, scilicet, & humanam, iudicaturus tamen est in humana natura. Quamobrem Lucas ait. Videbunt filium hominis. *Luc. 21.* Et apud Matthæum, filius hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua. *Matth. 24.* Quia non tantum fide, sed fide, & operibus bonis iusti saluantur. Et quamuis illa iudicãdi potestas ad totam pertineat Trinitatem, illam tamen pater. Christo proprie tradidit, sicut Ioannes testatur. *Ioan. 5.* Pater omne iudicium dedit filio. Et quia ille idem in Apocalypsi ait. Videbit eum omnis oculus: *Apoc. 1.* ideo tam boni quàm mali videbunt eum, sed cum discrimine. Boni enim videbunt eum in singularissima illa sua, & glorificata figura, cum effusissima maximi gaudij lætitia, quoniam apparebit in corpore glorificato, tanquam Rex regum, iudex, & dominus vniuersorum. Mali autem humanitatem quidem illius intuebuntur, sed non gloriam. Quandoquidem in illa etiam quam videbunt forma plurimum trepidabunt, & contremiscent. Vnde Isaias dixit. Impius non videbit gloriam domini. *Isa. 26. 33.* De bonis autem, ille idem alibi ait. Regem

gem in decore suo videbunt. Ignis quoque in conspectu eius, vt vniuersum exurat mundum. Quemadmodum enim diuina virtute aqua Diluuij totam mundauit terram, ita ignis ille potenter totum etiam purgabit mundum. Quem ignem præuidit Dauid in spiritu, cum dixit. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et quid mirum vidisse hunc ignem Dauidem, quem tot annis antea prospexerat Moyses. Ignis, inquit Deus, accēsus est in furore meo, & ardebit vsque ad Inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta cōburet. Hunc quoque ignem digito demonstrauit Petrus, dicens. Cœli qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij perditionis impiorum hominum. Et paulopost: Adueniet dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, terra autem, & omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

Ignis, quomodo mundum purgabit.

Deut. 31

2. Petri 3.

Ratio etiam assignari potest, cur ignis præcedet vniuersale iudicium. Cum enim terra, & aër, vitijs hominum præcipue, & maxime sint poluta, homicidijs, adulterijs, fornicationibus, blasphemijs, & ceteris, ipsaque etiam elementorum natura non paulo sit deprauata, Deus vniuersalis iudex omnes creaturas renouabit, purgabitque. Quæ quidem renouatio in terra ab ignibus incipiet, quemadmodum Ioannes in persona Domini testatur. Ecce, inquit, ego noua facio omnia, id est, Dominus innouat omnia. Ante enim hæc verba dixerat, primum cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est. Isaias insuper. Ecce, ego creo cœlos nouos & terram nouam. & non erunt in memoria priora. Quæ verba eandem habent intelligentiam. Terra tamen ex sua quidem substantia perdurabit in æternum, dicente Regio propheta. Qui fundauit terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Hæc autē renouatio tantum intelligi debet secundū̄m adiacētia, vel accidentia, sicut aperte Apostolus Paulus ad Corinthios scribens ait. Præterit figura mundi huius. Et de plane

Cur ignis præcedet iudicium.

Apoc. 21.

Isa. 65.

Dauid.

1. Corin. 7.

planetis, Isaias. Erit, inquit, lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter sicut lux septem dierum. Nec obstat, quòd tunc Sol stabit. Siquidem cum tempus iam nullum erit, nec Solis opus erit Ortu, & Occasu, quod & clare idem expressit Propheta, dicens. Non occidet vltra Sol tuus. Et, vt Ioannes ait. Angelus leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in illo sunt, & terram, & ea quæ in illa sunt, & mare, & omnia quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius. Et cum tempus sit mensura motus, nullum motum sequi, consequens est. Inde sequitur. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum.* Matthæus Euangelista fatetur, quòd filius hominis veniet cum gloria, mittet Angelos suos ad congregandum electos cum tuba & voce magna. Nam scribitur in Exodo, quòd descendente Deo in montem Synai, clangor buccinæ vehementer perstrepebat, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & audiebatur ab omni populo. Multo magis aduenienté corporaliter Christo homine ad vniuersos homines, qui sunt, erunt, & fuerunt, interueniet sensibilis sonus similis sono tubæ. Cuius Angeli ab eo missi congregabunt electos à quatuor ventis. Nominat enim quatuor Mundi partes: Orientem, & Occidentem: Septentrionem, & Austrum, à quatuor principalibus ventis, comprehendens in illis alios intermedios, à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum. Intendit enim per hoc explicare, quòd congregabuntur electi, non solum ab hac superficie orbis terrarum, quam inhabitamus, sed etiam ab extremis, vsq; ad extrema cœlorum, ad comprehendendum loca omnia vbicunque possunt inueniri animæ, seu electorum corpora. Multi siquidem electi, secundum animam, sunt in cœlis: multi tunc anima, & corpore erunt in terra viuentes. Multorum animæ forte in Purgatorijs reperientur locis. Multorum corpora sub aquis, aliorumque sub terra, &c.

Isa. 3. *Isa. 60* *Apoc. 10* *Exo. 19. 20*

Cœli

Quo intelligitur à summis cœlorum &c. Cœli enim ipsi, & omnia intermedia comprehenduntur ex hac extensione à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum. Et nota, quòd tam boni, quàm mali ab angelis ad iudicium deferentur, electi tamen cum ampliori honore, & reuerentia ab omnibus partibus mundi. *Apoc. 20.* Ideo Ioannes Euangelista in spiritu vidit thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, & locus non est inuentus in eis. Vidit quoque mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est liber vitæ. Et iudicati sunt mortui, ex his quæ scripta erant in libris secundum opera eorum. Et dedit mare mortuos suos qui in eo erant, & mors & Infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant, &c.

Ex his omnibus colligere possumus, quòd Christus in extremo iudicio mittet Angelos suos, qui cineres, pluresque mortuorum corporum colligant, vbi inueniri poterunt. Deinde præcipiet ex pulueribus illis naturale rursus corpus reformari, ipsique corpori animam vniri. Vnde & animas electorum ad sua permittet remigrare corpora. Mox Angeli per omnes prouincias, & regiones voce clarissima proclamabunt apparere illos iubentes coram iudice audituros illud finale, & irreuocabile iudicium, & tunc demum ad Christum venient omnes; iuxta illud Apostoli. *2. Cor. 5.* Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. *1. Thess. 4.* Et ille idem ad Thessalonicenses ita scribens, ait. Dominus iniussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Ibidem enim Apostolus, tria præcipue commemorat. Primo, iussionem diuinam qua Deus Angelis suis committet pulueres corporum colligere, idque sanè virtute angelica fiet subito, sicut & Paulos alibi dicit *1. Cor. 15.* In momento in ictu oculi in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti. Secundum, quod Paulus dicit ad

Thes

Thessalonicenses est in tuba Dei, quæ nimirum ipsa vox Christi est, qua corpora mortuorum reformata, iam reuiuiscent. Id enim solus præstare potest Deus, qui angelicam virtutem excedit, sicut Christus apud Ioannem ait. Mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent. Tertio vocem quoque. Paulus commemorat Archangeli, quæ à tuba Dei vtique secernitur. Vox enim hæc illa est cum Archangeli qui sunt omnium prouinciarum, & regionum velut custodes conuocabunt omnes homines ad iudicium, fientque omnia hæc simul, scilicet resuscitatio per vocem Christi, & vocatio ad iudicium per angelos. Quæ omnia etiam veteris testamenti testimonijs demonstrari possunt. Ita enim Iob inquit, Scio enim, quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum, Circundabor pelle mea; & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Daniel quoque. Qui in terræ puluere dormiunt euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium sempiternum. Rursus per Ezechielem Dominus ait. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, & viuetis. Et per Ioëlem. Congregabo omnes gentes, & educam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis. Quamobrem non immerito vocem illam admiratus Chrysostomus ait. Veræ magna vox tubę terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas conterit, vincula mortis disrumpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis restituit, vt appareant in conspectu Dei.

Ioan. 5.
Tria notat Paulus ad Thessal.
Iob. 19.
Dan. 12.
Ezec. 37.
Ioël. 3.
Chrysost.

Cum ergo (vt omnia his paucis verbis ordinate concludam) iam mundo vniuerso ignibus repurgato, ipsa quoque mortuorum corpora ministerio, & officio Angelorum, virtute tandem diuina resurgent, Crux etiam Christi apparebit in cœlo. Tunc demum aduentabit dominus Iesus in humana, eaque omnibus conspicua forma cum magna potestate, immensaque maiestate, vt Lucas asserit. Quam etiam gloriam, & augustum illum honorem præuidit Ioannes dicens.

Epilogus dictorum.

Vidi

Apoc. 14. Vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis habentem in capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam. Ibi enim immensa illa iudicis in remunerando munificentia penes coronam, & ad puniendum iustitia declaratur in falce. Et tunc Angelis suis imperabit, vt desinant mouere cœlum, vt supra dictum est. Veniet autem ille iustus iudex ad iudicium cum sanctissima matre, cum choris Angelorum, cum electis suis Sanctis super nubem, de quo Apostolus Iuda. *Iudæ. 1.* Ecce, inquit, veniet Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes impios. Quod quidem iudicium etiam Zacharias in spiritu prophetico preuiderat, dicens. *Zach. 14.* Veniet dominus Deus meus, & omnes sancti cum eo. *Isa. 3* Isaiam quoque id non latuit, cum dixit: Dominus ad iudiciũ veniet cum senioribus, & senatoribus populi sui. Deinde subdit Dominus. *His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ponit Saluator iustorum consolationem, dicens. His autem signis prætactis fieri incipientibus, respicite ea, & leuate capita vestra, id est, corda ad Deum erigite, ipsi fidite, atque per spem animas vestras exhilarate, quoniam appropinquat redemptio vestra, id est, perfecta saluatio a præsenti exilio, ac salus æterna. Hæc nimirum gloriosa illa redemptio est, propter quam pij omnes leuare debent capita sua ad Deum, quia ipsius Regnum adueniet, quo nos ab omni malo erimus liberati. Qui ergo veri sunt Christiani, & perfecti, vsque adeo diem non metuunt, extremum, ut gaudeant etiam per illum suam sibi appropinquare redemptionem. *Electorum consolatio hic describitur.* Quare oramus adueniat Regnum tuum nouissimum, quia nunquam nos ab omni malo perfecte liberabimur nisi in illo die. Quare respicere, & capita nostra nos leuare decet, & similes esse hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptijs. Simus ergo expectantes, vt inquit Apostolus, *Titum 1.* beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui est redemptio nostra.

Et dixit

Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores cum producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. Consequenter ponit Dominus quandam similitudinem, dicens. Videte ficulneam, & omnes arbores. Et apud Matthæum. Ab arbore autem fici, id est à ficulnea discite parabolam, id est sumite similitudinem, quam vobis propono ad conuenientem prædicatorum intelligentiam. Cum iam ramus eius tener fuerit, id est recens, & gracilis, & folia nata, hoc est cum folia cœperint pullulare in ea, scitis quia propè est æstas. Illa enim non fiunt nisi Sole appropinquante, & ascendente, cuius ailatio in obliquo circulo causa est generationis, caloris, & renouationis in his inferioribus. Et ita de alijs arboribus. dicendum est. Sic & vos cum videritis hæc omnia, id est, prædicta signa aduentus mei impleri, scitote quia propè est in ianuis, id est in proximo instat iudicium. Nam in persona Apostolorum alloquitur eos qui tunc temporis reperientur, velut in Luca scribitur. Scitote quoniam propè est regnum Dei, id est vltima cœlestis patriæ consumatio, qua totus prædestinatorum numerus erit completus, & omnes Sancti in corpore, & anima glorificabuntur. Vel propè est regnum Dei, hoc est, in proximo instat hora qua regnum cœleste communicabitur vobis, & ad cœlestem perducemini patriam, audietisque vocem illam omni dulcedine plenam. Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum Regnum, &c.

Matth. 24.

Matth. 25.

Plurimum quippe consideranda est hæc similitudo Christi, dicentis: Cum iam ficulnea producit ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Nam ficulnea mundum significat. Fructus ficulneæ lapsum, & consumationem mundi. Aestas vero, redemptionem nostram, ipsum, scilicet, Regnum cœlorum. Sanctus vero Ambrosius, ficulneam hanc ad Synagogam refert Iudæorum, quæ cum fructum affert, hoc est ad Christum conuersa fuerit, quod sub ipsam mundi fiet consumationem

De ficulnea pulchra intellegentia.

Ambros.

mationem, tunc sane dies imminebit extremus. Quod autem conuertendi illi sint aliquando ante diem illum illum ad finem mundi. Regius Propheta testatur, dicens. Ad vesperam conuertentur, famem patientur vt canes. Vniuersus etiam mundus ad fidem tunc veniet Christianorum, vt Iudæi, Turcæ, Tartari, & ceteræ nationes, iuxta eiusdem Dauidis prophetiam. Reminiscentur, & conuertentur ad dominum, vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Et de Iudęis peculiariter, Isaias inquit. Quoniam populus Israel erit quasi arena maris, & tunc reliquię conuertentur ex eo. Quem locum etiam ad Romanos citat Apostolus. Vnde Ambrosius, Christum apud Matthæum quidem de ficulnea tantum loqui, hic vero de omnibus arboribus, quoniam omnes omniumque, & generum, & gentium homines conuertentur ad Christum. Vt iam sit illa subtilissima summæ sapientiæ inductio, dum tempus signorum futuri iudicij æstati confert considerando æternam illam regni cœlestis remunerationem, quæ merito ęstas potest appellari. Ad bonos enim hic Christus loquitur. Siquidem boni vt Theophilati verbis vtar, cum hic in mundum duram patiantur hyemen, illic perpetuam habebunt æstatem. Et vicissim impij vbi aridam hic breuem habuerint æstatem, illic demum perpetuam patientur hyemem, & procellas tempestatum æternas, &c. Sed ne prædicatorum signorum aliqua ambiguitas resideat in animo auditorum subdit dominus. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Hæc veritatis fortissima est confirmatio non sine iureiurando, cum dicit. Amen. Quæ dictio aliquod habet velamentum misterij. Quoniam non præteribit generatio hæc, scilicet fidelium (vt nonnulli exponunt) donec omnia fiant, hoc est vsque ad finem mundi, sicut & Petro promiserat. Ego inquiens pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Alij autem referunt generationem

Psal. 58. *Isa. 10.* Rom. 9. *Ambros.*

tionem hanc ad totum genus humanum, quod non deficiet super terram in toto, donec omnia fiant, quæ ante iudiciũ dixi futura. Id est donec omnia signa impleantur, & aduentus ipsæ gloriosus. Cœlum, & terra transibunt, id est esse cessabunt quantum ad subsistenti modum, & quantum ad accidentia quædam, quia cœlorum motus ac influentiæ desinent, & orbes cœlestes ac elementa innouabuntur. Sed quantum ad substantiale esse incorruptibiliter permanebunt. Præteribunt autem accidentales formæ. Siquidem tunc speciem aliam habebunt, iuxta Dauidis prophetiam operam manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Verba autem mea non præteribunt, sed perpetua immutabilitate perseuerabunt, & non frustrabuntur. Et ne quis existimet ex signis prædictis diem iudicij determinate posse præsciri, adiecit. *De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi pater meus solus*. De notitia naturali intelligit Christus. Solus enim Deus nouit ex sua naturali noticia tempora, & momenta quæ posuit in sua potestate. Nullus siquidem naturali notitia nouit consilium Dei, nisi spiritus Dei. Ideo si Marcus excludit hanc notitiam à filio, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem loquitur, Cum hanc tamen veritate stat quòd Iesus etiam inquantum homo sciat notitia supernaturali diem illum, & sciuerit illum ab instanti suæ conceptionis, quoniam fuit perfecte beatus etiam in vtero matris secundum partem superiorẽ animæ, & vidit in diuina essentia omnia, & singula quæ sunt, erunt, & fuerunt. *Sicut autem in diebus Noë, ita erit, & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem quo intrauit Noë in archam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit, & aduentus filij hominis.* Quemadmodum enim erant homines carnales, increduli quoque

Diem iudicij quomodo nemo nouit.

in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes, & nuptus tradentes, id est crapulose, secure, & absque vlla temperantia viuentes, diuque viuere arbitrantes, contrahendo ad inuicem vsque ad eum diem quo introiuit in Archam ipse Noë cum vxore sua, tribusque filijs, & eorum coniugibus, qui omnes in numero erant octo. Et non cognouerunt homines tunc temporis periculum imminens, etiam Noë prædicante nõ credebant, donec venit diluuium. Tunc enim per experientiam cognouerunt quod ante non nouerant, & tulit, idest à vita subtraxit omnes homines præter existentes in Archam, à quibus propagatum, & natum est omne hominum genus. Ita occultus, improuisus, ac subitus erit aduentus filij hominis ad iudicium. Nempe Antichristo occiso quidam satellitum eius in sua duritia perdurabunt scelerate viuentes, & secure peccantes. Quibus sic conuersantibus, statim veniet dies iudicij.

Pulchra intelligentia similitudinis de Archa Noë, & Diluuio.

Et nota, quòd in hoc consistit tota vis similitudinis. Nam Christus insinuare voluit quem fructum facient præuisa signa, innuens quòd non facient communiter fructum, sed tunc erit sicut fuit in diebus Noë, tum quo ad officia, comedendo, bibendo, nubendo, & alia id genus faciendo, tum quo ad impœnitentiam. Et quemadmodum tunc temporis non cognouerunt quamuis Noë pararet Archam pro Diluuio, ita non cognoscet mundus aduentum Christi imminentem, quamuis signa præcedentia viderint. Culpa itaque nolentium credere his signis insinuatur. *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duo molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur.* Hæ combinationes designant de omni statu, & conditione eorum, qui tunc superstites erunt quosdam saluandos ad tribunal Christi esse eligendos, & quosdam deserendos, & ad tempus reseruandos, dum reproborum pronuncietur sententia. Siquidem horum trium statuum totam ecclesiam repræsentantium, aliqui cadent à fide, & gratia, præcipue tempore Antichristi, propter quod relinquentur. Alij

perse

perſeuerabunt vſque in finem, & aſſumentur. Quia, teſte Auguſtino, in omni conditione,& gradu, optimis coniuncti ſunt peſſimi. Si quidem oportet bonitatem Abel per malitiam Chaym probari, exerceri, & coronari. *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Vigilate ergo, id eſt ſolliciti ſitis,& bonis actibus diligenter intendite, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit ad iudicium. Id enim in perſona Apoſtolorum poſterioribus dicitur. Et quamuis ad literam dicatur de ſecundo Chriſti aduentu, nihilominus de ſpirituali accipi poteſt,& particulari iudicio, quo viſitat vnumquenque in hora mortis. Quoniam ergo neſcimus diem, neque horam propriæ mortis, aut extremi iudicij, debemus ſemper eſſe prouidi, ac præparati, ne in uitijs deprehendamur, æternaliterque pereamus. Spiritualiter enim illæ vigilare dicitur, qui Chriſtum imitatus bonis ſemper operibus intentus eſt. Aut ſi quid peccati contraxit, id ſanctis purificationibus abluit. Exemplo quoque patrisfamilias docet nos ſemper oportere eſſe paratos. Nam ſi paterfamilias cuius domus perfoſſa eſt, direptaque ſuppellex, ſciuiſſet qua hora fur venturus eſſet, vigilaſſet vtique, & non permiſiſſet perfodi domum ſuam. Non ergo ſimus ſimiles illi, ſed omnia hora parati, quandoquidem neſcimus qua hora Dominus noſter venturus eſt. In qua ſi non parati inueniamur, domus noſtra ſpoliabitur, & theſaurus eius, ſcilicet, anima rapietur in perditionem. Si vero parati erimus, non diripietur, ſed ſaluabitur ad vitam. Nam paterfamilias vnuſquiſque noſtrum eſt. Fur eſt dies mortis, aduentus Domini. Perfoſſio domus, ſeparatio animæ à corpore, eiuſque in perditionem direptio. Deinde concludit. *Ideo & vos eſtote parati, quia neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt.* Eſtote parati ad occurrendum Chriſto, quia qua hora neſcitis, id eſt, tempore vobis

Auguſt.

Quomodo oportet nos ſemper eſſe paratos.

ignoto, filius hominis venturus est. Et nota, quòd exhortatio ista plenius continetur in Marco, & Luca. Ait
Mar. 13. enim Saluator in Euangelio Marci. Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an in Galli cantu, an mane. Ne cum venerit repente inueniat vos dormientes. Videte, vigilate, & orate. Rursus in Euangelio Lucæ. Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sunt, & state ante filium hominis, &c.

Dominicæ Aduentus, & Natalis.

Dominica

Dominica quinta poſt Epiphaniam.

Simile eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt, & zizania. Hanc Euangelicam parabolam Chriſtus exponens adiecit. Qui ſeminat bonum ſemen eſt filius hominis, ideſt Chriſtus. Ager autem eſt mundus, ideſt terra huius peregrinationis, in qua homines degunt, & exules ſunt. Bonum vero ſemen quod Chriſtus ſeminauit in mundo, hi ſunt filij regni, homines electi, fonte baptiſmatis regenerati, quod Chriſtus mittit, ac ſpargit per omnia climata mundi, quemadmodum ſemina mittuntur in agris. De hoc ſemine Chriſti ſcribitur apud Iſaiam. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. Zizania autem ſunt filij nequam, ideſt reprobi, preſertim hæretici luthenari perſecutores eccleſiæ. Inimicus autem qui zizania ſeminauit, diabolus eſt, cuius ſuggeſtione, & machinatione ſurrexerunt, & peruerſa dogmata inuenerunt hæretici, cuius etiam inſpiratione alij reprobi ſe contra Eccleſiam erexerunt. Dicitur autem diabolus homo, non propter veritatem naturæ, ſed propter ſimilitudinem culpæ. Vnde de eodem ſemine Ioannes inquit. Qui peccat, ex diabolo eſt. Et rurſus. Iam Antichriſti multi nati ſunt, ex vobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.

Bonus ſeminator, quid ager quid ſemen bonum.

Iſa. 58.

Quid zizania quid inimicus homo.

1. Ioan. 4.

Ioan. 8. Hinc de Iudæis Christus testatur. Vox ex patre diabolo estis. Dicuntur enim homines mali seminati, vel ex dæmone esse, non creatione, sed prauitatis imitatione. Tales autem praui, & peruersi à principio mundi vixerunt, & adhuc extant, & vsque in finem mundi viuent, permixti bonis, & electis in vita præsenti, quasi zizanium permixtum tritico in agro Domini.

Contra Ioānem Hus. At quoniam ecclesia Dei militans & in stadio adhuc curens ex bonis, & malis constituitur, manifeste liquet Ioannem Hus in concilio Constantiensi iuste fuisse damnatum, qui inter cetera sua praua dogmata, posuit ecclesiam vniuersalem ex Solis prædestinatis constare. Cuiuis oppositum Christus ex hoc Euangelij loco clare ostendit. Vbi in agro Dominico zizanium permixtum tritico fuisse describitur. Pariter in alia huius Matth. 13 capitis apud Matthæum parabola, Regnum cœlorum, id est militantis ecclesiæ status comparatur sagænæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti. Illa autem sagæna continens bonos pisces & malos, militantem designat Ecclesiam, in se electos, & reprobos complectentem lauacro regenerationis ablutos, ac baptismatis charactere insignitos. Rursus, in alia apud eundem Euangelistam parabola, Regnum cœlorum assimilatur decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Vbi per quinque Virgines prudentes, designantur iusti, & electi. Et per quinque fatuas, mali, & reprobi. Nihilominus omnes ille ad Regnum cœlorum, id est præsentis ecclesiæ statum, ac numerum pertinent. *Ecclesia ex bonis, & malis constat.* Illud igitur omnibus perspicuum esse debet, Ecclesiam Dei adhuc hic in acie stantem, & desudantem in agone ex bonis, & malis conflari, & esse aggregatam, triticumque, & zizania in se continere. Inde subditur. *Accedentes autem serui patrisfamilias dixerunt ei: Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, vis imus, & colligimus*

mus ea? Et ait illis. Non ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribus. Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum.

Homines Deum timentes ministri iustitiæ consulentes diuinam voluntatem, introducuntur ad explicandum tum pium eorum affectum, piam bonorum voluntatem ad extirpationem iniquorum, tum pium desiderium ad sciendum, vnde in mundo homines mali inter bonos. Et ait illis Iesus. Inimicus homo hoc fecit. Vbi per inimicum hominem, Diabolus intelligitur, omnis iustitiæ, & veritatis, Dei & totius humani generis inimicus. Qui & malitiam disseminare in ecclesiam, ac peruersos hæreticorum errores non cessat. Vocatur autem hic homo, quia (teste Gregorio) inter malos, & caput eorũ diabolum, tanta est vnitas, & conformitas, q̃ interdum membra appellantur, nomine capitis. Vt ibi: Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est. Interdum vero caput appellatur nomine membrorum, vt hic in Euangelio, diabolus nominatur homo. Ita pari modo, iuxta Augustini sententiã, inter bonos, & Christum caput eorum, tanta est vnio, & conuenientia, vt sæpenumero membra vocentur nomine capitis, vt in Psalmo. Nolite tangere Christos meos, &c. Aliquando vero assumit sibi personam membrorum, vt in illa voce cœlitus ad Saulum missa. Saule, Saule, quid me persequeris? Et rursus: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Nam tunc fideles Christum colentes, qui erant membra eius, Saulus mirum in modum persequebatur.

Cur diabolus dicitur inimicus hõ Gregor.

Ioan.8

August.

Sed quia supradixerat Dominus, quòd hominibus dormientibus venit inimicus homo, redarguitur negligentia prœlatorum, & ecclesiæ pastorum, qui alijs ad custodiam, & tutelam sunt deputati, qui cum deberent vigilare super gregem suum more Pastorum in nocte Dominicæ Natiuitatis custodientium vigilias noctis supra gregem suum, qui digni habiti sunt Saluatorem

Contra Ecclesiæ prælatos dormientes.

natum videre, dormiunt. Summus autem pastor, ac plurimi inferiores antistites non vigilantes, christicolarum salutem, vitam, libertatem, decus, & amplitudinem, cuncta denique commissa, & credita non animaduertunt, de salute hominum minime cogitant, vniuersæ religioni prospicere negligunt, miseram nostram conditionem non agnòscunt, tetras hæreticorum procellas quæ vndique impendent circunspicere minime volunt, sed ocio indulgere non desinunt. Ideo non est mirum si propter eorum dormitationem inueniat diabolus aditum, vt super seminet zizania in agro dominico.

Deinde interrogantibus eisdem seruis bonis, sollicitisque de conseruando bono semine domini sui, an irent, & colligerent zizania de medio tritici, atque eradicarent, respondet ipse dominus quòd nequaquam id tunc attentarent, ne volentes extirpare zizania, simul cum eis eradicarent, & triticum. Ex quibus verbis, Christus per clare documentum dedit ecclesiæ suæ (quemadmodũ nonnulli hæreticorum hostes ita pulcherrime fatentur. (Nam quoties peruersi homines, & improbi, vel etiam perditissima hæreticorum dogmata, imò, & ipsi hæretici non possunt commode sustolli, & de medio fidelium auferri, nisi imminente periculo, & graui scandalo, Ecclesięque damno. Quoniam huiusce tyranni, & Ecclesiæ hostes, quàm plures habent, complices suæ malitiæ ei adhærentes, per quos verisimiliter susci-taretur grauis seditio, & commotio in ecclesia Dei. Et fortasse cædes committeretur, & fidelium occisio. Tunc ad tempus tollerandi sunt hæretici, ac patienter ferendi ecclesiæ persecutores, quousque occurrerit hora eos legitime puniendi, & extirpandi absque scandalo, & fidelium discrimine. Proinde iussit dominus seruis suis vt sinerent vtraque, & triticum, scilicet, & zizania crescere in agro suo vsque ad messem, quæ est consummatio seculi huius. Quoniam ad finem vsque mundi, mali cum bonis, hæretici cum catholicis hic permixti extant in ecclesia, non sine prouida

Quõ ad tẽpus tollerandi sunt hæretici.

Dei

Dei dispositione. Nam (vt ait Augustinus) omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per ipsum boni exerceantur. Et, teste Gregorio, Abel esse non valet, quem Chaym malitia non exercet. Etiam vsque ad finem mundi erunt praua hæreticorum dogmata inter piam, fidelium, & veram doctrinam disseminata, cum scribat Apostolus. Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Siquidem permittit Deus hæreses inualescere ad maiorem fidei elucidationem & vt ea occasione fideles se diligentius exerceant scripturarum sacrarum studio, ad eas rectæ intelligendas, ad confutandos hæreticos, & defensandam fidem Ecclesiæ sanctæ.

Cur mali uiuunt secundum August. Gregor.

1. Cor. 11.

Sed econtrario sensu id dominus insinuat, quòd vbi nullum est periculum, aut timor eradicandi triticum cum zizania, siquis attentet tollere illa, tunc licite potest, quinimo, & de medio tritici zizania debet auferri. Ex quo consequens est, quòd vbi sine scandalo, aut fidelium periculo, possunt hæretici legitime puniri, ne ceteros inficiant. Siquidem Moyses propheta domini, & vir mitissimus inter omnes, agnoscens populum Israël adorasse vitulum conflatilem, ex præcepto domini, dixit filijs Leui. Ponat vir gladius super femur suum. Ite, & reddite de porta vsque ad portam, per medium castrorum, & occidat vnusquisquam fratrem suum, & amicum suum, & proximum suum. Quod, & factum est. Et ceciderũt in die illo quasi viginti tria millia hominum. Ipsi autem hæretici cum suum erigant idolam, & spiritualem committant idolatriam, recusantes venerari sacratissimam Dei matrem, negantes sanctos posse pro nobis intercedere in cœlis, sacras quoque sanctorum imagines irridentes, contra totius ecclesiæ ac sanctorum patrum decreta, nonne sunt, & ipsi vbi id commode fieri potest consimiliter extirpandi?

Exo. 32.

Rursus idem etiam vir Dei, & legislator postquam fornicatus est populus, Israël cum filiabus Moab, & adorauit Deos eorum, dixit ad iudices Israël. Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beëlphe

Num. 25. gor. Quod incunctanter est factum. Et occisa sunt in illa die viginti quatuor milia hominum. At hæretici fornicationem spiritualem committunt. in illam alios inducere conantes, quando à fidei sinceritate, & veritate iustitiæ quos possunt auertunt, & abducunt à vero Dei cultu, negantes immaculatam illam hostiam, & suauissimum illum calicem, persuadentes nec illam in carnem conuerti, nec hunc in verum Christi sanguinem immutari. Sunt igitur & ipsi ea pœna digni.

Exod. 22. Præterea, dixit Dominus ad Moysen. Maleficos non *Leuit. 20.* patieris viuere super terram. Et in Leuitico: Qui maledixerit patri suo, vel matri suæ, morte moriatur. Hęretici autem sunt publici malefactores, animas hominũ suo veneno inficientes, ipsi quoque & patri suo summo Pontifici, ac ecclesiæ Præpositis, necnon & matri suæ ecclesiæ sanctę maledicunt, animarum supplicia per nulla ipsius summi Pastoris opera, vel amoueri, vel diminui posse dictitant. Sunt igitur ipsi (seruato ordine iuris) morte plectendi, ne alios eodem veneno inficiant.

Num. 7. 16 Proinde legitur in libro Numeri, Dominum seditiosos viros Chore, Dathan, & Abiron hac insolita, & inaudita punisse pœna. Nam aperta est terra sub pedibus eorum, & absorbuit eos viuos in Inferno, necnon & igne de cœlo misso, consumpsit ducentos, & quinquaginta viros eorum complices qui thuribula tenebant ad offerendum incensum. Hæretici vero, asserentes omnes Christianos esse sacerdotes, seditionem non modicam incitant inter fideles, & scissuram inter eos faciunt, tunicam Christi inconsutilem (quod ne Romani quidem milites facere tentarunt) discindere conantur, cum neque Sanctos honorandos, neque sanctorum numina imploranda, neque illorum statuas seruandas, neque vota persoluenda autument, sed ecclesiæ auctoritatem diminuant, summi Pont. dignitatem submoueant, submota labefactent, labefactatam in nihilum redigere contendunt. Quam confessionem appellant, audaciter despiciunt. Nonne igitur hi hæretici sunt iure puniendi? Nisi vtinam resipiscant.

Aduersus hæreticos Lutheranos

Item,

Item, consulerat Moyses dominum, vt in Leuitico fertur, quid agendum foret de vno filiorum Israël, qui blasphemauerat nomen Domini. Cui ille. Educ blasphemum extra castra, & lapidet eum populus vniuersus. At hæretici lutherani multipliciter in Deum blasphemant, ipsum Deum factionibus obnoxium credentes, eiusdem quam prædestinationem vocant antiquæ nostræ libertati necessitudinem inferre arbitrantes, impossibilia Deum præcepisse putantes. Igitur lapidari, vel comburi merentur. *Leuit. 24.*

Insuper, in Deuteronomio legitur, dominum dixisse Moysi. Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferas malum de Israël, cunctusque populus audiens, timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Et infra: Filius contumax, & proteruus, ac rebellis in parentes, iubetur ad iudices vrbis à parentibus duci, & accusari, eorumq; sententia lapidibus obrui. At quoniam recentiores hæretici superbia intumescentes nolunt obedire summo Pontifici, & in Ecclesiam matrem suam sunt contumaces. Siquidem summi apud fideles sacerdotis decreta contemnunt, & ecclesiæ statuta de ieiunijs, abstinentia à carnibus, ac diebus festis celebrandis subsannant. Nulla egregia opera meritoria fore autumant, sed solius fidei ope quemlibet æternam beatitudinem promereri fatentur. Nil ingenuum, nil præstans, & conspicuum in nobis relinquentes, omnimodam in rebus præclaris perficiundis, libertatem auferunt, tanquam non Dij essemus, & filij excelsi omnes. Sunt igitur, & ipsi similiter puniendi. *Deut. 17* *Deut. 21.*

Rursus, ipse Dominus cum inuenisset ementes, & vendentes in Templo, facto de funiculis flagello, eiecit eos cum seueritate de Templo Domini, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium, columbasque subuertit. Idem quoque secundo id fecit paulo ante passionem suam cum intrasset Hierusalem sedens super Asinam, vt tres alij. Matthæus, Marcus, & Lucas Euangeliste *Ioan. 2.*

geliste

gelistæ fatentur. Suo igitur exemplo nos docuit scelera tos, & publicæ criminosos, hæreticos quoque fore etiam publice puniendos purgatorium non reperiri proclamantes, mortuorum animas omnibus viuentium suffragijs destitutas tabescere iudicantes, omnia ridentes, contemnentes, & lacerantes.

1. Corin. 5. Denique Apostolus Paulus Corinthium fornicatorem, & incestum, qui nouercam patris sui duxerat vxorem, tradidit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fieret in domino. Pariter, & Hymenæum *1. Timo. 1.* & Alexandrum (vt scribit ad Timotheum) tradidit Sa- *Act. 5.* thanæ, vt discant non blasphemare. Beatus quoque Apostolus Petrus, Ananiam primum deinde Saphiram eius vxorem subita morte prostrauit ob mendacium, & fraudem factam in pecunia agri ipsorum venditi. Eorum igitur exemplo, puniendi sunt publici malefactores, & hæretici. Et si his temporibus ob potentes eorum fautores extirpari, ac puniri minime possint, in consumatione seculi, Dominus ipse dicet messoribus, id est Angelis suis, vt colligant zizania in fasciculos ad comburendum, hoc est malos, & hæreticos separent à iustis, & mittant in caminum ignis gehennæ. Triticam autem colligant in horreum suum, id est bonos, ac iustos introducant in regnum cœlorū.

Quō mali punientur in fine.

Dominica Septuagesimæ, super Euangelium, pulcherrima expositio.

DIxit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis. Ite, & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa vndecimam

vero horam exijt, & inuenit alios stantes, & dixit eis. Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis. Ite, & vos in vineam meam. Per regnum cœlorum præsens designatus ecclesia hic in terris congregata. Ratio autem cur ecclesia hæc licet in miserrima vita multis iactata fluctibus regnũ tamen dicatur cœlorum, reddi potest huiusmodi. Primo, quia est Deo, siue diuino cultui dedicata, & propter continuam assistentiam Christi sui sponsi, perpetuam ue mansionem spiritus sancti, & quia tantum in ea, nulloque modo extra eam potest quis saluari, sancteque, ad salutem viuere. Secundo quoniam Christus in ea per fidem regnat, idque adeo esse verum testatur Apostolus, sic de Deo patres loquens. Qui nos eripuit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum. Hoc est ex gentilitatis caligine tenebrosa nos transtulit in ecclesiam catholicam, quam hic regnum suum appellat. Ita ad Corinthios ait. Cum tradiderit regnum Deo patri, regnum inquam in quo nunc regnat per fidem, traditurus est Deo patri in die nouissimo, vt qui eius regni fuerant, eos remuneret in æterna beatitudine, sicut Augustinus pulcherrime exponit. Tertio, ecclesia regnum cœlorum merito debet appellari ratione originis, conseruationis, & finis. Ratione quidem originis, quia de cœlo venit, teste Ioanne, qui ait, Ecce ego Ioannes vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem de throno dicentem mihi. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Item ratione conuersationis, quia omnes qui in ecclesia viuere volunt, sicut Deo placeant vitam oportent viuant diuinam, & Angelicam, sicut Apostolus ait. Nostra conuersatio in cœlis est. Similiter, & ratione finis. Siquidem hæc militans in terris ecclesia ad illam tendit triumphantem, quoniam iuxta Apostoli dictum, nullam habemus hic ciuita-

Ecclesia cur dicitur regnum cœlorum.

Collossen. 1.

Paulus.

August.

Apoc. 21.

Philip. 3.

ciuitatem permanentem, sed aliam futuram inquirimus.

Primus paterfamilias Paterfamilias huius regni est Deus, & tota trinitas personarum. Quinimò & quælibet persona, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, cuius magna est familia in cœlo, in terra, & sub terra. Si ergo per patremfamilias intelligamus primam personam in diuinis, scilicet, Patrē: ipse exijt primo mane, quia tempore æterno exiuit ad generandum vnigenitum Filium suum, vt suam ostenderet sapientiam. De quo in Psalmo ait: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Salomon quoque in persona filij Dei: Dominus, inquit, possedit me in initio viarum suarum, &c. Exijt hora tertia, quando quæsiuit, Adam clamans. Adam vbi es? Ostendens magnitudinem scientiæ suæ. Exijt hora sexta, quando totum perfecit vniuersum; ad ostendendam altitudinem omnipotentiæ suæ. Quo tempore etiam dixit ad Chaym. Vbi est Abel frater tuus? Ecce vox sanguinis eius clamat ad me de terra. Exijt hora nona, cum dixit. Pœnitet me fecisse hominem. Et misit diluuium in terra, saluans tantum octo animas in Archa. Exijt hora vespertina, quando respexit Sodomam, & ait ad Abraham. Clamor Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, &c. ostendens iustitiam suam, sicut supra in Archa bonitatem misericordię suæ palàm insinuauit.

Prouerb. 8.

Gen. 18.

Secundus paterfamilias. Si per patremfamilias, intelligamus secundam personam in diuinis, scilicet filium, tunc ipsæ exijt primo mane, quando æternaliter à patre genitus fuit, de quo propheta Michæas. Egressus eius ab initio, & à diebus æternitatis. Exijt hora tertia, quando de cœlo descendit ad terram naturam humanam, ac nostram infirmitatem assumens, dicente Ioanne: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti &c. Ipse enim tanquam sponsus processit de thalamo suo. Exijt hora sexta, de Mundo ad Inferna descendens, ipso attestante, qui ait.

Mich. 5.

Ioan. 1.

ait. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ. Exijt hora nona, quando liberatis captiuis, & portis æreis confractis, tertia die resurrexit à mortuis. Exijt hora vespertina de mundo, cum iterum reuersus est ad patrem, ipso dicente: Ego veni in mundum exiens à Patre, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. De quo exitu clamarunt Angeli. Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? Hic Iesus, qui assumptus est, &c.

Matth. 12. *Ioan. 16* *Act. 1.*

Si per patremfamilias intelligamus tertiam personam in diuinis, scilicet, Spiritum sanctum, ipse exijt primo mane, quando Spiritus ipsæ sanctus Domini ferebatur super aquas. Exijt hora tertia, quando accessit ad prophetissam, quæ concepit, & peperit filium dicente Angelo ad eam. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi. Exijt hora sexta supra Christum baptizatum, quando cœli aperti sunt, & vidit Ioannes spiritum Dei descendentem sicut columbam, & manentem super eum. Exijt hora nona, quando apparuit in transfiguratione sub forma nubis. Nam Christo loquente: Ecce nubes lucida obumbrauit Apostolos, & ecce vox de nube, dicens. Hic est filius meus dilectus, &c. Exijt hora vespertina, quando factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant Apostoli sedentes. Et apparuerunt illis dispartite linguę, tãquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c.

Tertius paterfamilias *Isa. 8* *Luc. 2.* *Matth. 3.* *Matth. 17*

Sed ad litteram secundum Spiritus sancti veriorem intelligentiam, per patremfamilias intelligitur Deus, vel Christus Iesus, qui vniuersam regit, & administrat ecclesiam, qui domum habet amplissimam, cœlum enim, & terram, inquit, ego adimpleo. Vinea illius, vt Gregorius ait, vniuersa est ecclesia, quæ ab Abel iusto, vsque ad vltimum electum, qui in fine mũdi nasciturus est, quot Sanctos protulit, tot palmites misit. Vel vinea est lex Christi, lex amoris, & gratiæ, lex viæ veritatis,

Gregor.

& vitæ. Lex libertatis, sex fidei perfectæ, quæ plenam in Deo fiduciam secum trahere debet, consumantemque charitatem. Et nota, quòd isti quinque exitus patrisfamilias ad mittendum operarios, solicitudinem diuinam diuersis temporibus, diuersique ætatibus congruis ad conuertendum homines significant. Christus enim voluit quosdam in infantia, alios in peritia, alios in iuuentute, & virili rursus ætate, alios etiam in extrema demum senectute incipere seruire Deo, & pie religioseque viuere. Quo fit vt omnino docere hic velit Christus, quomodo quidam iuuenes, quidam etiam senes veniant ad colendum Deum, ne sic qui à iuuentute seruiunt Deo, vel superbiāt inflati, vel alios præ se contemnant. Et ne quis desperet etiam in ætate senili constitutus, modo se conuertat ad Deum, tunc enim perfectum salutis recepturus est mercedem. Et hæc est sententia Chrysostomi, & Theophilati, in quam etiam Hieronymus concurrit. Nam aliqui fuerunt vocati à Deo primo mane, scilicet ab infantia tam in veteri quam in nouo testamento. Vt Samuel, Hieremias, Nicolaus, Ioannes Baptista, qui ait. Dominus ab vtero vocauit me &c. Aliqui hora tertia, scilicet ab adolescentia, vt Daniel, Stephanus, Paulus, sicut ipsæ ad Galathas scribit. Complacuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiā suam, vt reuelaret filium suum in me. Alij vero hora sexta vocati sunt, scilicet, à iuuentute vt Abraam, Moyses, Dauid, Maria Magdalena, & quàm plures alij. Nonnulli autem hora nona, scilicet in senectute vel virilitate, vt Apostoli, & septuaginta duo discipuli. Quosdam insuper hora vespertina, id est in fine vitæ, vt latronem, & alios &c. Gregorius præterea prædictas horas & quinque hos exitus applicat ad diuersas vnius hominis ætates, in quibus Deus, vel Christus Iesus ad se vocat illum ad elaborandum in vinea sua per exercitium bonæ vitæ. Siquidem per mane iuxta hanc horarum acceptionem intelligitur pueritia, in qua & virium corporis, & agnitionis crementum inchoatur,

Quinque exitus, ad quinque vnius hominis ætates referūtur.

Galat. 1.

Gregor.

tur. Per horam tertiam, adolescentia, siue iuuentus, in qua & corporis robur, & rationis vigor, maius accipit incrementum. Per sextam horam virilis ætas accipitur, vbi & corporis status, & animæ cognitio, completam, sicut Sol lucens in meridie, recipit perfectionem. Per nonam horam designatur senectus vel senium, in quo & ipsa corporis virtus, & cognitionis acumen decrescit. Paulatimque diminuitur, quemadmodum Solis Meridiem prætergressi calor, & fulgor feruere desinit. Demum per horam vndecimam decrepita significatur ætas, in qua iam viribus corporis, & animæ faticescens homo, tendit ad occasum, & mortem. In qualibet tamen prædictarum ætatū Deus eundem hominum vocat ad suum obsequium, gratia, & liberalitate sua.

Quinque exitus, ad quinque vnius hominis ætates referuntur

Diuus etiam Gregorius, hos quinque exitus patris familias ad diuersas totius mundi ætates referre conatur, quibus à Deo missi sunt sancti patres, & viri doctrina, ac virtute præstantes ad fidelis populi gubernationem. Siquidem primo mane significat tempus ab Adam, vsque ad Noë, in quo fuerunt à Deo missi cultores vineæ suæ, qui tunc temporis homines ad Deum dirigerent. Per horam vero tertiam, accipitur tempus à Noë, vsque ad Abraam, in quo etiam non defuerunt operarij domini in vinea eius. At per horam sextam, decursus mundi designatur tempus, ab Abraam, vsque ad Moysen, in quo sancti patriarchæ, Abraam, Isaac, Iacobo, Ioseph, Melchisedech, & alij quàm plures exercuerunt sollicitum laborem ad excolendam vineam domini, dirigendumque fidelem populum in verum vnius Dei cultum. Sed hæ quidem tres horæ transactæ sunt sub decursu legis naturæ ante datam legem scriptam. Deinde per horam nonam hic designatur tempus à Moyse, vsque ad Christum, in quo sub lege scripta misi sunt duces populi & iudices, reges itidem, & sancti Prophetæ ad dirigendum populum Domini in viam veritatis, & iustitiæ. Postremo per vndecimam horam signatur tempus ab aduentu

Gregor.

Quinque exitus horarum ad quinque mundi ætates referuntur.

Christi, vsque ad consumationem seculi, in quo sub Euangelica lege missi sunt Apostoli,& Discipuli Christi, cæterique doctores, & concionatores eruditissimi ad vocandum omnes ad fidem Christi, & Dei cultum, & præcipue Gentiles, qui tota die ociosi stare dicuntur, & cur id faciāt, interrogantur, quoniam per multa tem porum curricula, videlicet, vsque ad vniuersalem Apostolorum prædicationem, à veri Dei cultu vacarunt, ab hominandis ritibus dediti, idolatriæ operam dabant. Ipsi vero responderunt hanc fuisse causam, quia nemo eos conduxerit ad vineæ culturam. Siquidem neque per legem, neque per Prophetas ad eos missos vocati ante fuerant ad Dei agnitionem. Et tamen post Iudæos diu tius ante vocatos,& ipsi palmites vineæ facti sunt, quē admodum de eis prædixerat Isaias. Quia inquit, quibus non est narratum de eo viderunt, & qui non audierunt, contemplati sunt. De eisdem quoque Propheta Dauid, loquens in persona Christi, sic ait. Constitues me in caput gentium. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Rursus, dominus per Oseam. Vocabulo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam meam, dilectam meam,&c.

Isa. 52. *Dauid.* *Oseæ 2.*

Aliter diuersitas horarū describitur.

Aliter hæc varietas horarum,& isti quinque patrisfamilias exitus, possunt iterum comparari ad supradictas mundi ætates. Nempe Deus primo mane, id est prima hora diei quæ fuit ab Adam, vsque ad Noë, exijt quando primum hominem creauit ad imaginem,& similitudinem suam, præcipiens ei dicens. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, &c. Et ita placuit Deo per obseruantiam præceptorum primos parentes in paradiso delitiarum tanquam in vinea domini operari. Exijt hora tertia. s. a Noë, vsque ad Abraam, per Archam,& lignū fœderis, per quod Christus figurabatur, qui Deo patri totum genus reconciliauit humanum. Exijt hora sexta scilicet ab Abraam vsque ad Moysen, cum præcepit populum suum circuncidi, vt discerneretur ab alijs. Exijt

hora

hora nona, videlicet, à Moyse, vsque ad aduentum Christi, quando leges dedit, & præcepta, secundum quæ Iudæi viuere tenebantur, & operari. Exijt hora vespertinæ, scilicet ab aduentu Christi, vsque ad finem mundi, quando filius Dei de sinu patris descendens in mundum, voluit in vtero virginis assumere carnem, & dedit Euangelicam legem, per quam Christi fideles in vinea domini opera meritoria efficere possunt.

De Denario diurno.

DEnarius diurnus beatitudinem designat æternam. Primo, ratione nominis. Denarius enim à decem deducitur, & quoddam salutis nomen denarium esse olim, dixit Origenes. Denario autem illo decem præceptorum seruatorum merces designatur. Secundo, ratione figuræ, quia in denario est sphærica figura, vbi principium, & finis inueniri minime possunt, denotans æternæ vitæ perfectionem, ac plenam æternitatis possessionem. Tertio, ratione imaginis. Denarius nanque impressam sibi habet Cæsaris, vel alterius principis imaginem, quemadmodum imago Dei expressa erit in beatis, & electis, qui denarium æternæ recipient beatitudinis. Quarto, ratione scripturæ, iniquo notatur plena, & perfectissima veritatis cognitio. Dicitur autem denarius diurnus, tum quia tota vita præsens quasi vna dies, in qua nunquam à bono opere est desistendum, reputatur, tum quia non nisi operanti in die gratiæ, & non in nocte culpæ redditur, tum quia in die gloriæ primo dabitur pro labore vnius diei totius vitæ nostræ, quæ est tantum vna dies, ex mane iuuentutis. & vespere senectutis composita.

Denarius q̃uo vitam figurat æternam.

Sed hic diligenter consideranda sunt Gregorij verba dicentis. Fratres, quid nos à bono operæ cessantes in excusatione nostra dicturi sumus, qui pœnæ à matris vtero, ad fidem venimus, qui verba vitæ ab ipsis cunabulis audiuimus, qui ab vberibus sanctæ matris ecclesiæ potum sanctæ prædicationis accepimus, qui

Pulchra Gregorij sententia.

pignus æternæ vitæ sumpsimus, scilicet, sacramenta. Obsecro vos fratres charissimi, quando in die nouissima, iudicio nos sistet dominus, dicetque nobis. Cur tota die, ociosi stetistis? Quid tunc dicemus? Quomodo nos excusabimus? Non poterimus vtique dicere cum Gentilibus quia nemo nos conduxit. Omnes enim nos constituti sumus operarij in vinea Domini. In baptismate nanque Diabolo renunciauimus, & pompis eius, & iurauimus adhærere Christo, qui suo sanguine nos redemit. De ignorantia nos excusare omnino non possumus, cum scripturas habeamus, totque prædicatores, vt nullus excusationem inuenire valeat, Sed, uæ uobis ingratis implebitur illa sententia Christi. Seruus sciens voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Laboremus igitur exacte in vinea Domini, & præcipue propter id, quod subditur. *Cum sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cum venissent ergo qui circa vndecim im horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem, & primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi. Acceperunt autem, & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes. Hi nouissimi vna hora feeerunt, & pares, illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus. At ille respondens vni eorum dixit. Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum, tolle quod tuum est, & vade. Volo autem, & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere, an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.* Vesper geminam habet intelligentiam. Siquidem, & suus cuique homini est vesper, mors ipsa, in qua omnes iudicabimur, quandoquidem iuxta Pauli sententiam constitutum est omnibus hominibus semel mori. Deinde etiam de totius mundi vespero intelligi hoc idem potest. Mundi enim cum iam imminebit consumatio, omnes homines ad iudicium conuocabuntur hac voce. Surgite mortui, venite ad iudicium.

Luc. 12.

Duplex vesper.

iudicium. Quamobrem si hæc diuersitas horarum ad alias, aliasque diuersorum hominum, vel ad vnius hominis ætates referatur, vesper hic quoque pro morte cuiuslibet hominis erit accipiendus. Et tunc procurator sanctus Michael erit Archangelus, cui data est potestas à Deo suscipere animas hominum sub mortis horam, & singulorum ponderare ad iustum lancis examen merita, ipso dicente Archangele Michael constitui te principem super omnes animas suscipiendas. Quare animas electorum Christo iudici, & æterno lumini repræsentat, sicut de ipso canit ecclesia. Signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam.

Vesper pro hominis morte.

Archang. Michael procurator

Si autem hæc diuersitas horarum ad varias mundi ætates referatur, hic vesper, de mundi consumatione veniet intelligendus. Et tunc procurator erit Christus secundum naturam assumptam, qui secundum diuinitatem est paterfamilias. Quia quemadmodum Christus ianua simul est, & ianuæ custos, ita, & paterfamilias, & procurator appellatur. Dicit ergo paterfamilias procuratori, voca operarios, & redde illis mercedem, idest Deus pater Christo suo committit, qui omnes homines conuocaturus est in diem nouissimum, vt singuli eorum recipiant iuxta merita sua, quoniam pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.

Procurator quomodo est Christus

Ioan. 5.

Per denarium autem quem singuli accipiunt, beatitudo designatur æterna, vt ante dictum est. Hæc autem æqualis est omnibus quantum ad eius essentiam, idest quo ad beatificæ visionis obiectum, quod est vnum, & idem omnibus, scilicet diuinitas. Nam Gentiles qui tardius ad fidem vocati sunt, & venerunt, quàm Iudęi, eam æqualiter cum eis perceperunt. Et qui tarde, vt prope exitum vitæ suæ, & ad horam vndecimam vocati sunt ad vineam illam, æqualem beatitudinem obiectiuam accipiunt, cum his qui à puerili quo inceperũt in vinea domini laborare. Quemadmodum Latro in cruce vocatus à Domino, eam habuit sicut, & Ioannes Baptista.

In hoc igitur omnes æqualiter sunt beati, quoniam vnam omnes obiectiuam habent beatitudinem essentiam Dei, de qua Christus apud Ioannem ait. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, &c.

Ioan. 17.

Rursus omnium Sanctorum æqualis est beatitudo, quoniam æque omnes sunt contenti. Nullusque eorum plus appetit felicitatis, quàm habet. Quemadmodum, & si vasa plura reperiantur in æqualis capacitatis, seu magnitudinis, æquæ tamen omnia plena, nullum vtique eorum plenius est altero, & tamen aliud alio plus capit. Ita quilibet beatus gloria plenus est, & beatitudine, secundum suam compræhensibilitatem, & capacitatem. Quemadmodum Dauid ait. Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Dauid.

Iterum, æquales sunt beati ratione durationis, quoniam nullius sancti beatitudo minus diuturna est, quàm alterius. Siquidem omnibus æque infinita est, & perpetua. Nanque minimus est infantulis innocentibus, non minus in perpetuum essentiam diuinam videbit, quàm vel sanctus Paulus, vel Ioannes, quoniam de omnibus verum est illud sapientis dictum. Iusti in perpetuum viuent, & apud dominum est merces eorum.

Sapien. 5.

Sed iusta meritorum conditiones, & qualitates, assignantur tamen electis præmiorum diuersitates secundum illud Christi verbum. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Dicit etiam Apostolus. Alia claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum. Et sicut stella differt à stella in claritate, ita, & resurrectio mortuorum. Sanctior quippe, & beatior est virgo Maria quacunque alia virgine. Ex quibus omnibus palam insinuatur qua ratione beatitudines omnium Sanctorum æquales sint & inæquales. Beatitudo enim essentialis est omnibus æqualis. De accidentali vero dubium non est quin sit inæqualis.

Ioan. 14.
1. Cor. 15.

Quomodo beatitudo est æqualis, & inæqualis.

Et si quispiam quærat, quomodo Sancti murmurare possint aduersus patremfamilias, quia vbi est summa charitas in illa cœlesti patria inuidere fas non est, cum

cum vnusquisque Sanctus gaudeat de præmio alterius. Dicendum est Christum his verbis palam insinuare voluisse passiones huius mundi, labores quoque non esse condignos illos summæ beatitudinis denario. Ideo si eundem denarium dat primis,& nouissimis,& econuerso:nulli iniuriam facit,quia vltra condignum vtrisque præmium, & stipendium impendit. Itaque omnes gratias agere tenentur. Vel aliter dicendum est, quòd murmuratio Sanctorum illa,non est turbationis, rancoris,impatientiæ,vel inuidiæ,sed vehemens replicatio proprie causæ,seu admirationis eruptio, procedens ex zelo iustitiæ. Dicuntur itaque murmurasse, vel quia dilationem dolenter sustinuerunt secundum Gregorium, vel quia de magnitudine liberalitatis, pietatis ue diuinæ tantum de præmio dantis nouissimis, vt eis vehementer mirantur. Nihilominus vnusquisque beatorum de sua felicitate plenissimæ contentatur. *De murmurantibus uersus patrem familias &c.* Gregor.

Ex dominicis verbis sequuntur præpositiones, quarum prima est, quòd omnibus Christi fidelibus adultis circa fidem,necessaria sunt opera bona quoniam in omni ætate,in omni ue tempore vitæ hominis, Deus vocat operarios in vinea suam. Nam,teste psalmista,Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.Et alio in loco. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, &c. Christus quoque hortatur nos ad bene operandum dicens. Operamini dum tempus est. Venit nox quando nemo poterit operari.Rursus.Non omnis qui dicit mihi domine, domine,intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei.Et infra. Si vis ad vitam ingredi,serua mandata. Supra enim dixerat. Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Apostolus quoque ad Romanos. Gloria, honor, & pax omni operanti bonum. Ad Galathas insuper hortatur nos ad bene operandum dicens. Quæ seminauerit homo, hæc,& metet. Et paulo post. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus. Et inde *Prima propositio.* Ioan 9. Matth. 7. Matth. 9. Matth. 5. Rom. 2. Galat. 6.

concludit. Ergo dum tempus habemus operemur bo-
2. Petri 1. nú. Hinc Petrus Apostolus. Fratres, Satagite vt per vestra bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. At quoniam Angeli, & homines creati sunt ad bene operandum, oportet igitur operibus bonis insistere, & his in vinea domini laborare.

Secunda propositio. Secunda propositio, opera bona non tantum sunt nobis necessaria, sed his cum fide iustificamur, dicente Christo hic in Euangelio. Quod iustum fuerit dabo vobis. Item, Beati pauperes, beati mites, beati qui persecutionem patiuntur. Si beati, igitur iusti. Et in euangelio Lucæ. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Ideo Apostolus. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cui Iacobus fauet cum dixit. Abraam pater noster, nonne ex operibus iustificatus est. offerens filium suum Isaac super altare? Respexit igitur Deus ad Abel, & ad munera eius, iustificando ipsum per fidem, & opera.

Matth. 5. Luc. 11. Rom. 2. Iacob. 2.

Tertia propositio Tertia propositio, ex operibus bonis (diuina fauente gratia) quilibet etiam ex debito iustitiæ meretur vitæ æternæ mercedem. Hanc propositionem approbat Christus in hoc Euangelio dicens, Voca operarios & redde illis mercedem. Eo quòd paulo ante dixerat, Et quod iustum fuerit dabo vobis. Merces nanque dicitur alicuius meriti merces. Sunt enim correlatiua, ideo simul natura. Supra etiam dixerat, (octo beatitudinibus enumeratis) Gaudete, & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. Et idem dominus in Apocalypsi. Ecce ego venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua. Remunerabit enim opera misericordiæ in extremo iudicio, cum dicet. Venite benedicti patris mei possidete vobis paratum regnum à consttutione mundi. Et in Euangelio Ioannis. Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Ideo Apostolus Paulus ad Timotheum sic ait. Dignus est operarius mercede sua. Et ad eundem

Matth. 5. Apoc. 22. Matth. 25. Ioan. 5. 1. Timo. 5.

de

de seipso clamat. Bonum certamen certaui, cursum con summaui, fidem seruaui. Ideo reposita est mihi corona iustitiæ, id est operis mercedem. Et nota, quod merces non computatur ex natura, & condictione intrinseca operis, & præmij, cum maius sit præmium, quam meritum, sed ex conuentione facta, & vocantis promissione. Sed de his omnibus libro disputationum in tractatu de fide, & operibus, satis abundæ locuti sumus. Deinde subditur. *Sic erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Per se iam pater hoc Christi verbum. Iudæi enim primi fuerunt, & omnino populus electus. Gentes autem quæ contemptui tunc habebantur, vix postremo venerunt, & tamen de eis sic loquitur Petrus Apostolus. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Paulus quoque: Gentes inquit quæ non sectabantur iustitiam apprehenderunt iustitiam. Israel vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Petrus enim nonne vocatus est cito, & tamen latro ante eum in cœlum peruenit? Et quot sunt quia à iuuentute, & primis statim annis incipiunt seruire Deo, atque deinde resiliunt subito sicut Saul. Et vicissim plurimi qui cum sint in cultu diuino postremi, vix tandem incipiunt in vltima ætate ad Deum redire, fiuntque sic primi in obseruatione, & timore Dei. Tales enim, & quamplures contingunt rerum humanarum vicissitudines, &c. Postremo concludit. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quemadmodum Gedeon plures ad bellandum vocauit, sed paucos elegit quos secum duxerat. Et sicut Cardinales ad electionem vocantur, sed vnus eligitur. Ita ad vitam æternam omnes à Deo vocantur, sed pauci eliguntur. Non ex defectu Dei, sed eorum, qui diuinis inspirationibus, & vocationibus acquiescere nolunt. Ex quo manifeste constat, quòd maior est numerus reproborum, quam electorum. Nempe, & si totam scripturarum seriem discurrere libet, hoc idem reperiemus. Postquam enim magnus, & omnipotens Deus hunc visibilem mundum sua infinita poten

Marginal notes: 1. Thim. 4. — 1. Petri 2. — Rom. 9.

Maior numerus reproborum, quàm electorum. potentia creauit, semper longe plures fuerunt impij, & reprobi, quàm boni. Pauci, imò paucissimi sunt sancti, electi, & prædestinati. Multi quinimò plurimi (vt verum fatear) fuerunt omni tempore, sunt & erunt præsciti, & mortis rei, teste Apostolo qui ad Romanos ait. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris (vt inquit Isaias) reliquiæ salue fient.

Rom. 9.

Gen. 7. Tempore magni diluuij tantum octo animæ saluari meruerunt, reliqui perierunt omnes.

18. In ciuitatibus Sodomorum decem homines iusti, digni ad placandam iram Dei inueniri minime potuerunt. Sed vt scriptura fatetur, omnis caro corruperat viam suam.

25. Plures fuerum filij Hysmaelis qui reprobos figurabant, quam filij Isaac verum, ac fidelem populum significantes. Plures quoque filios suscepit Abraam de Agar, quàm de Sara.

37. Inter omnes fratres Iosephi, tantum Ruben & Iudas voluerunt ipsum liberare, & reddere patri suo, sed præualuerunt mali ceteri fratres.

Num. 13. Moses misit exploratores in terram promissionis, quorum duo tantum fideles extiterunt & boni, cæteri autem populum in seditionem concitarunt.

Sexcēta millia pugnatorum egressa sunt de terra Ægypti, quorum tantū duo, scilicet Iosue & Caleph meruerūt ingredi terram promissionis, pereuntibus alijs propter eorum infidelitatem, & malignitatem.

2. Reg. 15. Maior pars populi sequebatur Absalonem regnum patris vsurpare nitentem, quàm Dauidem verum Regem bene, & iuste, regentem, & imperantem.

3. Reg. 12. Decem tribus Israelis Samariam habitabant, ferè omnes Idolis seruientes cum interim duæ tantum tribus sequerentur Deum altissimum in Iudæa.

3 Reg. 19. Tempore Helyæ omnis populus abnegauerat fidem Dei, excepto Helya, & paucis prophetis.

3 Reg. 20. Tantus erat numerus bellatorum regis Syrię infidelis, qui pugnabant contra Israel, vt Rex auderet dicere, puluerem Samariæ non sufficere pugillis eorum.

Tempore

Tempore Naman præfecti regis Syriæ, & viduæ Sareptanæ populus multus erat in Hierusalem infirmus & indigens, neminem tamen, sua pietate adiuuare Dominus dignabatur, præter Naamam, & viduam. 4. Reg. 4.

In exercitu Holophernis numerus bellatorum cooperuerat faciem terræ velut locuste, qui omnes, præter Achiorem, erant infideles, & reprobi. Iudith 2.

Tempore ærumnarum Thobiæ, Solus ipse repertus est in captiuitate qui Deum timeret, ceteri autem omnes ibant ad adorādum vitulos aureos quos fecerat Hieroboam Rex. Thob. 1.

Legitur in historia Hester totum populum adorasse impium Aman, præter Mardochæum, qui Deum colebat, & venerabatur. Hester 3.

Hieremias cum lacrymis clamās aiebat. Omnis populus qui habitat, in terra Aegypti cum vxoribus suis sacrificat reginæ cœli, & Deos adorat alienos. Hiere. 44.

Ezechielem quoque alloquebatur Dominus, dicens. Fili hominis, cum scorpionibus habitas & subuersores sunt tecum. Ezec. 1.

Tempore regis Nabuchodonosoris omnes adorabant statuam regis, præter Danielem, Ananiam, & Azariam, qui splenduerunt in fornace ignis ardentis. Dan. 3.

Hinc Dominus ait. Lata est via quæ ducit ad perditionem, & multi incedunt per eam. Matth. 7. Cui fauet parabola eiusdem dicentis. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari. Et alia quoque. Exijt qui seminat seminare semen suum. Luc. 8.

Cum traderetur crucifigendus Dominus Iesus pro omnium salute, tota Hierosolymorum vrbs aduersabatur ei clamans. Non hunc, sed Barrabam dimitte. Ioan. 18.

Præterea, quidam Iudæi quos Paulus Romæ inuenit in primo aduentu suo dixerunt ei. De secta hac Christianorum notū est nobis, quod vbiq; ei contradicitur. Act. 28.

Paulus denique clamat. Non omnes obediunt Euangelio. Liquet igitur testimonijs tam veteris, quàm nouæ legis, maiorem esse numerum reproborum, quàm electorum.

Et si

Obijcitur. Et si quispiam obijcit omnia agentia naturalem habent inclinationem ad agendum secundum bonitatem & suæ naturæ proprietatem, vt liquet de igne, qui cum sit callidus, semper naturaliter calefacit. Sol suapte natura lucidus, semper illuminat. Aqua sua naturali virtute infrigidat. Et alia id genus, Vnumquodque enim (teste Philosopho,) agit secundum optimum eorum, ꝙ reperitur in ipso. Cum ergo Deus perfectissimum habeat esse, sua naturali proprietate inclinatur ad operandum secundum id, quod est sibi essentiale, & connaturale. Deus autem, Clemens est, pius & misericors, semper pronus ad miserendum, veluti misereri sit sibi proprium, iuxta illud quod Ecclesia canit Deus cui proprium est misereri semper & parcere. Operabitur igitur Deus semper secundum infinitam misericordiam suam ad homines saluandos, dicente regio Propheta. Apud dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Et infra. Suauis dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Hinc Iacobus innuere volens plures saluari quàm damnari, ait. Misericordia domini super exaltat iudicium. Quinimo & ipse Dominus ait. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Psal. 129.
144.
Iacob. 2.

Rursus. Misericordia Domini est magna nimis ad instar alicuius corporis magni, tum propter altitudinem, & profunditatem, tum propter longitudinem, & latitudinem eius. Siquidem tam alta est vt cœlum petat, sanctos super omnia merita sua remunerando, iuxta Dauidis vaticinium. Magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua. Et alibi. Domine in cœlo misericordia tua, Est tam profunda, quòd vsque ad Infernum descendens Patres de Limbo eduxit, quorum quilibet clamare poterat. Misericordia tua magna est super me, quoniam eruisti animam meam ex Inferno inferiori. Est insuper tam lata, vt vniuerso se dilatet dicente Psalmista. Misericordia Domini plena est terra. Est denique tam longa, quòd ab æterno incepit, & est in æternum duratura, iuxta illud Psalmi. Misericordia

Quam magna sit misericordia Dei.

eius

eius ab ęterno,& vsque in ęternum super timentes eũ, Ex qbus videtur Deum pluribus misereriq; damnare.

Ad obiectionem dicendum est, quòd in Deo non magis viget misericordia, quàm iustitia. Est enim ita perpetuo iustus, sicut infinite misericors, licet in hac infima mundi machina, magis exerceat misericordiam, quàm iustitiam, qua etiam non vtitur nisi in adultis se se præparantibus ad illam. Vult nempe Deus qui omnes homines in libertate condidit, & constituit eos in manu consilij sui, suo libero arbitrio, libere vti. Quare qui se vltro disponunt ad gratiam,& misericordiam, saluantur. Qui vero non, minime saluari possunt. At quoniam plures proculdubio reperiuntur qui Christi fidei contradicunt, infideles, aut hæretici, quàm qui Christianam religionem profitentur, negliguntque ad gratiam capescendam se præparare, sed in peccatis, vsque in vitæ finem perseuerant, ideo non miremur si maior est numerus reproborum, quàm saluandorum. Quod profecto non Deo, sed liberæ hominum voluntati est ascribendum. Operationes nanque agentium naturalium (teste philosopho) nõ nisi in patiente bene disposito reperiuntur. Et id quidem experimur, quoniam cibus haud dispositum corpus minime nutrit. Mel quoque, dulce non apparet habentibus os amarum. Nec moriturum medicina curat, nec cœcorum oculos Sol illuminare valet. Magnes insuper non attrahit ferrum oleo linitum. Ita pijssimus Deus non operatur misericordiam suam in non disposita hominum corda, iuxta illud Trenorum. Opposuisti tibi nubem, ne transeat oratio. Quemadmodum enim substantialis quælibet forma ante requirit materiam bene dispositam vt introducatur ad informandum, sic diuina gratia ad anima spiritualiter informandam. Nam gratia, & peccatum opponuntur, nequeuntq. stare simul. Huiusmodi autem dispositio est in hominis facultate, dicente Psalmista. Paratũ cor meum Deus, paratum cor meum. Quoniam hominis est præparare animam. Vt libro de iustificatione luce clarius ostensum est.

Soluitur obiectio.

Tren. 3.

Quomodo homo tenetur se ad gratiam præparare

Et si

Alia obiectio. Et si iterum obijciat, Deus vult omnes homines saluos fieri. Sed quæcunque voluit Deus in cœlo, & in terra fecit, & nullus est qui diuinæ voluntati resistere possit, igitur. Respondendum est, quòd Deus vult omnes homines saluos fieri, quoniam dedit eis omnia ad salutem necessaria. Vtpotè liberum arbitrium, angelicam custodiam, legem amoris, & gratiæ, suo proprio sanguine eos redemit, nec desinit salutiferis inspirationibus omnes homines ad se vocare. Et tandem nihil remanet faciendum, quod Deus non efficiat, vt omnes saluentur. Sed heu quia non omnes saluantur. Defectus autem non est ratione Dei, sed illorum qui bene operari minime volunt, Exempli causa. Si pater quispiā præpararet omnia necessaria filio suo ad scientiam capescendam, vtpote optimum præceptorem, magnam librorum copiam, nec ei deesset opportunum tempus vt addiscere posset, cum exhortationibus, & castigationibus simul, profecto nullus posset non arbitrari patrem illum velle filium suum euadere in virum doctum. Sed non sequitur, igitur doctus efficietur. Quia forte filius nollet addiscere, vt de multis experimur. Defectus autem, & causa non est patris, sed ipsius filij volentis addiscere. Ita Deus vult omnes homines saluos fieri, qui (vt ait Augustinus) volunt salui fieri. At quoniam non omnes (vt inquit Apostolus) obediunt Euangelio, sed quam plures in infidelitate, vel in continuo malo perseuerant, ideo pauci saluantur.

Quomodo Deus vult omnes homines saluos fieri.

August. Paulus.

Et si dicas, ergo voluntas Dei non semper impletur. Respondentur, voluntatem Dei efficacem ad quam nulla secunda causa concurrit, semper adimpleri. Quidquid enim vult Deus cum efficatia, id fit, quia omnia obediunt ei, de qua Hester Regina, In ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. Sed de hac voluntate non loquitur Apostolus, cū dixit. Deus vult omnes homines saluos fieri. Quinimò vult efficaciter Deus malos æternis pœnis punire, bonos vero immortalibus præmijs remunerare. Voluntas autem Dei non efficax ad quam libera hominis voluntas

Duplex Dei voluntas, absoluta, & conditionata.

voluntas semper concurrere videtur, non semper adimpletur, secundum quam voluntatem allocutus est Christus adolescentulum dicens. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quasi velit dicere. Ego volo te saluum fieri, si Dei mandata seruabis. Et in hoc sensu loquitur Apostolus. Deus enim sua misericordia vult omnes homines saluos fieri, qui fide, & operibus bonis, volunt salui fieri. Non omnes igitur saluantur, quoniam ad hanc salutem acquirendam vult Deus liberum arbitrium concurrere, dicente Augustino. Esse potest iustitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam. Sed cum libera hominis voluntas non semper diuinis inspirationibus acquiescat, sequitur voluntatem Dei non semper adimpleri, non defectu Dei, sed hominum nolentium saluari. Et hoc confirmat Christus in Euangelio dicens. Hierusalem Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, &c. Ecce Deus vult homines congregare, ipsi autem congregari negligunt. Ita Deus vult omnes homines saluos fieri, ipsi vero saluari minime volunt. Ideo alibi clamat. Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Qua de causa pauci saluantur.

Matth. 19

August. de verbis apostoli.

Matth. 23.

Prouer. 1.

Et si iterum obijciat, omnes homines æqualiter sunt filij Dei, creati ad imaginem, & similitudinem suam, & ad æternam illam beatitudinem consequendam, omnes in Christi sanguine redempti, igitur omnes saluari debent. Respondendum est, quòd licet omnes homines æqualiter sint filij Dei creatione, non autem fide. Quia quemadmodum Apostolus ait: Non omnes filij Abraæ secundum carnem, filij sunt Abraæ Ita non omnes filij Dei secundum creationem, veræ sunt filij Dei, sed tantum illi qui credunt in nomine vnigeniti filij sui, eiusque voluntatem efficiunt, quibus Christus, dedit potestatem filios Dei fieri. At quoniam pauci sunt huiusmodi credentes in eum ideo. Nec obstat quod de electis cantatur. Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Et in Apocalypsi. Vidi turbam

Obijcitur. & soluitur obiectio.

magnam

magnam quam dinumerare nemo poterat. Quoniam pauci sunt comparatiuæ, seu relatiuæ, ad reprobos, multi autem simpliciter.

De Baptizatis quid sit asserendum, An scilicet illorum plures sint saluandi, quàm damnandi.

SVpra enim dixerat dominus, Sic erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, Vbi differentiam ponit inter vocatos, & electos, tam in retributione spiritualium bonorum, quam temporalium, tam in adeptione maioris, seu minoris dignitatis, vel excellentiæ, tam gratiæ, quàm gloriæ, vt patet de Iacob, & Esau: de Saul, & Dauide: de Ecclesia Christi, & Synagoga Iudæorum, & alijs multis. Maiorem enim dignitatem, & gratiam assecutus est Paulus, quàm Ananias, qui primo vocatus fuerat, sic populus Christianus lege gratiæ, & sacramentis dignior effectus est populo Israël postremo vocatus, Ita Petrus Andrea Apostolo, vocatione posterior, Latro etiam nouissime vocatus, prius tamen æternæ gloriæ lumen adeptus est, quàm cæteri Apostoli, Ideo dominus in Euangelio, Amen dico vobis quia publicani, & peccatores (*Matth. 21.*) precedent vos in regnum cœlorum. Et nota illud aduerbium. S I C. quòd quandam similitudinem dicit, Nam quemadmodum nouissimi viri qui minus laborauerunt quàm primi, eandem tamen mercedem acceperunt sic, multi sunt vocati gratia, & misericordia Dei. Qui vult omnes homines saluos fieri (*1. Thim. 2.*), Qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam (*Matth. 9.* *Marc. 2.*), Qui omnes nationes vocauit ad nuptias filij sui, Qui per Psalmistam dicit. In omnem terram exiuit sonus eorum (*Psal. 18.*), Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Ioan. 1.*), Pauci tamen illorum omnium sua iustitia sunt electi, scilicet ad æternam fœlicitatem non defectu Dei vocantis, sed hominum nolentium acquiescere vocationi eius. Quare inter omnes homines vocatos minor est

numerus

numerus electorum, quàm reproborum.

De baptizatis autem puto aliter esse dicendum, videlicet plures fore saluandos q̃ damnandos (saluo semper meliori iudicio, & Ecclesiæ decreto) siquidem quantum ad vniuersitatem omnium hominum virorum ac mulierum non est dubium quin maior sit numerus reproborum quam electorum (vt supra satis visum est) secus vero de his qui baptismatis vnda renati sunt, qui preciosissimo Christi sanguine sunt redempti, id enim pluribus figuris ac scripturarũ exemplis ostendi potest.

Nam tempore Noë magni Prophetæ videns Deus, Gen. 7.
q multa malitia hominum esset in terra, & tota cogitatio hominis intenta esset ad malum, dixit, pœnitet me fecisse hominem, & fere totum genus humanum deleuit aquis diluuij, paucis duntaxat exceptis, illi autem qui in aquis submersi sunt, omnes decedentes extra fidem, & Ecclesiam sanctam pulcherrime figurabãt, Sed ij tantum qui in Archa salui facti sunt, tanquam in Ecclesiam commorantes, omnes profitentes Christi fidem denotare videntur, inter quos solus Cham qui derisit patrem suum perijt maledictus ab eo. Ceteri incolumes permanserunt ad ostendendum inter baptizatos maiorem esse numerũ electorum, q̃ reproborum.

Rursus tempore Loth, quando corruperat vnusquisque viam suam, qui in ciuitatibus Sodomorum, & Gomorræorum igne, & sulphuræ perierunt omnes alienos a fides, & baptismate Christi non incongrue denotabant, ex opposito vero qui fugientes à ciuitatibus salui facti sunt (excepta vxore Loth, quæ respiciens retro conuersa est in statuam salis) non solum Christi fideles, sed inter eos plures esse saluandos, quam damnandos exactissime demonstrabant. Gen. 19.

Præterea hoc idem patet de numero Apostolorum, & discipulorum Christi, qui omnes renatos ex aqua, & Spiritu sancto ingeniosissime complectuntur, inter quos tantum fuit vnus de numero reproborum vt euidenter agnoscamus plures esse scriptos in libro vitæ, & pauciores in libro mortis. Ioan. 6.

Proinde illa parabola Saluatoris de nuptijs Regis plurimum nobis patrocinatur, ait enim dominus in Euangelio simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos, &c. Nam qui vocati sunt ad nuptias filij Dei, & venire neglexerunt, omnes contemnentes Christi fidem, & baptismum eius apertissime demonstrant qui vero ad nuptias libenter accesserunt sunt qui renati ex aqua, & Spiritu sancto Christianam religionem profitentur, & quia tantum vnus repertus est in nuptijs non habens vestem nuptialem, euidenter ostenditur inter baptizatos plures esse illos quos dominus elegit, quàm reprobauit.

Matth. 22.

Matth. 25.

Item ait dominus in Euangelio. Homo quidam peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, Alij autem duo, Alij vero vnum, &c. Homo iste per similitudinem dominus Iesus est accipiendus serui sunt omnes suo sanguine redempti, qui renati sunt ex aqua, & spiritu sancto quibus tradidit bona sua, Et vni dedit quinque talenta, scilicet intellectum, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem, idest consilium in agendis. Alij duo talenta, scilicet gratiam, & liberum arbitrium, quibus omnia opera bona perficere potest, Alteri vero vnum talentum, scilicet donum gratiæ, seu gratiam gratis datam, & quemadmodum ex his tribus primus ex quinque talentis in quibus operatus est lucratus est alia quinque, similiter secundus qui duo acceperat operatus est in eis, & lucratus est alia duo, & tantum vnus abscondit pecuniam domini sui, scilicet donum gratię à Deo sibi collatum, Ita euidentes ostenditur, quòd inter christicolas plures sunt, qui velut serui fideles decedunt in fide, & charitate & licet interdum detrimentum patiantur ab igne, purgati tandem intrant in gaudium domini sui, pauciores autem sunt qui abscondentes pecuniam domini sui, scilicet donum gratiæ, extra fidem, spem, & charitatem decedentes detruduntur in ignem æternum.

Demum clare videmus in omnibus ciuitatibus, & domibus

domibus Christianorum fert omnes viros,& mulieres in extremo constitutos confiteri peccata sua,&non mo dicam contritionem verbis vel signis ostendere, petere Ecclesiæ sacramenta , Christi crucem feruore deuotionis amplecti,fidem profiteri,iniurias remittere, circun stantibus parentibus , & amicis pro animarum eorum salute.Quibus etiam Ecclesia sancta pœnitentiam non denegat , nec Ecclesiasticam sepulturam quinimò pro his omnibus sedulo rogat, & offert hostiam immacula tam, & non nisi quia credit illos esse de numero saluan dorum,si enim aliter crederet pro his proculdubio non oraret,& licet quamplures illorum multa commiserint delicta de quibus in hac vita pęnitentiam non egerunt, decedentes tamen in fide,& charitate perire non debẽt. Nihilominus gloriam non consequuntur æternam, ni si prius pro illis pœnas debitas in Purgatorio patiantur , in quo peccata expiantur non quo ad culpam, sed pœnam,pro quibus deputatur ignis ad purgandum,dicente Apostolo.Si cuius opus arserit quod superędifica uit detrimentum quidem patietur , ipse tamen saluus erit sic quasi per ignem,piæ igitur credendum est maio rem esse numerum illorum,loquendo de baptizatis qui salutem consequuntur quàm illorum qui damnationem incurrunt, Id enim pię credimus,& nõ pertinaciter asse rimus, q̃a potius hæc omnia iusto Dei iudicio relinquere debemus, q̃ aliquid temere discernere , vel iudicare . 1. Cor. 3.

Caueant tamen omnes Christi fideles ne ex his de se nimium præsumant,asserentes esse Christianos Christi sanguine redemptos , & membra eius ideo cum capite debere saluari relinquentes opera bona, quoniam Apostolus ait . Quicunque baptizatis sumus in Christo Iesu,per mortem ipsius baptizati sumus , consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem , vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris , ita & nos in nouitate vitæ ambulemus sicut illæ idem alibi dicit . Exuite veterem hominum cum actibus suis , & induimini nouum hominem qui secundùm Deum creatus est in iustitia,& sanctitate veritatis, Rom. 6. Eph. 4.

Gala.3. Et iterum. Quicunque baptizati estis Christum indui stis, & quid est induere Christum nisi omnes virtutes eius amplecti? Et alio in loco. Qui Christi sunt, scilicet membra, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & cōcupiscentijs. Rursus, Omnibus Christi fidelibus hęc sunt pręcipue necessaria, scilicet fides, spes, dilectio Dei,
Heb.11. & proximi, ac cetera opera bona dicit enim Apostolus
Rom.8. sine fide impossibile est placere Deo. Et alibi, Spe salui
1. Ioan. 4. facti sumus. Ioannis quoque in Epistola canon. Qui non diligit manet in morte, & qui dicit Deum diligo, & mandata eius non seruat, mendax est. Nam probatio dilectionis exhibitio est operis, Ideo Dominus in
Matth. 9. Euangelio. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.
Matth.16. Et iterum dicit. Qui vult venire post me abneget se-
2.Petr.1. metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Petrus insuper in Epistola sua ita clamat, Satagite, vt per bona opera vestra. Certam vestram vocationem, & electionem faciatis, siquidem nullam de salute nostra certitudinem habemus nisi per opera bona, in illis perseuerando quæ ad vitam æternam sunt præcipue conducibilia, Ad quam Deus gratia sua nos conducere dignetur qui est benedictus in secula: Amen.

Dominica sexagesimæ, super Euangelijs, Matthæi, Marci, & Lucæ, pulcherrime.

CVm turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem. Exijt qui
Matth. 13. *seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud ce-*
Marc.4. *cidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli co-*
Luc.8. *mederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exorte spine suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat, qui habet aures audiendi audiat, Interrogabant autem eum discipuli eius quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit. Vobis datum est noscere mu*

sterium

sterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Est autem hæc parabola. Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam quod supra petram, hi sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. In hac Euangelica parabola, quinque sunt præcipuæ consideranda. Primo, quid sit parabola, & cur Christus parabolis vtebatur. Secundo, cur Christus clamabat, qui habet aures audiendi audiat. Tertio, quis & qualis sit seminator. Quarto, quid, & quotuplex est semen. Quinto, quot genera hominum diuersimode hoc recipiunt semen, & de triplici fructu eius.

Quantum ad primam considerationem, parabola idem est, quòd prouerbium. Et est parabola, sermo sub figuris metaphoris, & ænigmatibus palliatus. Vel parabola est rerum dissimilium comparatio, per quam ad maioris rei cognitionem deuenire possimus. Nam sapientes in parabolis loquuntur, necnon, & antiqui prophetæ parabolis vtebantur, & dicta sua quibusdam figuris, & ænigmatibus inuoluebant, vt dignis, & sapientibus veritas melius ostenderetur: Fatuis vero, & insipientibus celaretur. Ideo Salomon parabolarum edidit librum: & hæc de causa parabolas composuit. Nam de sapiente dicitur. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. Itaque Christus (vt inquit Marcus) sine parabolis nil loquebatur. Quia proculdubio sermo qui in figuris, & parabolis dicitur, cordi delectabilius imprimitur, & auri gratiosius exprimitur, memoriæ quoque facilius commendatur, dicente psalmista.

Prima consideratio

Quid parabola.

Eccl. 39.

Mar. 4.

Aperiam in parabolis os meum. Et hæc est prima causa cur Christus turbis in parabolis loquebatur. Secundo, vt diuina, secreta, ac superna misteria carnalibus, & indignis manerent ignota. Vnde infra. Vobis datum est nosce regnum Dei, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Ideo in euangelium Matthæi. Nolite sanctum dare canibus. Tertio, vt fidelibus detur occasio fructuosæ exercitationis in addiscendo, perscrutando, & exponẽdo parabolica dicta. Iuxta quod in prouerbijs dicitur. Sapiens animaduertet parabolam, & interpretationem, & verba sapientum, & ęnigmata eorum. Quarto, vt diuinitatis perfectio, & diuinorum proprietas doceantur insensibilibus, cunctisque rebus aliqualiter relucere, dicente Apostolo. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt cognoscuntur. Et nota, quòd septem sunt parabolæ quas Christus proposuit Iudæis. Prima, de semine seminato: Secunda, de diuersitate seminis. Tertia, de specie seminis. Quarta, de fermento seminis. Quinta, de thesauro abscondito in agro. Sexta, de margaritis. Septima, de sagænis missis in mari. In prima, Christus eiusdem seminis quatuor enumerat partes. Quia aliud cecidit circa viam, aliud in petrosa, aliud inter spinas, aliud in terram bonam, vt de se liquet, &c.

Matth. 9. *Prouerb. 1.* *Rom. 1.* *Septem parabole.* *Matth. 13.*

Secunda cõsideratio.

Proposita parabola (vt secundam considerationem aggrediamur) Cristus clamabat. Qui habet aures audiendi audiat. Clamauit hic Christus, vt corda, & animos audientium ad spiritualem, & sublimiorem quandam intelligentiam excitaret. Quoties enim (vt inquit Beda) hæc particula, vel in Euangelio, vel in Apocalypsi Ioannis interponitur, misticum esse quod dicitur, quærendumque a nobis intentius ostenditur. Clamat nanque ad peccatores, vt pœnitentiam agant. Ad errabundos, vt reuertantur, Ad ignauos, vt excitentur, dicens. Ego sto ad ostium, & pulso. Clamat ad nos Apostolus cum dicit. Surge, qui dormis. Audite igitur omnes, & obseruate quid fructus sit in verbo Dei audiẽdo omnes quotquot aures habetis audiẽdi, audite. Nã,

Beda. *Eph. 5.*

beati

beati qui audiunt verbum Dei (inquit Christus) & faciunt illud. Et alibi: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilatur viro sapienti, &c. Et alio in loco. Qui ex Deo est, verba Dei audit, &c. Et si quæras, nonne tunc temporis, & illi audierunt? Nonne, & aures habuerunt? Respondendum est, oēs illos aures quidem habuisse extrinsecus audiendi, sed aures intellectus eorum aperte non erant. Multo minus aures obedientię, quibus obsequi parati fuissent. Triplices nanque nos aures oportes habere, scilicet, Extrinsecus audiendo, Intrinsecus intelligendo, &, Opere tandem perficiendo, iuxta illud Psalmi. Audi filia per exteriores aures, & vide per interiores, & inclina aurem tuam, scilicet, per obedientiam. Verum sicuti tunc, ita nunc quoque multi non audiunt, quamuis aures externas habeant, quando cor eorum malitia, & nequitia clausum est, dicente domino per Isaiam. Audire audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Plerique etiam cum aures habeant, eas ipsi sibi obstruunt instar serpentis. Hi sunt nimirum qui verbum Dei nolunt audire, neque ad conciones venire, sed fugiunt ne quod nolint audiant, sicuti iam faciunt recentiores hæretici, nolentes catholicos prædicatores audire. Alij insuper sunt, qui & ipsi aures quidem habent, sed idolorum aures, de quibus Psalmista. Aures habent, & non audient. Sunt tamen, & plures alij qui internas etiam animi aures habent, saluas, & incorruptas, de quibus Salomon. Auris bona audiet cum omni concupiscentia, sapientiam. Neque ad immerito. Nam audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Qui igitur habet huiusmodi aures audiendi audiat. Audierunt hæc Apostoli, & ideo dominum interrogauerunt quæ esset hæc parabola, & qui seminator, vt tertiam etiam considerationem prosequamur.

Cur Christus clamat, Qui habet aures.

Triplices aures.

Isa. 6.

Aures diuersæ diuersorum hominum.

Eccl. 3.

Tertia consideratio. Seminator est Christus, qui seminat. Nam ille præcipuus est euangelicæ veritatis, auctor, & propagator, ac verbi Dei apud homines primarius annunciator. Ceteri autem, vt Apostoli, & ipsis in officio seminandi verbum Dei succedentes, solum sunt ipsius ministri, quibus ipse velut organis, & instrumentis suis vtitur. Imò, & per quos ipse seminat, & loquitur verbum Dei, dicente Apostolo. *2. Cor. 13.* An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus. Et Petro insuper. *1. Petri 4.* Si quis loquitur quasi sermones Dei. Quinimò, & Dominus in Euangelio ait. *Matth. 10.* Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. *Luc. 21.* Et alibi etiam, inquit, ad discipulos suos. Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, nec contra dicere omnes aduersarij vestri, Demum Propheta in psalmo idem testatur, dicens. Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa.

Exire quid significat. Exijt hic seminator Christus secundum naturam humanam tanquam sponsus procedens de thalamo suo, dicente. Exiui à patre, & veni in mundum. Exijt enim quando prædicare cœpit. Hic quippe est scripturarum loquendi modus. Quoties enim ille qui prius nihil agebat incipit aliquid operari, dicitur egredi, sicut in Exodo scribitur, *Exod. 2.* Egressus est vir de domo leui, & accepit vxorem. Nihilominus ad accipiendam vxorem, non est opus egredi. sed quia prius non accipiebat, sed tunc accipit, dicitur egredi, quoniam aliunde egressus fuerat. Et ita quoties dicitur aliquis egredi, & non exprimitur vnde egreditur, accipitur egredi, idest agere. Et ita dicitur intrare, & exire tota hominis operatio. Quemadmodum Petrus testatur in Actibus dicens. *Act. 1.* Oportet vt ex his qui congregati sunt nobiscum in omni tempore quo intrauit, & exiuit inter nos dominus Iesus, &c. Id est, toto tempore, quando fuit inter nos conuersatus, quasi totum quod Christus fecit, non sit nisi intrare, & exire. Sic etiam in libro Numerorum scribitur. *Num. 27.* Ad verbum eius egredietur ipse, & omnes filij Israël, id est, quidquid ille mandauerit, facient filij

Israël, Itaque illud totum erat exire,& intrare. Sic in Christo, Exire,dicit,prædicationis initium, cum eum prius non prædicaret.Seminauit autem Christus, & in quantum Deus,& homo plura seminum genera. Primo,legem naturæ in mente cuiuslibet hominis. Rursus,Per Angelos, & Moysen legem scriptam seminauit in duabus tabulis .s. præcepta, & prohibitiones. Deinde,per Prophetas promissiones, & comminationes. Sed nunc exijt seminare per seipsum omnibus fidelibus Euangelicam legem,quinimò quotidie seminat bona virtutum,donorum,& gratiarum,Exijt igitur qui seminat,id est,qui habet officium,scientiam,& gratiam seminandi,seminare semen suum,id est,doctrinę verbū.

Quarto, considerandum est, quatuor præcipue esse semina seminata, vt diuinæ restantur historiæ. Primum est, semen seminatum in vtero virginis pro nobis incarnatum,videlicet Christus, dicente domino ad Abraam. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.De quo Apostolus.Non dicit,inquit,in seminibus quasi in multis, sed quasi in vno in semine tuo quod est Christus. Secundum est,semen seminatum à nobis.s.opera virtuosa,& varia virtutum genera, iuxta illud Psalmi. Euntes ibant,& flebant mittentes semina sua. Tertium,semen seminatum sunt omnes electi, quos Christus in sua seminauit ecclesia. De quo semine loquitur in Matthæo. Bonum semen sunt filij regni, id est, electi. De eodem etiam scribitur in Isaia. Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen .s. electorum,quasi Sodoma fuissemus. Quartum est, semen seminatum in nobis,vtpotè verbum Dei,gratia,lex,virtutes,& dona Spiritus sancti.De quo semine loquimur in præsenti. Et nota,q̄ verbum Dei dicitur semen propter admirabilem similitudinem, & conuenientiam quam habet cum semine materiali. Siquidem quodlibet corporale semen, vt tritici,auenæ, vel ordei,principium est, & origo productionis ipsius frugis inde enascentis,& tanquam radix, & fundamentum eius.Sic verbū Dei in cordibus fidelium seminatū,initium est per-

Quarta consideratio.

Gen.22.

Galat. 3.

Quatuor seminum genera.

Matth. 13.

Isa.1.

veniendi ad Deum, & consequendæ salutis. Sine fide
Heb.11. enim (vt scribit Apostolus ad Hebreos) impossibile est placere Deo. Nam fides est substantia rerum sperandarum, idest fundamentum omnium virtutum, quam con-
Paulus. sequimur per verbum Dei. Postquam, enim ad Romanos scribens, dixerat Apostolus, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent de quo non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Ex his omnibus conclusionem inde deducens, subiungit. Ergo fides auditu, auditur autem per verbum Dei. Secundo, quia quemadmodum semen manu accipitur, & postea spargitur, sic verbum Dei prius debet manu, id est, opere accipi, deinde ore spar-
Matth. 5. gi, dicente Domino in Euangelio. Qui autem fecerit,
Act.1.13. & sic docuerit homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Nam Iesus cœpit facere, & docere, cuius verbum disseminabantur per vniuersam regionem. Tertio, quoniam semen segetum habet in se inclusam, & occultam virtutem quandam calefactiuam, per quã cum in terram factum fuerit, & fomento terræ contemperatum, erumpit in germen, & pullulat in herbam. Quæ pullulatio nequaquam fieret, nisi esset ipsi semini incitus quidam calor naturalis, & vis calefactiua ipsum fouens, & ad germinationem inducens. Sic, & verbum Dei vim etiam habet inflãmandi corda, & illa igne quodam diuini amoris accendendi, dicente Propheta. Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuas dilexit
Prouer. 30 illud, Salamone insuper in prouerbijs. Omnis sermo Dei ignitus. Siquidem hunc ignem verbi diuini senserunt illi duo Discipuli Christi, qui dixerunt ad inuicem. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Ardor enim ille in cordibus eorum succensurus erat ex verbis
Verbum Dei quomodo semini cõparatur. Christi loquentis ad eos in scripturarum interpretatione. Quarto, verbum domini assimilatur semini propter necessitatem reficiendi. Nam sicut semen est materia panis ad refectionem corporis necessaria, sic verbũ

Dei

Dei est materia prædicationis ad refectionem animæ necessario conueniens, iuxta illud Deuteronomij Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei quinto, quemadmodum semen materiale segetum vim etiam habet in se generatiuam: Nam ex ipso surgit larga seges, fructusque copiosus, sæpenumero cum multiplici fœnore. Fertiles enim agri longe plus reddere solent fructus, quàm acceperunt seminis: Ita, & verbum Dei iactum in cordia fidelium vim quandam habet productiuam bonorum operum, magno cum incremento, ac spiritualis fructus multiplicatione. Sicut in Actibus scribitur. Verbum autẽ domini crescebat, & multiplicabatur. Et apud Isaiam. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. Ideo Apostolus ad Corinthios ait. in Christo Iesu per euangelium, ego vos genui. Sexto sicut semen alicubi perit, & alio in loco fructum affert, sic verbũ Dei. *Deut. 8.* *Act. 12.* *Isa. 55.* *1. Cor. 4.*

Quinta cõsideratio.

Quinto, considerare contingit quatuor esse hominũ genera in quorum corda seminatum est verbũ Dei.

Primum genus audientiũ verbum Dei.

Primum genus est, illorum qui luxuriæ & libidini vacant, de qua Gregorius in moralibus. Si luxuria semel mentem occupauerit vix bonum. cogitare permittit. Heberat enim sensum, confundit intellectum, maculat voluntatem, obscurat memoriam, excœcat rationem. Ideo Apostolus. Fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis. Tales nempe tantum corporali audiunt auditu, sed non auribus mentis, quibus competit illud Iacobi. Siquis auditur est verbi Dei, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuit. Ideo congrue Saluator ait. Aliud cecidit secus viam. Nam via (vt inquit Greg.) est mens malarum cogitationum seculo meatu, trita, & arefacta. Per quam luxuriosi significantur, dicente Isaia. Posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus, id est, dæmonibus. Quemadmodum hi faciunt, qui in nullo resistere optant. Nempe in cordibus eorum verbum Dei fructificare minime *Iacob. 1.* *Gregor* *Isa. 51.*

1.Cor. 2. minime potest quoniam, teste Apostolo Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. *Eccl. 21.* Audit enim luxuriosus (inquit Sapiens) & displicebit illi, & proijciet illud post tergum suum, Vnde subdit Dominus. Volucres cœli comederunt illud, id est, dæmones verbum Dei consumunt, per prauam suggestionem ne proficiat eis ad salutem. Et nota, quòd volucres cœli, dæmones merito dicuntur, tum propter naturæ agilitatem, quia adhuc citius, quam volucres volant diuersa loca petentes. Tum propter aëris inhabitationem. Ipsi enim in aëre caliginoso morantur. Tum tertio propter eorum subtilitatem. Aues enim multum subtiliter colligunt grana de terra. Sic & dæmones verbum Dei de cordibus hominum.

Secundum genus. Secundum hominum genus est, illorum qui inflati sunt superbia. Petra itaque superbis assimilatur: quia quemadmodum petra naturaliter est dura, sic & superbia inter alia vitia præcipue hominum corda obdurat, eosque rebelles efficit veritati, vt impleatur in eis illud *Hier. 5.* Hieremiæ. Indurauerunt corda sua supra petram, & noluerunt reuerti. Non timentes illud Ecclesiastici. *Eccl.3.* Cor durum male habebit in die nouissimo. Præterea, sicut petra naturaliter est frigida, sic & tales deficiunt in calore charitatis Dei, & proximi. Rursus. Petra est grauis adeo vt locum infimum petat. Ita superbia tam ponderosa fuit in Angelis malis, quòd *Luc.10.* cœlum eam tenere non potuit, dicente Domino. Vidi Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem, ob nimiam grauitatem superbiæ suæ. In superbis igitur verbum Dei fructum efficere non potest. Recte igitur dicit Christus. Aliud cecidit supra petram, id est, in cor, per superbiam elatum. Et natum aruit, quia diuinæ gratiæ carebat humore. Nam Deus (vt inquit Iacobus) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam &c.

Tertium genus. Tertium hominum genus est, eorum qui sectantur auaritiam, contra quos clamat Apostolus. *1.Tim. 6.* Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua,

ua, quæ emergunt hominem in interitum, & perditionem. Et nota, quòd non sine rationabili causa diuitiæ à Christo spine vocantur, quia pœnales generant affectiones in anima possidentis, eo quòd cum timore perdendi possideantur, & cum dolore perdantur. Ideo Saluator subdit. Aliud cecidit inter spinas, id est, inter mẽtem amaram, quæ totam sollicitudinem, & omnem amorem ponit in temporalibus diuitijs, & non in virtutibus cœlestibus. Quare simul exorte spine diuitiarum verbum Dei suffocauerunt. Vt liquet de Gezi puero magni Prophetæ Elysei, cuius sana doctrina quam ab Elyseo acceperat, iam spinis auaritiæ suffocabatur, cum à Naamã Syro contra volũtatem Dei occulte munus accepit. Quid, insuper Ananiæ, & Saphyræ, pariter & Apostolo Iudæ profuit prædicatio Christi, quam spine auaritiæ suffocarunt? Idcirco Salomon ait. Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Et alibi. Qui confidit in diuitijs suis corruet. Et hæc fuit illa digna, & egregia vox Pauli dicentis ad Timotheum. Præcipue diuitibus huius seculi non sperare in incertitudine diuitiarum. Quamobrem Saluator nos admonet dicens. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: Liquet igitur ex his quomodo in tribus generibus hominum verbum Dei fructum efficere minime potest, per quos omnium malorum hominum species pulcherrime designantur, dicente Ioanne. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.

Cur diuitiæ spine dicuntur.

4. Reg. 5.
Eccl. 10.
Prouer. 12

1. Timo. 6.

1. Ioan. 2.

Quartum hominum genus sunt, electi, sancti, & viri iusti, qui in corde bono per dona naturæ, & optimo per gratiarum dona verbum retinent, iuxta illud Psalmi. In corde me abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Fructum afferunt, id est opera virtuosa producunt, dicente Iacobo. Estote factores verbi, & non auditores tantum fallentes vos metipsos. Afferunt itaque fructum in patientia per aduersitatum tollerantiam. At Matthæus inde subiungit. Semen seminatum in terram bonam aliud fecisse fructum centesimum, id est

Quartum genus.

Iac. 1.

opus perfectum sicut in spiritualibus diuinis & heroicis viris. Aliud protulisse fructum sexagesimum, id est opus proficiens, quemadmodum in his qui conantur quotidie de virtute in virtutem scandare & de statu proficientium ad statum perfectorum pertingere. Aliud semen attulisse fructum tricesimum, id est, opus bonum sed imperfectum vt in incipientibus. Solet etiam fructus centesimus specialiter referri ad statum virginalem. Sexagesimus autem ad statum vidualem. Fructus vero tricesimus ad statum coniugalem. Non tamen simpliciter, & vniuersaliter referri potest ad personas statuum prædictorum, cum interdum in inferiori statu perfectiores homines inueniātur, quàm in superiori statu. Nihilominus comparando statum ad statum, sic se habet castitas virginalis ad vidualem, eam excedendo in merito, sicut centum ad sexaginta. Et ita se habet castitas vidualis ad coniugalem, sicut sexaginta ad triginta. Nam finis ad quem ordinatur seminatio seminis huius, id est prædicatio verbi diuini est homines à carnalibus, ad spiritualia reducere. Quod multo perfectius fit in continentia virginali, quam viduali, & in illa quàm in coniugali, dicente Apostolo.

Fructus triplex ex terra bona.

Quō tres fructus comparātur ad tres hoīum status.

1. Corin. 7. Mulier inupta cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.

Duplex sanctorum gaudium.

Nota præterea duplex esse sanctorum gaudium, scilicet, essentiale, & accidentale. Exempli causa. Cum pictor pingit aliquam pulcherrimam figuram, primo, lætatur propter præmium, quod ex natura rei, vel ex conuentione sibi conuenit. Et tale dicitur gaudium essentiale. Secundo, lætatur tam pulchram fecisse imaginem, quæ accidentalis lætitia nuncupatur. Ita sancti Martyres, Virgines, & Doctores lætantur essentialiter in visione Dei. Deinde quadam accidentali lætitia gaudent, quia sanguinem propter Christum effuderunt, & hi scripserunt, & concionati sunt. Et hæc quidem dicitur aureola centesimi gaudij, vel sexagesimi vt in viduis, seu trigesimi gaudij sicut in coniugatis. De hac

Quid aureola.

hac aureola scribitur in Exodo, quòd dominus præcepit Moysi dicens. Facies coronam aureain, & super illam, alteram coronam aureolam, &c. *Exod. 25.*

Potest etiam hoc Euangelium sic aliter exponi. Sator est Deus. Ager totus mundus. Primum semen, secus viam seminatum fuit angelica natura, sed volucres cœli, idest, altitudo superbiæ, ambitio, & gloria vana comederunt illud. Secundum semen, fuit primus homo in paradiso creatus. Sed quia non habuit humorem, idest fidei stabilitatem, ideo aruit. Tertium semen, fuerunt omnes homines in hac terra plena spinis, idest, sollicitudinibus, & curis, quæ suffocauerunt verbum Dei. Quartum semen, fuit Christus seminatus in virginea terra. Quod quidem semen fuit mortificatum in cruce. Quia nisi granum frumenti cadens in terra, mortuum fuerit, &c. Germinauit in resurrectione, creuit in ascensione, fructum centesimum, sexagesimum, & trigesimum attulit in Apostolorum prædicatione. Metetur in iudicio, congregabitur inde in horreum cœli. *Alia expositio parabolæ.*

Nota denique Christum hanc proposuisse parabolam cum iam turba plurima conuenisset, quia verissimum est, quòd Chrysostomus ait. Quilibet Doctor incitatur ad docendum, & quilibet concionator ad concionandum cum plures habuerit auditores, loquendo de doctoribus, & concionatoribus huiusmodi, qui salutem ardent, & sitiunt animarum. Nam cum quispiam optat, & concursum hominum amplectitur, vt copiosam pecuniam honorem, & famam sibi arroget ex concionibus suis, ibi certum diabolum magistrum, & doctorem esse putandum est. Qui statim fabulas, & non veram doctrinam, hæreses, & non veritatem attentat. Et quamprimum prædicatorem hac capitis parte captauit vt ipse sibi placeat, audax fit, & temerarius. Quemadmodum his temporibus fieri videmus in Lutheranorum concionatoribus, qui quamuis sint parum docti videri tamen volunt apud suos. Irruunt quodam modo & placentia dicunt audientibus, non ignari etiam plerunque se procul à uero deuiare. Nec desunt qui *Chrysost.* *Contra prædicatores Lutheranos*

prædica

prædicatorem ad hoc hortantur, & dicunt. Age domine prædicator, hæc placent audientibus, prædica veritatem contra papistas, aduersus Ecclesiæ sanctiones, nullam esse summi Pontificis auctoritatem, dic palam nullum esse liberum arbitrium, magnifica Christum, dic omnia peccata nostra fuisse in suo sanguine purgata. Ideo non est putandum purgatorium esse, nec opus esse sacerdotibus nostra confiteri peccata, sed tantum Deo. Clama non opera bona, sed tantum fidem esse necessariam. Prædica secure, noli vereri, veritatem fateri, scilicet neque sanctos honorandos, neque sanctorum numina imploranda, minusque illorum statuas seruandas. Tunc omnes current ad conciones tuas, habebis infinitam multitudinem populorum, & dilatabitur nomen tuum in vniuerso, eris famosus, & omni laude dignus. Hæc sunt verba in propria forma quæ Lutherani ad suos prædicatores loquuntur. Sed, uæ sacerdotibus, & concionatoribus istis, qui tam miseræ seduci se patiuntur, fallique, tantum ob temporalia bona, & caducos honores. At his dimissis, nunc ad propositum redeamus. Potest quilibet concionator sanctæ, & iustæ concursum hominum optare, ac multitudine audientium gaudere, vt in suis concionibus laudetur, & magnificetur Deus, quemadmodum apud Ioannem fecisse Christum legimus. Cum iam plurimi ad eum concurrerent, & gentiles quoque properarent, dixit ille. Venit hora, vt clarificetur filius hominis. Pater clarifica nomen tuum. Nullus igitur peccat in hoc qui multitudine audientium gaudet, si primo salutem animarum optat, & si omnia in gloriam, & honorem Dei redundare videntur.

Ioan.12.

Dominica quinquagesimæ super Euangelio Lucæ, notabilis expositio.

A*ssumpsit Iesus duodecim discipulos suos secreto, & ait illis. Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur*

mabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat enim verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Legimus in Euangelijs, Christum passionem, mortem, ac resurrectionem suam quatuor vicibus Apostolis manifestasse, pluribus de causis. Primo, vt de sua passione, & morte, Discipulos suos certiores faceret, quàm audire minime poterant, sed ægre ferebant, & forte non credebant. Nam Petrus prima vice increpauit eum, dicens. Absit à te Domine hoc non erit tibi. Cum enim vna, & eadem res, bis, ter, quaterque replicatur, signum euidens est magnæ, & certissime veritatis. Quamobrem Christus voluit quatuor vicibus suam repetere passionem, & mortem, semper aliquid noui addendo. Nam secunda vice traditionem addidit. In tertia vero dixit, quòd condemnandus erat à Iudæis, & tradendus gentibus ad occidendum. Quarta vice subiunxit, quòd vnus ex Discipulis debebat eum tradere. Secundo, vt se verum ostenderet esse Deum, & hanc in Discipulis solidaret fidem, per hoc, quòd ea quæ nondum aduenerant, imò nec adhuc ab hominibus cogitata, ita cognouit futura, ac si iam aduenissent, circunstantiasque loci, personarum, & modi, ita particulatim proposuit rei venturæ. Perinde, ac si iam esset completa in hominum oculis. Solius enim Dei proprium est infallibiliter, quæ futura sunt præcognoscere. Tertio, quatuor etiam vicibus Christus se esse filium Dei naturalem Discipulis suis palàm insinuauit, vt liquet in Euangelio Matthæi. Ita quatuor vicibus ostendit se humanam assumpsisse naturam ad mortem ferendam, vt clare ostenderet se simul esse Deum, & hominem, & ne Discipuli scandalizarentur videntes eum mori, scientes eum esse Deum. Rursus, quatuor etiam vicibus manifestauit magnitudinem gloriæ suæ, & totidem mortem, & crucem, vt palàm aperiret per calicem, & crucem oportet nos ingredi

Luc. 18.

1. causa.

2. causa.

3. causa.

Matth. 16. 17. 20. 25.

4. causa.

in regnum cœlorum, vt supra locis præalligatis liquet. Quia nunquam locutus est de gloria paradisi, quin etiam de passione, & morte loqueretur. Quinto, vt ex hoc etiam ostenderet, se non coacte aut inuite mortem, flagella, & crucem pro nobis pertulisse, sed sua sponte, suæque beneplacito voluntatis, iuxta illud

Isa. 55. Isaiæ. Oblatus est quia ipse voluit. Cum enim, & locum, & tēpus suæ passionis, necnon personas à quibus esset inferenda Iudæos, & gentes ante cognouerit, & prænunciauerit, potuisset facile manus euitare quærentium eum, & declinare à loco vbi quærebatur si

5. causa. voluisset, sed nostram salutem nimis optabat. Ex hoc itaque ostendit se voluntariæ esse passum, quia non semel, sed bis, ter, quaterque eam pronunciauerat, vt di-

6. causa. ctum est. Sexto, vt discipulorum suorum corda minus turbarentur ex ipsa dominicæ passionis illatione, quam longo ante tempore, & sępius audiuerant à magistro veritatis esse superuenturam illi. Nam iacula præuisa minus feriunt. Vnde ad suorum etiam discipulorum consolationem quoties eis prædixit suæ passionis sacramentum adiecit se tertia die resurrecturum, vt quos ipsa passionis acerbitas contristaretur ob singularem in Christum amorem, eosdem resurrectio consolaretur accelerata.

Considerandum est prętereà, quòd quinque iam porro passionis suæ articulos Christus ostendit dicens. Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum. Primum, inquit, tradetur gentibus. Id enim ex Euangelistis satis constat. Nam cum Iudæi potestatem non haberent occidere quenquam, Christum obtulerunt Romano præsidi Pilato, qui, & ideo dixit ad Iesum. Nunquid Iudæus ego sum? Quasi diceret. Nihil minus, quoniam gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Fuit insuper Christus traditus a Deo patre, sed dispensatiuæ, tantum pro salute nostra, teste Apostolo

Quinque articulos passionis suæ Christus ostendit.

Rom. 8. qui ait. Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Deinde ipse quoque

semet

semetipsum tradidit Christus, sicut de eo prædixit Isaias. Eo, quòd ille animam suam tradidit in mortem deputatus cum impijs, abstulit peccata multorum, orauit etiam pro persecutoribus suis ne perirent. Tradidit insuper Christum Spiritus sanctus per os Cayphe, dicentis. Vos nescitis quicquam nec cogitatis, Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo. Postremo ipsum prodidit infelicissimus Iudas ex animo quodam auaritiæ dedito, quemadmodum Ioannes nobis testis est, dicens. Cœna facta cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Ischariothis, qui etiam venit ad Iudæos, clamans. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Hoc modo etiam Christus prædixit ceteros articulos, videlicet, se esse deridendum, conspuendum, flagellandum, & crucifigendum, sicut deinceps hæc omnia ei contigerunt.

Isa. 53. *Ioan. 11.* *Ioan. 13.*

Veruntamen vt subiungit Euangelista, discipuli nihil horum quæ Christus dixit de sua passione, futura intellexerunt. Cuius ratio assignari potest, quia non credebant ita esse, sicut Christus asserere videbatur. Cognouerunt enim ipsum esse verum Deum, & hominem, & iccirco putarunt eum ab hominibus talia pati non posse. Ipsum quoque viderant tantæ esse maiestatis, & potestatis, vt multa supra naturam fecerit miracula in mortuorum suscitatione, dæmonum expulsione, & subita languidorum curatione. Quamobrem, & ipsi arbitrabantur nullam esse virtutem humanam quæ posset ei passionem, & mortem inferre. Nescientes altitudinem diuini consilij, secretumque altissimi Dei decretum, quod præordinauerat Christum pro humani generis redemptione, mortem sponte, & secundum patris cœlestis beneplacitum esse subiturum. Igitur imaginari poterant Christum in his verbis suis quibus suam prædixit passionem, & mortem parabolice esse locutum, quoniam nouerant ipsum pro more suo sæpenumero Enigmatibus parabolarum vti. Inde subditur. *Factum est autem cum appropinquaret Hierico, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.*

Q̃uo discipuli non intelligebant mortem Christi.

Et cum audiuit turbam prætereuntem, interrogauit quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant increpabant eum, vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat; Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit. Domine, vt videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Asserit Euangelista Christum appropinquasse Hierico, sed quomodo? Cum dicat scriptura Iosue vrbem istam diruisse, concremasse, maledixisse quoque, & dixisse. Maledictus vir coràm Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Hierico in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius. Sed reuera temporibus regis Achab, Achiel, ex Bethel, ex Effraim ciuitatem Hierico iterum extruxit. Sed semper fuit latrocinio infamis, sicut parabola illa Christi testatur. Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico. Tanta etiam exercitata ibi sunt latrocinia, vt Romani ciuitatem illam funditus euerterint, quæ tamen iterum est ædificata, teste Hieronymo. Cum ergo appropinquaret Iesus ciuitati Hierico, cæcus quidam Barthimæus nomine, id est, filius Thimæi, vt Marcus asserit, sedebat secus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, Multi nanque ibant cum Iesu diuersis de causis, videlicet, auiditate videndi miracula, audiendi eloquentissima, & sapientissima ipsius verba, suscipiendi alimenta corporalia, recipiendi consolationem ex eius intuitu Christum multi sequebantur varijs de causis ædificationem quoque vitæ, & moribus eius. Quidam vero vt obseruarent eum, & accusarent &c. Cæcus quid hoc esset interrogauit cur tantus ibi populus iret, & qui essent. Audiens autem, quòd Iesus Nazarenus transiret, clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei, licet non oculo corporali, tamen fama eum agnouit,

Iosue 6. *1.Reg.16* *Hieron.* *Barthimeus* *Mar. 10*

uit.in quem credidit. Et quoniam tanta eum audiuit perpetrasse miracula, clamore magno ex ardenti sanitatis affectu, clamauit vt sibi succurreretur. Filium quoque Dauid, eum appellat, quoniam apud Iudæos iam fama erat, vt Rex Messias ex Dauidis semine nasceretur. Et qui præibant Iesum, quemadmodum. Regem quidam præcedere solent, increpabant eum, vt taceret. Vel attediati clamoribus eius, vel metuentes ne Christus ipsius clamoribus offenderetur, vel quia nolebant iter suum cum Christo retardari. Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Quemadmodum enim qualitates contrariæ, vt frigus, & calor, per antiparistasim, hoc est, sui appositione contrarij magis intenduntur: ita equidem ipsius cæci affectio in seipso incendebatur, & fortior, calidiorque fiebat, quanto maiorem contrarietatem, ac resistentiam sentiebat. Itaque dicendo, fili Dauid generis dignitatem commemorat, vt ipsius beneuolentiam captet, & pij, ac liberalis patris sui Dauidis exemplo eum prouocet ad clementiam. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Poterat vtique non adductum, & remote, sedentem illuminare. Sed ad gloriam Dei, populique ædificationem, ad suæ etiam doctrinæ, confirmationem, & fidei nostræ corroborationem, voluit id miraculum manifeste, ac solemniter exhibere.

Pulchra similitudo

Et cũ appropinquasset cæcus, hic corporaliter Christo, cui & spirituali er coniunctus erat per fidei, ac deuotionis augmentum, interrogauit illum Iesus, qui nouit omnia, dicens. Quid tibi vis faciam? Varijs enim de causis alter alterum interrogat. Primo, vt aliquid addiscat. Sic Discipulus, Magistrum interrogat. Magister quoque Discipulum tentando, aut illud sciat agnoscat. Secundo, vt instruat. Tertio, vt alterius ignorantiam demonstret. Quarto, vt culpam eius tangat, & increpet. Sicut Deus dixit: Adam vbi es? Quinto, vt interrogati scientiam ad aliorum vtilitatem demonstret. Quemadmodum interrogauit Christus discipulos suos, dicens. Quem dicunt homines esse filium ho-

Varijs de causis, alter alterum interrogat.

Math. 16.

minis? &c. Sexto propter misticam ratione, nam modo Iesus interrogauit hunc cæcum, vt ex ipsius responsione sua curatio gloriotior appareret, vt verba sequentia pandunt. At ille dixit. Domine vt videam. Corpore. scilicet, & spiritu, Sensus etenim visus præ ceteris exterioribus sensibus vtilior, desiderabilior, iucundiorque consistit, quia necessarius est, & plurium rerum differentias nobis ostendit. Vnde Thobias dixit. Quale gaudium mihi est qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? In Ecclesiastie quoque scribitur. Dulce lumen, & delectabile oculis videre Solem. At Iesus dixit illi. Respice, visu exteriori, & interiori simul. Quem enim corporaliter etiam spiritualiter illustrauit. Fides tua te saluum fecit. Hoc est, merito fidei tuæ illuminationē hanc procurasti. Tanta ergo est fidei virtus, vt per eam obtineatur corporis, & animæ salus. Et confestim vidit In quo patet potestas, & Saluatoris magnificentia. Cuius iussionem mox sequebatur supernaturalis effectus. Ideo sequebatur illum. s. Iesum suum illuminatorem, corpore sano, atque gratissimo corde. Magnificans Deum id est. Dei omnipotentiam & clementiam laudans. Tria nanque in hoc operæ sunt breuia. Vnico enim verbo cum dixit Christus. Respice, miraculum hoc totum operatus est. Deinde, fides hæc consideranda est tanta, quæ, & obstaculum gratiæ ademit, vnde effectus miraculi secutus est. Tertium vero, est laus. Vidit enim, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Quod nos quoq; facere debemus, dicente regio Propheta. Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. Et sicut Ioannes inquit. Laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis eum pusilli, & magni, Item Laudate dominum omnes gentes, &c.

Thob. 5. *Eccl. 11.* *Tria hic singularissima, consideranda.* *David.*

Sed mistice loquendo, per cęcū peccator intelligitur. Tum primo, quia quemadmodum corpore cæcus lumen Solis videre minime potest cum oculos corporis habeat extinctos. Ita peccator iustitiæ lumen non videt, nec perfunditur luce diuinæ gratiæ, quia mētis oculos

Spiritualis expositio.

los habet effosos à spiritu maligno, & à cupiditatibus huius mundi. Nam de prauis recte loquitur sapiens. Ex- *Sapien. 2.* cæcauit eos malitia eorum. Tum secundo, quoniam corpore cæcus in continuis tenebris moratur, & quo proficiscatur ignorat. Hinc indiget fido ductore qui dirigat gressus eius. Ita peccator in spiritualibus tenebris ambulat, quia lucem veræ diei non intuetur. Nescit in super quo gressibus animi gradiatur, putat interdum bene agere, & saluari, sed dire damnatur. Hinc de peccatoribus Psalmista dicit. Nescierunt, neque intellexerũt, in tenebris ambulant. Excæcati enim lucem tenebras appellant, & tenebras lucem, asseruntque bonum malum, & malum bonum. Et ita de operibus bonis agendis iudicant, & discernunt. Sicut de coloribus ille qui est corpore cæcus. Tales deinde ab altero cæco ducuntur, vt omnes in foueam cadant. Tum tertio, quia sicut *Quomodo* corpore cæcus bono duce destitutus sępenumero offen *cæcus peccatorem,* dit ad lapidem pedem suum non sine modica læsione, *significat.* interdum ruit in præceps non sine discrimine, ac modico periculo vitæ suæ. Ita peccator vitijs assuetus, ac dierum malorum inueteratus ex malo culpæ ruit in maius malum, & animi pedes læraliter impellit in lapidem offensionis, & petram scandali. Interdumque putans se in aliquo operæ obsequium præstare Deo, illum prouocat ad iram, quia malum est illud opus quod existimat esse bonum. Quamobrem in periculo non paruo quantum ad animam versatur.

Ceterum vt huiusmodi spiritualiter cæcus, & peccator lumen cordis recuperare valeat, quod per peccatũ amisit, tenetur eadem facere quæ fecit hic cęcus in euangelio cõmemoratus, vt illuminaretur à Christo. Primo enim magno animi affectu, & fide sincera, cũ bono non amplius peccandi ꝓposito, vna cũ Propheta dicat. Illu- *Dauid.* mina oculos meos ne vnq̃ obdormiã in morte. Rursus tenet peccator vt illuminet a Deo toto suo conatu reijcere a se oĩa impedimenta quę ipsum retrahere vñr ne ad Dñm conuertat. Quẽadmodum cecus hic in Euãgelio cõmemoratus, increpatus a turba vt taceret, maiori

voce clamabat, petens beneficium illuminationis à Christo. Nempe cum quispiam à via sua mala optat retrahere pedem, ex vna parte increpat eum caro, dicens. Quid nunc tot ieiunijs, vigilijs, orationibus, tam dyrę corpus affligere cupis? Ex alia parte mundus, cur tam delitiosas voluptates meas amittere optas? Ex altera vero dæmon suggerit viam pœnitentiæ esse difficilem, & asperam. Demum & socij præteritæ culpatæ uitæ, ac homines mundi, eum hippocrytam, & insanum appellant. His tamen omnibus insuper, & inclinationibus ad malum ex longa consuetudine contractis, quę præcipuæ à via iustitiæ animum retrahere videntur, debet animosæ reluctari, neque aures præbere, sed in suo clamore persistere, donec exaudiatur à Domino. Præterea tenetur peccator cum à Domino fuerit vocatus internis, videlicet, inspirationibus, ab eo petere, vt videat lumen diuinæ gratiæ. Quemadmodum cæcus iste adductus ad Christum ipsum vocantem, & interrogatus quid sibi vellet ab eo fieri, respondit, Domine, vt videam. Quibus verbis non aurum petiuit, nec argentum, aut mundi honores, sed id, quod summæ sibi erat necessarium, scilicet oculorum illuminationem. Ita peccator post magnum clamorem, & reiectionem quorumcunque impedientium sui conuersionem, interrogatus à Domino quid sibi velit impendi beneficij, respondeat id vnicum verbum. Domine vt videam. Illumina, quæso, oculos meos, quoniam tu illuminas lucernam meam, domine Deus meus, illumina tenebras meas. Infunde lumē gratiæ tuæ, oculis mentis meæ, &c. Tandem tenetur peccator iam iustificatus, & illuminatus à Deo, magnis laudibus Dominum sequi, quemadmodum cæcus illæ, cuius meminit Euangelium, postquam visum recepit, non redijt ad suum pristinum vestimentum, quod abiecerat cum vocaretur à Domino, vt expeditius, ac celerius veniret ad ipsum, sicut Marcus Euangelista scribit. Sed eo relicto secutus est Dominum. Ita & nos illuminati diuina gratia, non debemus ad illam antiquam male viuendi consuetudinem redire paulo

Quæ retrahunt à bono opere.

Cæcus peccator quid agere debeat.

re paulo ante relictam, ſed enitendum eſt, vt recta via progrediamur, ſequentes veſtigia Chriſti in ſemita mandatorum Dei.

Aliter etiam id Euangelium ſpiritualiter interpretari poteſt. Nam cæcus erat mundus, vel populus Gentilis qui ambulabat in tenebris. Sed vidit lucem magnam, quando venit plenitudo temporis, & miſit Deus filium ſuum, quando propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et verbum caro factum eſt, quando ambo exierunt de thalamo ſuo, ſimul in vnum diues, & pauper. Quãdo Maria peperit filium ſuum primogenitum, & cum eſſet duodecim annorum diſputauit in templo. Tunc aperuit oculos cæcorum, quando in ciuitate Nazareth aperuit librum Iſaię prophetæ de ſeipſo prophetantis, Spiritus Domini ſuper me, &c. Rurſus, Quando docebat in templo, & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras ſcit eum non didicerit. Item, Quando aſcendit in Montem, & docebat Apoſtolos de Regno Dei. Inſuper, Quando cum duobus Diſcipulis eundo in Emaus interpretabatur illis ſcripturis. Et tandem, Quando aperuit librum ſignatum ſigillis ſeptem. Ideo hic fieri poteſt concio de ſeptem ſigillis diuinitatis Chriſti, quæ fuerunt ſeptem illuminationes, quibus totus illuminatus eſt mundus. De quibus ſcribitur Tomo 2. cap. 6. car. 69.

Alia ſpiritualis expoſitio.

Quando mũdus fuit illuminatus

Concio de 7. ſigillis.

IN DIE CINERVM.

Exordium.

OMnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cœlo. Tempus naſcendi, tempus moriendi, tempus plantandi, tempus euellendi, tempus occidendi, & tempus ſanandi, tẽpus deſtruendi, & tempus ædificandi, tempus ridendi, & tẽpus flendi, tempus comedendi, & tempus ieiunãdi. Semper fuit tempus bonum operandi, nunquam tempus faciendi malum,

Eccleſ. 3.

malum, ad hunc finem creati sunt Angeli vt Deo famu
Dan.7. larentur, assisterent, & ministrarent, iuxta illud Danie-
lis . Millia millium ministrabant ei, & decies centena
millia assistebant ei . Ipsumque summo amore dilige-
rent, colerent, & adorarent, & qui hæc facere contem-
pserunt expulsi sunt de cœlo, dicente Ioanne factum est
prœlium magnum in cœlo &c. Hac de causa Deus po-
suit primum hominem in Paradiso voluptatis vt ope-
raretur & custodiret illum, at quia transgressus est præ
ceptum eius meruit tot bonis, tantaque voluptate &
iucunditate priuari. Ob id Deus vocat omnes homi-
nes in omni ætate sua tanquam operarios in vineam,
Galat. 6. id est Ecclesiam suam. Ideo Apostolus clamat. Dum
tempus habemus operemur bonum. Quia vt Domi-
Ioan. nus ait, venit nox quando nemo poterit operari, videli
cet, tempore mortis. Et ibidem, quæ seminauerit ho-
mo hæc, & metet, dicente Psalmista qui seminat in la-
crymis in exultatione metent &c. Et ille idem ad Rom.
Rom. 3. Gloria, honor, & pax omni operanti bonum. Rursus
omnibus bene operantibus promittit Dominus incor
ruptibilem coronam, & mercedem æternam, clamat
Matth. 20. enim ad procuratorem suum. Voca operarios, & red-
Apoc.14. de illis mercedem. Et in Apoc. Beati mortui qui in do
mino moriuntur, & subdit. Opera enim illorum sequu
tur illos, scilicet ad æternam retributionem, de qua in-
fra subdit. Ecce ego venio cito, & merces mea mecum
Apoc. 22. est, reddere vnicuique secundum opera sua. Iccirco ait
1.Tim. 5. Apostolus Paulus ad Timoth. Dignus est operarius
2.Cor. 5. mercede sua, & ad Corinth. Vnusquisque mercedem
suam accipiet secundum suum laborem. Nam vt Salo-
Eccl.16. mon inquit, Misericordiam faciet Dominus vnicuique
secundùm meritum operum suorum. Itaque de seipso
2. Tim. 4. idem Apostolus ait, Bonum certamen certaui, cursum
consumaui, ideo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.
Ioan. 5. Et tandem Christus in Euangelio concludit, & proce-
dent, Qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui
vero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Sed quia
initium omnium bonorum operum, & omnis spiritua

lis

lis vitæ est de præteritis malis pœnitentiam agere, errata plangere, & plangendo iterum non committere. Ideo primus concionator legis naturæ fuit Noë qui centum annis dum fabricaret archam pœnitentiam concionatus est dicens, finis vniuersæ carnis venit coram Domino repleta est terra iniquitate &c. Moyses deinde primus concionator legis scriptæ, quadraginta annis ad pœnitentiæ sacrificium hortatus est populum suum in deserto, dicens. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis, Ionas insuper primus concionator Assyriorum in medio ciuitatis Niniuitarum pœnitentiam clamans aiebat, adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, ipsi autem pœnitentiam agentes salui facti sunt. Rursus, Ioannes Baptista primus concionatur legis Christi in deserto clamabat, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum celorum, ita Christus in sua prima concione idem asseruit, Ecclesia tandem more antiquorum patrum qui in signum pœnitentiæ spargebant cineres super capita sua vt Dauid, Achab, Iudith, Hester, Viri Niniuitæ, Idem faciens clamat (Memẽto homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris) Item, memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Recordare insuper, quia homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs &c. O, igitur mors, quam amara est memoria tua, his qui male agunt, dulcis autem his qui bene operantur. Nã, vt Salamon ait, melior est dies mortis, q̃ dies natiuitatis. Melior est ire ad domum luctus q̃ ad domum conuiuij siquidem dies mortis virorum bonorum dicũtur natalitia sua, dicente Apostolo, cupio dissolui, & esse cũ Xp̃o & Dauide; Heu me quia incolatus meus prolungatus est &c. Ecce igitur fratres nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis, in quibus agenda est pœnitentia in cinere, & cilicio. & quid est penitentiam agere, nisi viuere secundum spiritum, & non secundum carnem? Quemadmodum Apostolus scribens ad Rom. inquit, Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus, Si enim secundum carnem vixeritis moriemini,

Paulus.
David.
Rom. 8.

riemini, Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis uiuetis, Supra enim dixerat ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, Ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Et alibi. *Rom.7* Caro,& ſanguis, Regnum Dei non poſſidebunt. de hac materia diffuſe locuti ſumus Tomo 6.

Sunt autem homines his temporibus in multiplici differentia, Quidam tanquam viri perfecti pœnitentiã agunt quo ad partem interiorem viuentes ſecundùm ſpiritum, & quo ad exteriorem ieiunando, & corpora caſtigando, iuxta illud Apoſtoli, Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs ſuis (alij nec interius, nec exterius ſe pœnitent, vt viri peſſimi) plerique tantum interius, vt boni non valentes ieiunare. Nonnulli tantum exterius, vt Hippocrytę, de quibus Chriſtus in hoc Euangelio.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri ſicut hippocrytæ triſtes. Exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem ſuam.

Poſtquam Chriſtus inſtruxit nos ad eleæmoſynas largiendas, pariter & adorandum, docuitque nos modum faciendi eleæmoſynam, necnon & formam orandi, nũc vero admonet nos ad ieiunium, ſimulque docet modum, & formam ieiunandi. Ideo decet, vt promiſimus aliqua de ieiunio ſaluti noſtræ valde neceſſaria pertractare. non minus diuinorum eloquiorum concionatoribus perutilis. Eſt igitur ſciendum, quòd accipiendo ieiunium proprie pro abſtinentia à cibo, & potu, triplex eſt ieiunium, ſcilicet, naturæ, virtutis, & eccleſiæ.

Triplex ieiunium.

Ieiunium naturæ, quid.

Ieiunium naturæ, & abſtinentia cibi, & potus, integro naturali die. Hoc modo ieiunat qui per vigintiquatuor horas à cibo, & potu ſe abſtinet. Et cum hoc ieiunium dicat puram priuationem non eſt virtus, neque actus virtutis.

Ieiunium virtutis, quid.

Ieiunium vero virtutis eſt actus temperantiæ, & eſt refrænatio quædam delectationum guſtus in cibo, & potu, ſecundum regulam rectæ rationis. Et ſic ieiunat, qui temperate cibum, & potum ſumit, ſecundum quòd ratio recta dictat. Hoc modo ſemper

ieiu-

ieiunandum est quia nunquam in cibo,& potu, contra regulam rectæ rationis excedere licet. Ieiunium autem ecclesiæ,est abstinentia à cibo,& potu,secundùm regulam ab ecclesia institutam. Est autem regula ab ecclesia instituta, quòd ieiunans præter prandium, vel cœnam,nullum cibum sumat. Et per hoc soluit ieiunium quisquis in die naturali plusquam semel comedit, &c. Sed adhuc sciendum est,quòd ieiuniorum ecclesiæ quędam sunt de consilio, quædam sunt de præcepto. De consilio,vt aduentus Domini,Rogationes,&c.De pręcepto vero sunt Quadragesima, quatuor Tempora, multæque vigiliæ: vtputa,Natiuitatis Domini: Assumptionis Mariæ virginis: Apostolorum,& Martyrũ,&c. Ab his autem ieiunijs exceptuantur multi, qui propter legitimas,& rationabiles causas ieiunare non tenētur. Quæ quidem causæ in genere sunt tres, scilicet,infirmitas,paupertas, & labor. Est autem infirmitas quadruplex,videlicet,infirmitas languoris,complexionis,ætatis,& conditionis. De quibus omnibus latius loquuntur Doctores Theologi in 4. senten. dist. 16. quæst.3. Nos autem de ieiunio ea dicemus,quæ tantum in scripturis sanctis habentur. Vel quæ per scripturarum testimonia probari possunt euidenter.

Ieiunium ecclesiæ, quid.

Ieiunia de consilio.

Ieiunia de præcepto.

Infirmitas, paupertas, & labor, excusant à ieiunio.

Primo igitur dicendum est, contra falsa Lutheranorum dogmata,quòd præcepta legis humanæ,siue positiuæ,obligant iustæ,& sanctæ omnes legi subiectos, secundùm Legislatoris mentem præcipientis, etiam in foro conscientiæ. Quamobrem eorum transgressio sine rationabili causa est mortalis culpa, etiam si nõ fiat ex contemptu,sed ex negligentia, passione, aut consequenda voluptate, nisi fieret ex subreptione, inaduertentia,aut ignorantia excusante. Quare omnes potentes ieiunare,nisi adsit legitima,& rationabilis causa excusans, tenentur sub pœna peccati mortalis ecclesiæ parere præceptis,Et hoc quippe quamplurimis scripturarum auctoritatibus comprobatur. Ait enim Christus ecclesiarũ præpositis.Qui vos audit,me audit: qui vos spernit,me spernit. Qui autē me spernit:spernit eũ qui misit

Contra recentiores hæreticos.

Ad ieiunandum, obligat ecclesia

Luc. 10.

Matth. 10. misit me. Et alibi, Quicunque non receperit vos, aut audierit sermones vestros, &c. Et subdit. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorræorum in die iudicij, q̃ illi ciuitati. Et infra, ille idem ait. Si
Matth. 18 quis ecclesiam non audierit, sit ille tibi, sicut æthnicus & publicanus? Et rursus, Christus clamat. Super ca-
Matth. 23. thedrā Moysi, sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia quę cunq; dixerint vobis seruate, & facite. Pręterea, Moyses
Deut. 27 scripsit in Lege. Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. At in veteri Testamento, Mors non erat infligenda nisi propter mortale crimen, igitur transgressio præcepti summi Sacerdotis sine legitima causa est peccatum mortale. Ad idem quoque loquitur Apostolus scribens Roma-
Rom. 13. nis. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Damnatio autem non acquiritur nisi per letale crimen, igitur. Item ad He-
Hebr. 13. bræos, Filij obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri
1. Petri 2. pro animabus vestris. Petrus proinde inquit. Serui subditi estote in omni timore dominis vestris, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis. Quod tamen intelligendum est de his, qui iuste, licite, & honeste, præcipiunt. Et his omnibus euidenter patet contra recentiores hæreticos, q̃ transgressio præcepti ecclesiæ obligat ad culpam mortalem. Possunt etiam ad illius confirmationem quamplurimæ adduci auctoritates sanctorum Patrum, Theologorum, & Canonistarum, sed quia has forte Lutherani non admittunt, ideo prætermitto. Præterea Leges positiuæ ecclesiæ, vim habent obligandi in foro conscientiæ a lege æterna à qua deriuantur, Quoniam, vt supra diximus, omnis lex secunda, obligationem virtute primæ legis, minimeque obligare, potest, nisi sit diuinæ legi consona. Ideo quidquid iustū est

lege

lege humana,iuſtum eſt lege diuina. Cui arridet illud Sapientię dicentis.Per me reges regnant,& conditores legum iuſta decernunt,Itaque ſi eccleſia præcepit ieiunium,omnis Chriſti fidelis, (ſemoto impedimento)ei parere tenetur. *Prouer.8.*

Sed forte quæret quiſpiam,vbi eccleſia præcepit ieiunium,& præcipue quadrageſimæ. Reſpondendum eſt, ꝙ ieiunium Quadrageſimæ habetur de conſecr.diſt.5. cap. Quadrageſima,vbi dicitur. Quadrageſima ſumma obſeruatione eſt obſeruanda,vt ieiunium in ea præter dies dominicos, (qui de abſtinentia ſubtracti ſunt) niſi quem infirmitas impedierit, nullatenus ſoluatur. *Quæſtio.* *Reſpon.* *De conſecr. diſt.5.*

Item, Auguſtinus de Quadrageſima,inquit. In iſto legitimo tempore exceptis Dominicis,nullus prandere præſumat, niſi forte ille quem ieiunare infirmitas nõ permittit.Quia alijs diebus ieiunare,aut prĕmium, aut remedium eſt,in Quadrageſima vero non ieiunare, peccatum eſt. *Auguſt.*

Præterea, Beatus Ambroſius ſermo 34. Quiſquis Chriſtianus conſecratam non impleuerit Quadrageſimam,præuaricationis, & contumaciæ reus tenebitur, legem diuinitus pro ſalute ſua datam reſcindit ipſe.Reſcindit enim legem qui exemplum ieiunij Dominici non cuſtodit. *Ambroſ.*

Rurſus,ſermo.36.Probauimus hunc numerum quadragenarium,non eſſe ab hominibus conſtitutum, ſed diuinitus conſecratum,nec terrena cogitatione inuentum,ſed cœleſti maieſtate præceptum.Et ideo qui conſtitutum numerum,vna die manducando præterijt, nõ vt vnius diei violator accuſatur,ſed vt totius. Quadrageſimæ tranſgreſſor arguitur.Et ſequitur.Necnon tam ſacerdotum præcepta, quam Dei ſunt. *Ambroſ.*

Proinde: in ſermone Quadrageſimæ ille idem ait, Ille Quadrageſimam facit qui ieiunando, & vigilando aſcendit ad Paſcha. Nam ſicut reliquo anno ieiunare præmium eſt,ita in Quadrageſima non ieiunare peccatum eſt.Illa.n.voluntaria ſunt ieiunia,&iſta neceſſaria. *Ambroſ.*

Illa

Illa de arbitrio veniunt ista de lege. Ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Valent quippe huiusce auctoritates hoc in loco ad maiorem ecclesiæ præcepti confirmationem.

De quatuor temporibus. De ieiunio etiam quatuor Temporum habetur in cap. statuimus, dist. 76. vbi dicitur. Statuimus etiam, vt ieiunia quatuor Temporum hoc ordine celebrentur. *De vigilijs Apostolorũ.* Pariter & de vigilijs Apostolorum in cap. Consilium, de obser. ieiunij, vbi dicitur: Omnium Apostolorum vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ, simul & aliquorum Martyrum. Quare &c.

Obijciunt Lutherani, sed eorum obiectionibus respondetur. Cap. X.

Obiect. OBijciunt recentiores hæretici, dicentes, Christus nõ instituit ieiunia aliqua. Nam si legatur tota Euangelica doctrina, nullum inuenietur de ieiunijs præceptum, aut consultum. Item. Si Christus imposuisset ieiunia sub præcepto, vel consilio, ipse maxime frequentasset ea, & instruxisset discipulos suos assuefaciendo eos ad illa, quod non fecit. Nam discipuli Ioannis Baptistæ mirabantur dicentes ad Christum, *Luc. 5.* Quare nos, & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Præterea. Christus ad turbas, inquit, *Matth. 15* Non quod intrat in os coinquinat hominem.

Responsio. Ad duas primas obiectiones dicendum est, quòd Christus non instituit ieiunia, nec etiam posuit ea expressæ sub consilio. Tum primo, quia Christus voluit dare legem breuissimam, itaq; noluit eam replere præceptis non necessarijs, sed solum ea quæ necessaria erãt dedit. Tum secundo, quia nullum præceptum Christi est dispensabile per aliquem hominem. Si ergo Christus instituisset ieiunia, nullo modo fuissent dispensabilia, modo licet interdum non ieiunare. Igitur: Tum tertio, quia lex Christi est magnæ libertatis, teste Apostolo. *Galat. 5.* Ideo obseruantias cæremoniarum, nullas dedit in lege

in lege.Reliquit tamen magisterio Spiritus sancti,& ecclesiæ de his ordinandum, & prænunciauit illa esse inter fideles in posterum seruanda.

Ad tertiam obiectionem dicendum est, quòd Lutherani ex his verbis Christi licitum esse comedere carnes omni die,tempore ue,sine peccato affirmant. Et nunquam licere ieiunare. Contra quos sic milito.

Si illud, quod intrat per os non coinquinat hominem, cur præcepit Deus Adæ ne comederet de pomo, & cur Adam comedens,ita peccauit? *Refragatur obiect.*

Si verum est,quòd intrat per os non coinquinat, hominem &c. Cur filij Israël ita peccarunt optantes comedere carnes, & ita fuerunt à Deo puniti. *Num.11. Psal.77.*

Si quod intrat per os, &c. Cur Deus præcepit filijs Israël ne comederent carnes porcinas, sanguinem, & suffocatum? *Leuit. 18.*

Si quod intrat per os,&c. Cur Saul Rex præcepit,dicens: Maledictus qui comederit panem vsque ad vesperam,sequens victoriam contra Philistæos. Et omnes obseruarunt Regis præceptum,præter Ionathan. Quã obrem contra eum iratus est Deus. *1.Reg. 8.*

Si quod intrat per os,&c. Cur Ionadab præcepit filijs suis ne biberent vinum vnquam?Quibus Dominus ait: Pro eo,quòd obedistis voci patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, non deficiet vir de stirpe vestra,stans in conspectu meo semper. Cur & nos non debemus obseruare præcepta Patrum nostrorum,qui fuerunt illuminati à Spiritu sancto? & erimus præmiati, vt filij Ionadab. Aliter puniti,vt Ionathas. *Exaggeratio in luthe ranos.* *Hierem.35*

Si quod intrat per os, &c. Cur septem Machabæi noluerunt comedere carnes suillas, & ecclesia celebrat eos Martyres?

Si quod intrat per os,&c.Cur Esaias clamat.Væ,qui mane consurgitis ad ebrietatem sectandam? Et Apost. Nolite inebriari vino,in quo est luxuria.Et alibi: Non in comessationibus,& ebrietatibus. Aliter liceret super flue comedere,& bibere. *Isa.5* *Heb.5.* *Rom. 13.*

Si quod intrat per os non coinquinat hominem.

1. Cor. 8. Cur Apostolus ait. Si esca scandalizat proximum meum, non manducabo carnes in æternum? Et Gabriel Angelus de Ioanne Baptista cur prædixit dicens. Vinum, & siceram non bibet. Esca eius erunt locustæ, & mel syluester. Si igitur à delicatioribus cibo, & potu abstinere, ac carnem ieiunijs, & abstinentijs domare salubre non esset, nequaquam in commendationem Baptistæ, hæc in Euangelio conscripta fuissent.

Vera intelligentia verborum Christi.

Et si dicas, quomodo igitur intelligendum est illud Christi dictum? Respondetur, quòd illud, quod intrat per os, de sua natura coninquinat animam. Sunt autem quatuor respectu cibi, & potus, quæ coinquinant animam, non ipse cibus.

Primum coinquinans animam.

Primum est, Inobedientia, quando, scilicet, præcipitur à Deo, à Christo, vel Ecclesia ne comederemus talem cibum, vel ieiunandum esse, quibus tenemur obedire, vt supra patuit.

Secundum.

Secundum est, Scandalum quod sequitur, vel sequi potest, ideo indigente cibo, vel non valentes ieiunare, secrete comedant, ob scandalum euitandum. Dicit tamen Augustinus. Qui ieiunant, non ieiunantes minime spernant. *August.*

Tertium.

Tertium est, Inordinata, & irregulata concupiscentia, vt in filijs Israël.

Quartum.

Quartum est, Superfluitas cibi, & potus. Ideo dicitur. Nolite inebriari, &c. Non igitur cibus sed hæc quattuor, coinquinant hominem. Propterea Christus non est cõtra ieiunium, qui quadraginta diebus, & noctibus ieiunauit, & hũc quadragenarium numerum consecrauit, velut decima pars anni, quæ Deo debetur.

Amplectendum est igitur summopere hoc sacratissimum ieiunium ab Ecclesia institutum, tum maxime quadragesimale, quod & Christus insinuat, & opere adimpleuit. Quoniam si volumus totam scripturarum seriem transcurrere, inueniemus patres, tam Veteris, quàm noui Testamenti, assidue ieiunasse, non tam pro carnis, seu corporis maceratione verumetiam pro multis gratijs à Deo obtinendis. Ac propter eorum

Cur patres vtriusque testamenti ieiunant.

rum multa peccata purganda, & delenda, necnon & alijs multis de causis. Ecce filij Israël ieiunant, vsque ad vesperam, percussi à Beniamitis, flentes, & orantes, & offerentes holocausta, ac petentes an tertio prœliarentur contra Beniamin. Ieiunant insuper filij Israël confitentes Deo peccata sua. Pariter ieiunat vsque ad vesperam Dauid cum suis audita morte Saulis, & Ionathę. Et illæ idem ieiunat, & orat pro paruulo suo percusso à Domino. Ieiunat Achab & dormit in saccho, ambulans demisso capite, & miseretur eius Dominus. Item: Ieiunium prædicat Iosias omni populo & leguntur verba libri Hieremiæ Prophetæ. Ieiunauit insuper quadraginta diebus & quadraginta noctibus Moyses in monte Synai. Pariter & Helias qui meruit ambulare vsque ad montem Dei Oreb. Ieiunium quoque prædicant Niniuitæ, & conuertuntur ad Dominum in prædicatione Ionæ Prophetæ. Rursus, Ieiunium cum oratione iungit Sarra filia Raguelis. Præterea, Hester ieiunat tribus noctibus, ingressura ad regem. Necnon & Iudith ieiunat omnibus diebus vitæ suæ. Sic Daniel in ieiunio orat, & deprecatur Dominum, Ieiunauit quoque Christus, vt exemplum ieiunandi largiretur nobis. Vt supra diximus. Item, Ieiunantes fideles & orantes, manus Paulo & Barnabæ imponunt, & mittunt ad prædicandum. Denique omnes Apostoli erant perseuerantes in ieiunijs, orationibus, & eleæmosynis. His ergo scripturarum testimonijs euidentissime liquet quantum sit vtile ieiunium, & Deo gratum, & acceptum, & non inane ab Ecclesia præceptum.

Iud. c, 20. 1. Reg. 7. 2. Reg. 1. 2. Reg. 12. 3. Reg. 21. Hier. 36. Exo. 34. 3. Reg. 19. *Ionæ 3.* *Thob. 3.* *Hester 4.* *Iud. 8.* *Dan. 9.* *Act. 13.* *Act. 14.*

Epilogus dictorum.

Volens igitur Christus ad obseruationem tanti ieiunij nos inducere, semota quacunque gloria vana, & hypocritarum simulatione, ait. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c. Sed pro maiori verborum Christi euidentia, est sciendum quod teste Zacharia quadruplex erat ieiunium apud Hebræos, scilicet ieiunium quarti mensis, in quo capta fuit ciuitas Hierusalem. Et ieiuniũ quinti, in quo ciuitas, & tẽplum

Zach. 8. 4. Reg. vlt. *Quadruplex Hebræorum ieiunium.*

destructa sunt. Et ieiunium septimi, in die expiationis, propter mortem Godoliæ. Et ieiunium decimi, quia tunc Ezechiel, & populus existens in Babylonia, audierunt rumores de subuersione Hierosolymę, & Templi, in ore Prophetarum, & Euangelistarum decantatissimi, post destructionem Ciuitatis, & Templi, tempore Sedechię Regis infortunatissimi. Iudæi postea ieiunauerunt annuatim illa die.

Primum ieiunium. Primum igitur ieiunium erat propter ciuitatem Hierusalem, quæ capta fuit ab inimicis, mense tali.

Secundum ieiunium. Secundum ieiunium erat propter destructionem Ciuitatis, & Templi.

Tertium ieiunium. Tertium, propter mortem Godoliæ, quo tempore, multas passi sunt aduersitates.

Quartum ieiunium. Quartum, tempore Sedechiæ, quo tempore etiam nimirum ab inimicis vexati sunt. Quamobrem Iudæi semper ieiunabant cum erant vexati, & traditi in manibus inimicorum. Sic Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, fingebant se continue ieiunare propter peccata populi, ostendentes tristitiam in faciem, & ita decipiebant populum. Quare dicit Christus discipulis suis, vt ad primum propositum redeamus. *1. Reg. 22. 2. Reg. 1.*

Quid hippocrita. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hippocrytæ. Hippocryta enim dicitur, ab ὑπὸ, quòd est sub, & χρυσόν, quod est aurum, quasi sub auro. Vt si quis haberet pallam ferream, sed deauratam, illa diceretur hippocryta, hoc est simulata. Quia ostendit se esse de auro, & non est. Sic homo per opera exteriora ostendens se esse iustum, & non existens, dicitur hippocryta, id est, simulator. Exterminant enim facies suas, id est vtuntur quibusdam vnguentis sulphureis quæ pallescunt, vt videantur ab hominibus ieiunantes, & habeantur vt Sancti, vt honorificentur ab illis. Vel exterminant, id est, quasi extra terminos proprios ponunt, & adducunt facies suas. Ac deformant corpora sua, habitu sordido, & squalido deturpant semperque videntur. Tristes, & quasi de peccatis aliorum lugentes, vt religiosiores præ ceteris appareant, & inde laudes ab hominibus recipiant. Amen, *Quid exterminare facies.*

id est,

idest, In veritate dico vobis, receperunt mercedem suã, hoc est gloriam vanam quam quærebant, at in futuro recipient pro simulatione damnationem, quam non timebant. Nolite filioli, quasi velit dicere Christus speciem virtutis ostendere, ipsa virtute carentes. Nolite tristes vultus exterius pandere, intrinsecus autem veram peccatorum tristitiam non habentes. Illa sola est vera tristitia, qua homo propter peccata sua ad pœnitentiam contristatur. Omnis vero seorsum ab ista tristitia dissuadetur. Nolite ergo in ieiunio hippocrytis similes fieri, qui sunt pictores diaboli, quoniam detestabile quidem est hippocrytarum genus, qui exterminant facies extra naturales terminos, illas aliquo artificio immutantes. Sed si decipiunt homines intuentes, non decipiunt tamen dæmones à quibus decipiuntur. Neque decipiunt illum desuper inspectorem, cuius oculi omnia latentia intuentur. Qua de re omni studio, totisq; viribus satagendum est in rectam intentionem iustitiæ ne temporalem aucupando mercedem, perdamus æternam. Propter quod Saluator cautelam ieiunandi subdit.

Fugere simulationẽ hortatur Christus.

Quid vera tristitia.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciẽ tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito. Et *pater tuus qui videt te in abscõdito reddet tibi.* Duplici ieiunio potest quis ieiunare, spirituali videlicet, & corporali. Spirituali ieiunio, ieiunat cum ab omnibus vitijs se abstinet. De quo Dominus per Esaiam ait. Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris, &c. Veræ hoc equidem ieiunare est. Corporali autem ieiunio, cum se abstinet à cibo, & potu, vt supra dictum est. Quocunque modo ieiunet homo, regulam dat ei Christus, dicens. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua in signum lætitiæ. Talibus enim vn-

Ieiunium spirituale quid.

Isa. 58.

guentis, & lotionibus corporis vtebantur Iudæi in diebus solemnibus, & festiuis, in quibus non licebat ieiunare. Per talem nanque vnctionem, & lotionem, nihil aliud Christus ostendit, nisi quòd ieiunium nostrum ita fiat occulte, vt non videatur ab hominibus, vt laus, & gloria quæratur ab eis. Sed tantum Deo patri debet innotescere, qui est in abscondito cordium, & scrutatur corda, & renes hominum. Et pater tuus qui non obliuiscitur tui, videt te in abscondito, id est approbat rectam, & secretam intentionem tuam, reddet tibi, scilicet ieiunij mercedem. Quia reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.

Alius modus exponendi.

Vel aliter potest exponi, quia forte hoc præceptum magis ad interiorem hominem pertinet. Vnge caput tuum, idest Christum. Quoniam teste Apostolo, vis caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. (*Philip. 5.*) Istud caput vnge, non oleo vanæ gloriæ per adulationem, de quo Psalmus. (*Psal. 140.*) Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Sed oleo lætitiæ, & exultationis, hoc est, omnia fac ad laudem, & gloriam Dei, & Iesu Christi, qui est caput tuum, vt Deus glorificetur, & magnificetur in te. Et faciem tuam laua. Pro qua est faciendum, quòd triplex reperiretur facies in scripturis sanctis, scilicet, facies diuina, diabolica, & humana. (*Triplex facies.*) Facies Dei, dicitur multis modis. (*Prima facies.*) Quandoque enim Dei facies est quidquid ante mundi exordium fuit, & quidquid post mundi consumationem erit. De qua pulcherrimam visionem habuit Esaias. Vidit nanque duos Seraphin, sex alæ vni, & sex alæ alteri. Duæ tegebant faciem, & duæ pedes eorum. Duabus autem alijs medijs volitabant, Duæ alæ faciem eorum tegentes, nihil aliud ostendunt, nisi quòd quidquid ante mundi exordium fuit, nobis velatum est, & occultum, sicut generatio filij æterna, & productio Spiritus sancti. Similiter, & quidquid post mundi destructionem sequatur per illas duas alas quæ pedes tegebant, nobis occultatur, Sed tantum quæ sunt inter media volitando, id est, discurrendo, & legendo

cogno

cognoſcimus. Inde de Paulo dicitur, quòd audiuit raptus vſque ad tertium cœlum arcana verba, quæ non licet homini loqui. *2. Cor. 12.* Interdum facies Dei eſt ipſa conſideratio,& viſio Dei, de qua pſalmographus. *Secunda facies Dei.* Quo ibo à ſpiritu tuo,& quo à facie tua fugiam. Quaſi dicat, Nullus ab oculis Dei ſe abſcondere poteſt. *Pſal. 138.* Hinc miſerrimi primi parentes poſt peccatum ſe abſcondere arbitrati ſunt à facie Dei in medio ligni paradiſi, ſed nequiverunt. *Gene. 3.* Plerunque facies Dei dicitur dulcedo contemplationis: eius, quam interdum à ſeruis ſuis abſcondit Deus. *Tertia facies Dei.* Vnde Iob clamat, Cur faciem tuam abſcondis,& arbitraris me inimicum tuum? *Iob 14.* q.d. Tollis dulcedinem contemplationis tuæ, ac ſi tuus eſſem acerrimus inimicus. Nonnunquam facies Dei dicitur vita beata, ſeu diuina eſſentia, iuxta illud Apoſtoli. *Quarta facies Dei.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *1. Cor. 13.* Dauid quoque in Pſalmo. Oſtende faciem tuam,& ſalui erimus. *Pſal. 79.* Quam,& Moyſes videre petijt dicens: Oſtende mihi faciem tuam. *Exod. 33.* Et Dominus ad eum. Non videbit me homo,& viuet. Quandoque facies Dei dicitur ipſa benignitas,& humanitas ac bonitas Dei. *Quinta facies Dei.* De qua Pſalmus. Auertente autem te faciem tuam, omnis turbabuntur, aperiente te manum tuã, omnia implebuntur bonitate. *Pſal. 103.*

Secunda facies eſt diaboli, iuxta illud Ioëlis. *Iohel. 2.* A facie eius, ſcilicet diaboli cruciabuntur populi, id eſt peccatores decedentes in peccato.

Tertia facies dicitur humana,& hæc duplex, ſcilicet corporalis,& ſpiritualis. Corporalis, eſt pars anterior capitis, vbi vigent omnes ſenſus, de qua dominus per Eſaiam. *Quid facies corporalis hominis.* Faciem meam non abſcondi ab increpantibus,& conſpuentibus in me. *Eſa. 50.* Facies ſpiritualis eſt conſcientia noſtra, de qua hic Chriſtus. Faciem tuam laua, id eſt conſcientiam tuam. *Quid facies ſpiritualis hominis.* Et non immerito ſiquidem conſcientia noſtra triplici ratione dicitur facies humana. Primo ratione diſſimilitudinis. *Cur conſciẽtia dicitur facies.* Nam ſicut inter duos homines nõ eſt dare duas facies omnino ſimiles, ita nec duos homines omnino idem ſentientes. Quis enim conſcientiarum diuerſitatem enumerare ſufficit?

1. Cor. 4. Audi Apostolum dicentem. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et alio in loco, de conscientia ambigua, iterum ait. Video aliam legem in mébris meis, repugnantem legi mentis meę. Et captiuantem me in lege peccati. *Rom. 6.* Secundo, conscientia humana dicitur facies ratione denudationis, quoniam sicut facies hominis certa cognitio est, id est vnusquisque per faciem cognoscitur, ita per conscientiam, quilibet qualis sit, bonus, vel malus dinoscitur, sicut Sapiens ait: *Eccles. 19* Ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Tertio, conscientia dicitur facies, ratione dispositionis. Quoniam sicut facies totum hominem pulchrificat, vel turpe facit, sic cóscientia vnumquenque nobilitat, vel vilificat. Faciem igitur tuam laua, scilicet à peccatis, & malis cogitationibus, per contritionem, & cónfessionem, eo quòd clamat Esaias. *Isa. 5.* Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse, & discite benefacere. Et tunc facies vestras, id est conscientias vestrass lauabitis.

De magnis ieiunÿ laudibus.

Quatuor bona ex ieiunio. QVatuor præcipue bona oriuntur ex ieiunio. Primum: Remissio culpæ, & pœnæ peccati. Patet de Dauide, de populo Niniuitarum, & Rege Achab. Secundum: Victoria contra inimicos. Liquet de Iudith vidua, Iosue, Dauide, filijs Israël. Tertium, gratia Regis. Constat de Hester Regina. Anna matre Samuelis, & Anna vidua. Quartum: Expulsio dæmonum. Claret de Sarrha, & discipulis Christi, qui non potuerunt expellere dæmonem, nisi in ieiunio, & oratione.

August. Sermone de ieiunio. Augustinus: Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit.

Idem: Ieiunium superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere quod est infirmum, & fragile.

Bernardus: Bonum & salutare ieiunium quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur peccata nō solum autem ablutio est peccatorum, sed etiam extirpatio vitiorum. Non solum obtinet veniam, sed meretur gratiam. Non solum delet peccata præterita quę commisimus, sed etiam repellit futura quæ committere poteramus. *Bernardus. Sermo. 38.*

Idem: Ieiunium, orationem, deuotionem, & fiduciam donat. Oratio, virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium meretur gratiam orandi. Ieiunium, orationem roborat, Oratio sanctificat ieiunium, & repræsentat Domino. *Collatio ieiunij, & orationis.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. *Gen. 3.* Maledicta fuit terra in operibus Adæ, nec benedictionem aliquando accepit. Et in Apocal. scriptum est: Vę, væ, væ, habitantibus in terra. *Apoc. 8.* Et Deus fundauit eam super aquas, tanquam super fluxibile elementum quasi nihil stabile sit in terra, maxime illorum quæ ab hominibus pro beatitudine appetuntur. Igitur nostra bona, non sunt reponenda, imò nec quærenda in terra, siue spectent ad gloriam, & famam, siue ad ea, quæ vulgus, Bona fortunæ vocat. Præter id, quod naturaliter viuitur ad mensuram, & necessitatis simul, & naturę coaptatur. Non fiat itaque bonorum nostrorum appositio super terram. Etenim ipsa in cibum serpenti decipienti data est, eo malorum futurorum præsagio, quo terrena diligentes sint in cibum dæmonum transferendi, conterendique dentibus ęternarum pœnarum, quæs ipsi in æternum patiuntur. *Audiãt hæc auari, & terrenarum amatores.* Multa insuper pericula sunt in terra, super thesauros hominum, & super quæsitas copias rerum. *Multa pericula rerum temporaliũ.* Aerugo, scilicet, tinea, & fures. Aerugo, contra thesauros metallorum, tinea contra vestes, fures contra omnia quæ asportari manibus, aut onerarijs animalibus possent. Querimoniæ quotidie clamitant pro bonis terrenis. Heu igitur miseranda conditio mortalium terrena quærentium. Quoniam si suadetur omnibus credentibus Euangelio, vt in cœlestibus, scilicet,

licet, locis tutissime theusaurizent, & audire, atque com plere dissimulant. Non enim dedit Deus de impossibili tate præceptum, neque Christus de agendorum difficul tate consilium, vtique possibile factum est. Quamobrem salubre Christi cōsilium quod sequitur audiamus.

Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuū. Thesaurus nihil aliud est, quam congregatio diuitiarum. Congregantur autem diuitiæ, propter sufficientiam vitæ habendam hic in terra, in cœlo autem per eleæmosynarum elargitionem. Thesaurizemus igitur in cœlo, vbi nec ærugo demolitur, quia ibi nulla vetustas, nec tinea, q̃a ibi nulla passibilitas, & vbi fures non effodiunt nec furantur, quia ibi nulla violētia vel fraus. Excellentissimus nanq; modus thesaurisandi est quando bona temporalia, & transitoria in pios vsus consumuntur, & ita in bona spiritualia, & æterna, & in incorruptibilia commutantur. Non ergo thesaurizemus in terra, emolumenta terrænorum quærenda, vbi recondita deficiunt, & perduritur, & vnde sumus exituri. Sed in cœlo, vbi præmia meritorum recondita proficiunt, & seruantur, & vbi semper sumus mansuri. Vbi est enim thesaurus tuus (.i. res a te amata, & desiderata) ibi est, & cor tuum. i. affectus tuus. Necesse est enim vt quo pręcessit dilectionis thesaurus, illuc, & cogitationes affectus. Amor nanque teste Augustino est animæ pondus portans eam quocunque ipse fertur. Et anima verius est vbi amat quam vbi animat. Vt ergo in cœlis thesaurizemus, cœlestia diligamus.

Quid thesaurus.

Optimus modus thesaurizandi.

August.

FERIA QVINTA CINERVM:

De Centurione, ac intimo ipsius serui amore, pro quo Dominum rogauit.

C*Vm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogas eum, & dicens, Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Capharnaum erat prin-

principalis ciuitas Galilææ, eo quod erat metropolis illius terræ, tunc ciuitas gloriosa, sed nunc valde abiecta. Erat enim dilecta Christo propter nimiam fidem, & deuotionem habitantium. Illi quippe ciuitati dominabuntur quidam Regulus gentilis. Regulus, eo, quod de stirpe regia descenderat, & quia vt paruus rex ciuitatē Capharnaum tantum regebat. Antiquitus enim omnes domini habentes aliquod dominum, reges appellabantur. Erat insuper in illa ciuitate Centurio quidam, seu tribunus. i. princeps centum militum, positus ibi à Romanis pro collectione tributi, & custodia totius Galilææ ne forte vellent contra Romanos (quibus tota illa terra subiecta erat) rebellare. Et, vt diximus, ciuitas illa Capharnaum erat summopere grata Christo, propter quod ibi multa operabatur miracula. Sanauit nanque filium illius Reguli, & seruum illius Centurionis. *Ioan. 4.* Vnde cum Christus semel esset in Nazareth vbi fuerat nutritus, dixerunt Iudæi: Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac, & hic in patria tua. *Luc. 4.*

Sed deueniamus ad literalem huius Euangelij expositionem, prius videamus Reguli, Ac Centurionis comparationem, prout habetur in Euangelio Ioannis, & Lucæ. *Ioan. 2.* *Luc. 7.* Primo, ille erat Regulus, hic Centurio, miles. Ille habebat filium infirmum, hic seruum paralyticum. *Collatio Reguli, & Centurionis.* Ille odiebat Iudæos, hic valde diligebat eos, Regulus rapiebat aliena, & Iudæorum bona auferebat. Centurio ædificauit Synagogam Iudæis, Regulus non misit obuiam Christo cum vellet filium suum sanari, sed Centurio misit sacerdotes, & nobiles, ac amicos. imò, & ipse personaliter venit, vt hoc in Euangelio liquet. Ille voluit Christum introducere in domum suam, vt eius filium sanaret. Hic autem dixit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectū meum. Regulus non credidit, quòd absens Christus posset sanare filium eius, propter quod dicebat. Domine descende priusquam moriatur filius meus. Centurio vero, econtrario prohibebat ipsum in domum suam intrare dicens. Dic tātum verbo, & sanabitur puer meus.

Ille

Ille non credidit Christum esse Deum, sed sanctum hominem. Sed hic adorauit Christum, credens ipsum esse Deum. Ex qua comparatione euidenter ostenditur, quod Regulus, & Centurio non erant vnus, & idem, vt multi sine ratione putant, imò diuersi. Sed dices. Cur Christus sanauit famosos Gentiles, & non Hebræos? Respondetur, quia, nemo Propheta acceptus est in patria sua.

Obiectio. *Matth. 15.*

Et si obijces, quòd Christus ait, Nō sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Dico, quod equidem verum est, sed oues domus Israël, sunt omnes credentes in fide Abrahæ.

Responsio prima. *Respōsio 2.*

Vel aliter dicendum est, quod Christus primo missus est ad oues domus Israël, deinde ad omnes gentes, quemadmodum Paulus, & Barnabas, dixerunt. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis, æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit Dominus.

Act. 13.

Centurio, igitur vt ad primum propositum redeamus. Primo, misit ad portam ciuitatis nobiles, & amicos, vt Christum deprecarentur pro seruo paralytico, cum in ciuitatem ingrederetur. Deinde misit ad Templum Sacerdotes, & seniores Iudæorum ipsum diligentes, qui sollicite dixerunt. Dignus est exaudiri. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis. Iesus autem ibat cum illis, vt scribitur in Euangelio Lucæ.

Luc. 7.

Et cum iam non longe esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, qui & ipse cum illis venit, licet hoc non exprimat Lucas. Expresse tamen habetur hic in Euangelio, cum dicitur. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.

Sensus mysticus. *Quid paralysis.*

Per paralyticum, secundùm mysticam intelligentiam intelligitur homo peccator, & destitutus omni virtute bene operandi. Est enim paralysis dissolutio membrorum corporis & languida debilitatio, priuans interdum operationes sensus. Quandoque vero operationes motus, & plerunque vtroque. Sic etiam peccatum resoluit omnes animæ vires, redditque eas infirmas,

firmas, & id quidem trifariam. Nam in aliquibus est debilitatio quantum ad sensum, non autem quo ad motum. Vt in hæreticis qui non recte sentiunt de Deo propter suas hæreses, neque veram habent fidem, sed tantum opera efficiunt in suo genere bona, & mouentur ad bene operandum quantum ad exteriora. In alijs autem paralysis spiritualis, scilicet peccatum debilitat animam quantum ad motum, non tamen quantum ad sensum. Vt in malis Christianis, tamen recte credentibus, qui recte sentiunt de Deo per veram fidem, sed non mouentur ad bene operandum. In alijs vero peccatum aufert sensum, & motum, vt in infidelibus, qui nec fidem habent rectam, nec bona opera. Et idcirco destituuntur spirituali sensu, & motu. Porrò, vt liberetur peccator à morbo graui, collaborat, interdum per seipsum accedit ad medicum, & orat pro seipso, vt leprosus ille fecit, de quo iam dictum est. Sæpenumero vero ipse languidus per seipsum non valet ire, nec ad medicum accedere, sed alieno patrocinio indiget, & suffragio. Qualis fuit iste seruus Centurionis paralyticus, qui lecto decumbens, & grauiter cruciatus, non potuit accedere ad Christum, vt ab eo peteret sibi familiarem reddi, sed ad uocatum habuit optimum, scilicet, Centurionem, Dominum suum, in quo resplenduerunt insigniter præsertim tres virtutes, vt ex Euangelio facile colligitur, quæ reddiderunt eum aptum, & idoneum patronum, & exaudiri dignum.

Prima paralysis operatio.

Secunda paralysis operatio.

Tertia paralysis operatio.

Primo refulsit in Centurione mira benignitas, & humanitas erga suos domesticos etiam inferioris conditionis. Quoniam viscera miserationis, & compassionis habuit ipse etiam in seruum suum ægrotum, & ingentem habuit curam, atque sollicitudinem vt illi succurreret, & subueniret. Vnde non pepercit labori, vt ad Christum accederet, & pro salute sui serui ipsum suppliciter oraret, propter quod, merito est commendandus, & laude dignus. Et singulariter ipsum ob id commendat Origenes in Homelia præsentis Euangelij. Et omnes hortatur, vt illum in hoc opere imitetur, dicens.

Prima virtus Centurionis, humanitas, & benignitas.

Multi

Multi in illo tempore pro diuersis rogabant infirmitatibus. Alius pro filio, alius pro filia, alius, pro seipso, alius pro aliquo alio, & nullus pro seruo, nisi iste solus. Et forte & in augumentum beatitudinis, & ad coronam gloriæ id erat. Quid enim cogitabat iste beatus, quid æstimabat hic omnibus bonis plenus Centurio? Forte enim inter se dicebat. Iste mihi seruus est, & ego seruus creatoris sum me habet super terram Dominum, & ego hunc magnum in cœlis habeo Dominum. Si ergo ei non misereor, quomodo ille mihi miserebitur? Si ergo hunc non subuenio, quomodo mihi subueniet Dominus? Sic debent omnes qui famulos habent & famulas cogitare, sic misereri, sic condolere eis, sic supplicare, sic curam habere de seruis suis, vel de ancilis, sicut ille beatus Centurio fecit, Accesis igitur, ad Deum, fide, desiderio, & deuotióq;, magis quàm gressu corporalis præsentiæ quoniam ait Propheta, Accedite ad eum & illuminamini. Et rogauit eum dicens. Domine, in cuius potestate est infirmitas, & sanitas, mors & vita, puer meus, id est seruus meus. Pueri enim in scripturis dicuntur serui, quia sicut pueri sunt sub alterius domino, ita & serui, iacet in domo paralyticus. i. mēbris dissolutus, & destitutus, & male torquetur. Nō dixit, iacet in hospitali, iacet in diuersorio, sed in domo mea. Hunc recte quenq; nostrum admonet ecclesiastic' sapiens dicens. Si tibi est seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. Quasi fratrem, sic eum tracta. Quam quidem doctrinam, debemus omnes libēter amplecti. In sequitur gratuita & benigna responsio Christ. cum subditur.

Pulchra Origenis sētentia.

Psal. 33

Eccles. 33

Et ait illi Iesus. Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait. Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. O beata illa ciuitas. O quàm beatior illa dom'. O quàm plus beata illa anima cui dixit Christus. Ego veniam, & curabo eum. O vtinam iterum Christus ad hanc veniret ciuitatem, vt eam sanaret à peccatis. Sed non miremini fratres, si dixit Christus ego veniam & curabo eum quoniam & ipse uenit in mūdum nostras curarent

infirmi

infirmitates corporis & animi, saluare nos corporaliter & spiritualiter. Sed hic propemodum adest admirationis causa. Christus vult ire ad domum Centurionis non rogatus, sed non ad domum Reguli rogatus. Pariter & ad domum Zachæi non vocatus. Ecce admirabilis sapientia Dei. Regulus rogat, vt eat ad domum suam. Centurio prohibet, fide & precibus ipsum ire. Zachæus etiam cupit habere Christum in domum suã, & non audet loqui. Sed qui respicit corda hominum, secundum eorum fidem exaudit cor. Quapropter Centurioni dixit. Ego veniam, & curabo eum. O promissionem benignissimam. O responsum pium & propitium, quo ille non sanaret tantum puerum, sed ad eundem in domum venire pollicetur. Videbat enim ille qui omnia videt (quemque nihil omnino latet) ipsum cor Centurionis, sicut supra commemorauimus. Sed ò domine, ego enim audeo loqui tecum, licet sim puluis & cinis. Cur promittis aduentum tuum huic, qui nec petit, nec quærit, quod forte etiam ei non erit acceptabile, vt venias in domum eius. Propter quid igitur hoc profers? Petijt Regulus aduentum tuum, & tamen ire ad ipsum recusasti. Sed vt veritatem fatear vna cum Ioanne Chrysostomo, dico etiam diuina inspirante gratia, quòd ita hoc factum est, vt quanta sit Centurionis fides perdiscamus. Nisi enim ita fecisset, sed illico puerum sanasset, syncera illius feruensque fides ignota nobis fuisset, quam vtique sic manifestandam præsciebat Christus, si ipse plus Centurioni promitteret, quàm petisset. Quemadmodum & fidem mulieris Chananeæ comprobauit, dum non statim preces illius exaudiuit. Quasi si exaudisset subito, nihil nobis de perseueranti ista, & constantissima mulieris fide constaret. Est igitur ille sapientissimus omnium medicus, quem non latebat, sua ac tam prompta ad veniendum medicandumque exhibitione, fidem Centurionis manifestandum, sicut illa sua insanando mora mulieris quoque fiduciam, itidem omnibus esse publicandam. Pariter etiã Deus tentauit Abraham, nõ quòd

Luc. 19.

Nota pulcherrimam horum verborum meditationem.

Matth. 15.

Gen. 22.

quòd illius fidem ignoraret, ſed vt hoc ipſo illius exemplo, omnes homines diſcerent, conſtantem, & perſeuerantem habere in Deum fiduciam in omnibus tentationibus. Sicut etiam deinceps tentauit Iob, & probauit illius conſtantiam, non iam ante ignarus eiuſdem, ſed vt nos ex illo doceremur ſpem firmam, & fidem habere inconcuſſam in Deum. Et hic quoque modo Chriſtus nos ſcire voluit quantus fidei, & humilitatis theſaurus in iſtius Centurionis corde latitaret.

Sed primo de eius humilitate dicendum eſt: deinde de ipſius maxima fide. Quoniam (vt ſupra diximus) tres præcipue virtutes in eo emicuerunt, quæ ipſum aptum, & exaudiri dignum reddiderunt. Primo, quia refulſit in eo mira humanitas, & benignitas erga ſeruum ſuum. Modo ſecundo, quòd refulſit in Centurione admiranda humilitas. Nam cum Chriſtus ad petitionem eius pro ſeruo factam reſpondiſſet, Ego veniam, & curabo eum, ex gratuita bonitate ſua plus promittens, quàm ab eo petebatur, protinus in ſui humiliationem ſe deijciens, reſpondit: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. In tribulatione enim hac mea, agnoſco indignitatem meam, eo quòd ſum Gentilis, & non Iudæus. Domine quippe non ſum dignus, quia nullum bonum vere feci, ſed ficte. Et ſi qua aliqua bona ſunt, illa Dei gratia fiunt. Ipſe enim operatur omnia in omnibus. Vere Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, quia non ſunt condignæ paſſiones huius mundi ad futuram gloriam. Iterum dico Domine, quòd non ſum dignus aliqua gratia, quia caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Ego autem carnalem concupiſcentiam ſecutus ſum. O Domine, nihil boni feci, ſed ferè ſemper mala operatus ſum. Ideo non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Inſuper omnia quæcunque bona feci, ſi bona appellari poſſunt, amore cõmodi conſequẽdi, vel pœnæ fugiendæ feci. Sed quid denique dicam? Tu enim es Deus, ego homo. Tu creator, ego creatura. Tu impeccabilis, ego peccator.

Diſcurſus de magna Centurionis humilitate.

Tu omni

Tu omnipotens,ego impotentissimus Tu dominus, ego seruus. Igitur recte dico,domine nō sum dignus, vt intres sub tectum meum. Quibus verbis apertissime claret,qualiter Centurio protestatus est se esse indignum tanto hospite,quantus erat Christus.Sed indi- *Centurio se indignū tā to hospite fatebatur.* gnum se existimando, maximopere se dignum fecit, in cuius domum veniret Christus per diuinæ suæ virtutis efficaciam,& potestatem serui ipsius, curatricem gratiæ q illius sanatiuam. Hoc enim proprium est humilitatis donum,& munus,vt quanto quis se magis deijcit, et humilitatem in conspectu Dei, tanto magis ab ipso exaltetur. Et quanto se indigniorem existimat ad aliquod dei beneficium obtinendum, tanto fit ad illud assequendum dignior. Humiliemus igitur & nos assidue sub potenti manu Dei,vt nos exaltet in tempore visitationis.Quoniam vt ait Petrus.Deus su- *1. Petri 5.* perbis resistit,humilibus autem dat gratiam.

Tertio effulsit in ipso Centurione virtus veræ,& sinceræ fidei,cum subdit. Sed tantum dic verbo,Et sanabitur puer meus.Dic quippe domine tantum verbo, Quia Verbo domini cœli firmati sunt. Dic tantum verbo,quia, In principio erat verbum, & verbum erat *Ioan. 1.* apud Deum,& Deus erat verbum. Dic tm̄ verbo, q̱a, Non in solo pane viuit homo,sed de isto verbo quod procedit de ore Dei. Dic tantum verbo,quia recte di- *Matth. 4.* cit Petrus. Præceptor per totam noctem laborantes *Luc. 5.* nihil cepimus,in verbo autem tuo laxabo retem. Dic tantum verbo,quia. Verbum caro factum est,& habitauit in nobis. Dic tantum verbo,quia, Quotiescunque factum fuit verbum Domini super prophetas: illud fuit irreuocabile,& ineuitabile,velut iam factum. Dic igitur tantum verbo,per quod omnia creantur,reguntur,& sanantur,& sanabitur puer meus.Ipse enim *Ioan. 1.* dixit,& facta sunt:ipse mandauit,& creata sunt.Nempe credidit ipse Centurio firmiter ipsum Christum esse verum Deum,cum protestatus est, quòd solo verbi imperio etiam absens corpore, posset sanare seruum eius dicens, Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer *Centurio Christū esse Deum agnouit.*

meus. Quis enim dari posset purus homo, qui solo verbi sui imperio repente grauem morbum à languido expellat? Nullus profectò. Nam hoc solius Dei est proprium, de quo Propheta. Ipse dixit, & facta sunt, &c. Et hanc suam fidem in Euangelio præsenti confirmat efficacissimo argumento, dicens. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic vade & vadit, & alio veni & venit, & seruo meo, fac hoc, & facit.* Si vnumquodque istius Centurionis verbum diligenter attendere volumus, equidem inueniemus ipsum ex fortissimo, & efficaci argumento concludere Christum posse seruum suũ solo verbo sanare. Voluit enim sic dicere. Ego homo sum: & tu Deus, & homo es. Ego sub potestate Cæsaris sum: Tu vero sub nullius redigeris potestate. Tu omnibus dominaris, tibi omnis creatura subijcitur. Ego habeo sub me milites: Tu autem habes sub potestate tua supernas virtutes, hominesque terrestres. Isti mihi sunt ab Imperatore submissi: tibi omnia naturali dominatu subduntur. Obediunt mihi, quia volunt: tibi vero nihil repugnare valet. Dicô huic vade, & vadit, & alio veni, & venit. Tibi omnia pro tua voluntate obediunt, vt nec expediat verba formare, nec instrumenta commouere. Isti prompte obediunt mihi, quia sic decreuit Imperatoris auctoritas, tibi vero à teipso, quia Deus es omnium, & insuperabilis potestas. Et seruo meo, fac hoc, & facit. Sed tibi omnis creatura sciens, & nesciens, subiecta deseruit. Sed quid sit inferendum ex his verbis, Euangelistæ tanquam planum habentes non exprimunt. Ex hoc tamen loquendi ordine sequitur. Si mihi homini obediunt isti mihi commissi: multo magis tibi Deo vero, & homini vero, famulabuntur Angeli tui, Discipuli quoque quos elegisti, quòd si quid impolueris poterunt in tua virtute perficere. Siquidem amplius, si verbo mandabis absens, illico paralytica infirmitas à meo seruo recedet. Et hæc ratio est à minori ad maius. Quæ quidem ratio potest adhuc clarius formari, sic concludendi. Si ergo ego qui sum homo modicæ potentiæ, & maiori sub-

Psal. 32. et 148

Fortis ratio Centurionis à minori ad maius.

Confirmatur ratio.

ſubiectus, ſolo verbo operor per miniſtros meos, & poſſum imperare inferioribus qui ad verbum meū mihi obediunt, multo magis tu qui Deus es vbique præſens,& potens ſuper omnes poteſtates,& omnium Dominus,cui omnes poteſtates ſeruiunt,cui Angeli, & omnia obediunt,poteris ſolo verbo dicere infirmitati. Vade,& vadet. Et ſanitati,veni,& veniet. Et ſic ſine præſentia corporali,ſeruum meum curare. Et ideo non eſt neceſſe corporaliter eundo,te fatigare.

Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit. Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Hanc admirationem forte Eſaias in ſpiritu præuidit,cum dixit. Mirabitur, & dilatabitur cor tuum quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Sed ſi quis dicat,Chriſtus enim qui præſciuit omnia antequam fierent,quomodo admirari potuit ſuper eo,quod ante ſic nouerat futurum? Reſpondetur, quòd Chriſtus ſecundùm naturam diuinam habet ſcientiam, quam etiam ab æterno habuit ſibi cum Patre,& Spiritu ſancto cōmunem:ſi quidem vna trium perſonarum ſcientia eſt, & ſecundùm hanc ſcientiam non admiratur Chriſtus. Verum & alia adhuc eſt ſcientia in anima ipſius à ſuæ creationis initio infuſa, qua etiam non miratur. Poſtremo eſt in eo ſcientia,ſeu notitia quædam experimentalis, qua quæ antea nouerat expertus eſt etiam denuo, quamuis alio modo, ſecundùm quam proficiebat apud Deum, & homines, & ſic admiratus eſt: hoc eſt, ſignum experimentalis admirationis oſtendit. Vel quia etiam fecit alios admirari, ſicut dicitur de Abraham. In hoc cognoui (inquit Dominus) quòd timeas Dominum, id eſt, te cognoſcere feci. Dicit ergo Euangeliſta: Audiens autem Ieſus verba Centurionis expreſſiua tantæ fidei, ſcilicet,quòd ſub velamento carnis agnouit excellentiam maieſtatis,miratus eſt,i. admodum mirantis ſe habuit, vultumq; mirantis oſtendit:necnon & alios admirari fecit, Admirabatur quippe Dominus fidem Cēturionis, quā cordi eius mirabiliter adminiſtrabat, & magnalia

Triplex xp̄i ſcientia.
Gen. 22.

Dei in eo laudauit non quòd ei aliquid mirandum esset, qui cuncta mirabiliter operatur: sed vt nos in beneficijs Dei mirari & laudare doceret. Centurionis ergo dominus fidem admirans pariter & collaudans, sequentibus se dixit:(fidem eius approbando,& in exemplum proponendo)non inueni tantam fidem in Israël.

Sed hic merito oritur dubium,quomodo debeant intelligi huiusmodi verba Saluatoris: quoniam si volumus totam scripturam seriem transcurrere ab initio mundi vsque ad illud tempus Christi,profecto inueniemus quamplures tam veteris quam noui testaméti efficacissimam habuisse fidem, etiam Cẽturionis fidem maiorem.

Gen.4. In primis adest ille innocentissimus & iustissimus Abel: qui fide plurimas hostias obtulit Deo,quàm ipse Cayin.

Gen.5. Fide,Enoch translatus est,ne videret mortem.

Gen.6. Fide,Noë prædicauit diluuium centum annis, aptauitque arcam in salute domus suæ, semper credens & obediens verbis Domini.

Gen.12.13 Fide,Abraham exijt de terra sua ad peregrinandum super terram,moratusque est in terra promissionis tanquam in aliena.

Gen.15. Fide,insuper Abraham credidit Deo,quòd ipse multiplicare semen suum sicut stellas cœli,de quo scribitur. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Credidit nanque Deo promittenti rem valde difficilem.

Gen.12. Fide, Iterum Abraham voluit sacrificare vnigenitum filium, semper tamen permanendo in fide, quòd Deus in semine suo benediceret omnes gentes.

Gen.19. Fide,Loth liberatus est a ciuitate Sodomorum. Fide,

Gen.32. Iacob luctatus est cum Angelo, nec fuit superatus, accepitque mutationem nominis, & benedictionem a Deo necnon & uidit Angelos venientes in auxilium sibi.

Gen.49. Fide, Iacob moriens, benedixit filios suos, & prænunciauit quæ ventura erant eis spiritu prophetico.

Fide,

Fide, Moyses negauit se esse filium filiæ Pharaonis cum grandis factus esset: reliquitque Aegyptum, non veritus animositatem regis. *Exod. 2.*

Fide, fecit multa signa in conspectu Pharaonis celebrauit insuper pascha, & sanguinis effusionem. *Exod. 7. 8. 9. 10. 12.*

Fide, Moyses & duodecim tribus transierunt mare rubrum, in quo Ægyptij submersi sunt. *Exo. 14.*

Fide, Iosue firmauit Solem contra Gabaonitas prælians: murique Hierico corruunt circuitu dierum septem. *Iosue 6.*

Fide, dixit Ionathas armigero suo. Non est Deo difficile saluare, vel in multis, vel in paucis. *1. Re. 14.*

Fide, Dauid contra Goliad gigantem pugnaturus accessit. *1. Reg. 17.*

Fide, Helias raptus est in curru igneo ad cœlum. *4. Reg. 2.*

Fide, denique labia Esaiæ mundata sunt igne cœlesti. Hieremias futura prædixit: Ezechiel vidit mirabiles visiones Dei: Daniel obturauit ora leonum: Ananias & Azarias extinxerunt impetum ignis: Gedeon liberatus est de bello Madian, &c. *Isa. 6. Ezech. 1. Dan. 6. 14 Dan. 3. Iudic. 6.*

Fide, Naamā Syrus liberatus est à lepra: Ionas à ventre ceti. Viri Niniuitæ egerunt pœnitentiam in predicatione Ionæ. Iob liberatus est à dolore: Ezechias rex liberatus est de infirmitate. Susanna liberata est à falso crimine: Mater cum septem filijs Machabæis obijt crudelissime. Hester Regina liberauit Israël de manu Amā crudelissimi: Iudith occidit Holofernem. Sed quid plura? Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum. Extinxerunt impetum ignis. Effugauerunt aciem gladij. Conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, &c. quæ sequuntur. Sed modo superest, vt ad noui testamenti exempla deueniamus. *4. Reg. 5. Ionæ 2. 3. Iob. 42. Esa. 38. Dan. 13. 2. Mac. 7. Hester 7. Iudith 13. Heb. 11.*

Fide singularissima virgo Maria concepit filium Dei, visitauitque Elisabeth sterilem quæ conceperat Ioannem baptistam, & meruit audire. Beata quæ credidisti, &c. *Luc. 2. Luc. 1.*

Fide, Zacharias Propheta liberatus est à silentio. *Matth. 2.*

Luc. 7. Fide, munera obtulerunt Magi.

Matth. 15. Fide, mulier peccatrix habuit remissionem peccatorum.

Matth. 9. Fide, mulier Chananęa audiuit à Domino, ò mulier magna est fides tua.

Matth. 16. Fide, etiam sanatur mulier sanguinem fluẽs. Et quid dicam? Deficeret enim tempus hæc omnia enarrare. Certissime, ob maximam fidem: Petrus dixit Saluatori nostro. Tu es Christus filius Dei viui. Stephanus lapidatur. Eunuchus baptizatur. Cornelius Centurio efficitur Christianus. Quomodo ergo hic dicit Christus loquens de Centurione: Non inueni tantam fidem in Israël? Nunquid fides Centurionis maior fuit fide Abrahæ, Moysi, Dauid fidelis, Iosue, Beatæ virginis Mariæ, Ioannis Baptistæ, Petri, & aliorum? Absit.

Act. 7. 8. 10

Fides nanque Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum qui tradiderunt corpora sua propter fidem ad supplicia, qualis & quanta fuerit, sacræ attestantur historiæ.

Prima responsio Chrysost. Sed ad istud perpulchre dubium, primo respondet Chrysostomus, quòd fides aliqua dicitur magna dupliciter. Absolute, scilicet, & comparatiue. Fides ergo Centurionis fuit magna, & mira comparatiue, non absolute. Sicut si rusticus aliquid sapienter dicat, est mirum: non autem si hoc dicat philosophus. Et intendit Chrysostomus, quòd fides Centurionis absolute fuit minor fide Prophetarum, & Apostolorum. Sed considerando, quòd Gentilis erat, fuit maior, quia neque miraculum viderat, neque sermonem audierat. Credidit enim Andreas, sed Ioanne dicente. Ecce Agnus Dei. Credidit Petrus, sed euangelizante sibi Andrea. Credidit Philippus, sed legendo scripturas. Nathanaël, & prius signa diuinitatis accepit: & sic fidei confessionem obtulit. Huic etiam quodam modo concordat Ambrosius, dicens: Quod considerata persona Cẽturionis laudatur.

Ioan. 1.

Ambros.

Secunda responsio Gregor. Item: Gregorius aliter respondet, dicens: Quod cum Christus dixit: Non inueni tantam fidẽ in Israel, loqu-

loquitur de Scribis, & Pharisæis, & capitibus Iudæorum qui increduli erant: nec vnquam tale signum credulitatis ostendere potuerunt. Et hæc responsio sic roboratur. Nam solemus dicere, cum Papa simul cum Cardinalibus, & Episcopis aliqua esse facienda ordinat & mandat, quòd ecclesia ista sanciuit. Sic forte Christus per Israël intelligit maiores populi Israël.

Item: Hieronymus aliter respondet, dicens: quòd Christus loquebatur de præsentibus, & non de præteritis Prophetis, & Patriarchis. Sed adhuc restat dubiũ. Nũquid fides Centurionis maior erat fide beatæ Virginis, Ioseph, Zachariæ, Elisabeth, Symeonis, & Annæ? Non vtique. Quomodo ergo intelligenda sunt hæc? Respondetur, quòd modicum pro nihilo reputatur. Quoniam ergo Iudæi in Christum perfecte credentes paucissimi erant respectu aliorum non credentium: nõdum enim fratres eius credebant in eum: ideo ait. Non inueni tantam fidem in Israël. Quasi velit dicere diuus Hieronymus, quòd Christus loquebatur de multitudine Israël, eo quòd exiguus erat numerus credentium, qui pro nullo quodammodo reputabatur exceptis Discipulis. Simili sensu ait in Psal. Et sustinui qui simul cõtristaretur, & non fuit. Cum tamen scriptum sit, quòd multæ mulieres sequentes plangebant eum, & Discipuli eius vehementissime contristabantur. Per Israël ergo intelligit maiorem partem Iudæorum, & Principes eorum, cum dixit. Non inueni tantam fidem in Israël.

Tertia responsio Hieron.

Ioan. 7

Aliqui etiam dicunt, quòd fides Centurionis præfertur fidei Israël, & Apostolorum, Discipulorumque Christi, non quantum ad deuotionem, sed quantum ad facilitatem credendi. Et istius opinionis fuit Origenes. Dicit enim Iairus Israëlis princeps pro filia sua petens, non dixit: Dic verbo, sed veni velociter. Nicodemus de fidei sacramento audiens ait. Quomodo potest hoc fieri? Maria, & Martha dicunt. Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Quasi dubitantes quod posset adesse Dei potentia. &c.

Quarta respõsio Orig.

Mar. 5
Luc. 8.
Ioan. 3. 11

Vel aliter dicendum est, quod ideo asserit se non in-

venisse tantam fidem, idest tam manifestam & excellentem fidei confessionem in Israël, quoniam nemo Iudęorum tempore conuersationis Christi in mundo, tam publice ac præclare confessus est eius maiestatem, sicut Centurio, nisi forte paucissimis quibusdam exceptis: vt Ioanne Babtista, Petro &c. Et istius opinionis videtur fuisse venerabilis Beda.

Quinta responsio venerabilis Bedæ.

Sexta respõsio August.

Sed diuus Augustinus etiam ipsa aliter respondet dicens. Quod dictum Christi intelligendum est de Ecclesia, respectu Synagogæ, non de persona Centurionis, vt sit sensus. Non inueni tantam fidem in Israël, id est in Synagoga veteris testamenti, sicut in Centurione, id est in Ecclesia noue legis per Centurionem designata, qui fuit figura Ecclesiæ ex gentibus congregatæ. Nam iuxta ipsius Augustini regulam in libro de doctrina christiana traditam, scripturas iuxta verborum tam antecedentium quam sequentium significationem nos docet explicare. Et Christus hic quoque statim subiungit de gentium conuersione, non ex arcto & angusto tantum Iudeæ angulo, sed ab ortu & occasu Solis, hoc est, ex vniuerso mundo. Sequitur hinc necessario locutum esse Christum de fide quo ad multitudinem credẽtium extensiue, non intensiue. Et quia velut primitiæ credentium ex gentibus fuit hic Centurio, cætero quoque credituros omnes, solus ipse significauit. Et non est mirum quòd in vno homine singulari tanta multitudo credentium figuretur, cum Deus dixerit Rebeccæ grauidæ, & adhuc in vtero suo portanti Iacob & Esau, duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur. Cui etiam videtur Hieronymus cõcordare dicens. De præsentibus dicit, non inueni tantam fidem in Israel, non de Patriarchis & Prophetis, nisi forte in Centurione fides gentium præponatur Israëli &c. Mirabatur ergo Iesus de fide Centurionis gentilis hominis, & eam laudauit, vt ex istius laude erubescant & confundantur Israëlitæ. Et ideo tunc de fide gentium mirabatur, quam vltra fidem Iudæorum crescere videbat. Sed nec solum fides gentium est in

Gen. 23.

Centu

Centurione collaudata, verumetiam præfigurata. Vnde occasione accepta ex fide huius gentilis, gentium conuersionem concludit, &c.

Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Dico autem, id est prædico vobis ad exemplum istius Centurionis in quo fides gentium præfiguratur, quod multi, sed non omnes, quia non omnes obediunt Euangelio. Venient ab Oriente, & Occidente ac etiam ab Austro, & Aquilone, id est ex omni parte mundi, & ex omni genere gentium, venient ad fidem & vnitatem Ecclesiæ. De qua vocatione, & gentium adunatione, quàm plura habentur in sacris literis testimonia. Accedat igitur primo Esaias, & dicat. Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, &c. Et infra. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia mihi curabitur omne genu. Et rursum. Dedi (inquit pater ad Christum) te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Insurgat insuper sanctus ille Hieremias, & testificetur dicens. Benedicent Dominum omnes gentes, & laudabunt eum. Inde regalis Propheta in Psalmo, testimonium proferat de gentibus ad Christum conuersis, & dicat. Confiteantur tibi populi Deus confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate. Et rursum, loquens pater ad filium ait. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et iterum. A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini. Iam vero tu quoque Zacharia vaticinare nobis & dic. Applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, Huiusmodi autem gentium vocatio, & populorum conuersio, & adunatio ad Christi fidem, fuit per prædicationem Apostolorum,

Isa. 2 *Isa. 45.* *Isa. 49.* *Hier. 4.* *Psal. 66.* *Psal. 2.* *Psal. 112.* *Zach. 2.*

Psal. 18 rum, de quibus scribitur in Psal. In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Quibus & Christus dixit. Eritis
Matth. 18. mihi testes vsque ad vltimum terræ. Et Esaias: Cantate
Isa. 42. Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ. Ecce igitur isti de longe venient, & ecce alij ab Oriente, & Occidente: & ecce illi ab Aquilone, & Mari: & isti de terra Australi. Et tandem ab omnibus partibus Mundi venient, & recumbent, id est fideliter requiescét, & spiritualiter edent, & bibent cum Abraham, Isaac, & Iacob, quorum fidem imitati sunt, ceterisque cum electis Iudæis recumbent in Regno cœlorum. Nominat autem Christus specialiter hos tres, quia inter Patriarchas, præcipui, primi, & famosissimi esse videntur. Et quoniam principaliter facta est eis promissio terræ repromissionis, per quam cœlestis figuratur hæreditas, seu Regnum cœlorum. Filij autem Regni, id est, Iudæi increduli, qui dicuntur filij Regni cœlestis, quia ad illud specialiter inuitabantur, & quia in eis olim Deus regnauit, cum crederent in futurum in quem non credebant præsentialiter apparentem, & inter eos conuersantem. Isti ergo sunt filij vocatione, & nomine tantum, suaque præsumptuosa reputatione, non prædestinatione, & vera consecutione, de quibus scriptum est
Deut. 32 in lege. Prouocauerunt eum filij sui, & filiæ. Et Domi-
Isa. 1. nus per Esaiam: Filios quidem enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, &c.

Hi ergo eijcientur à facie, & visione Dei, & à consortio electorum, in tenebras exteriores, idest corporales, atque palpabiles tenebras carceris Infernalis, statim cum moriuntur quo ad animam, in die autem nouissimo quo ad corpus, & animam. Tenebræ nanque nihil
Duplex lumen aliud sunt, nisi priuatio luminis. Lumen vero est duplex, videlicet spirituale, sicut est sapientia, gratia, veritas, sed horum priuatio sunt tenebræ interiores existentes in spiritu. Aliud est lumen sensibile, seu corporale, cuius priuatio sunt tenebræ exteriores quæ sequuntur per priuationem. Sicut silentium dicitur audiri, quia auditur sonus, qui silentium significat.

Quam

Quamuis autem in Inferno ſit ignis, ille tamen obſcurus eſt, atque fumoſus, non lucidus, niſi forſitan in tantum, vt poſſint ſe damnari mutuo videre ad cumulum ſuæ miſeriæ. Poteſt quoque per tenebras iſtas, Infernus tenebroſus intelligi, qui propter ſuæ obſcuritatis horribilem denſitatem, nomine tenebrarum exprimitur. De quo beatus Iob ait: Dimitte me antequam vadam ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. Et ſequitur: Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

Duplex tenebra

Iob 10.

Sed certum eſt, quòd fletus, & ſtridor dentium, non ſunt equidem corporaliter in ſubſtantijs ſpiritualibus, ſcilicet animabus ſeparatis. Sed ante diem iudicij eſt in eis fletus interior, id eſt ſumma triſtitia ex qua corporalis fletus ſolet cauſari, & dentium ſtridor, id eſt interiorum viſcerum horrenda concuſſio. Poſt vero diem Iudicij erit in hominibus condemnatis ſtridor dentium corporalis ex frigore Infernali, quoniam ibunt à nimio calore ad aquas niuium. Et fletus oculorum ex fumo, & calore ignis. Sed eſt ſciendum, quòd in fletu corporali duo conſiderantur, videlicet, oculorum, ac cerebri conturbatio, & reſolutio lacrymarum. Quantum ad primum erit in eis fletus, non quantum ad ſecundum, quia ceſſante motu primi mobilis, omnis generatio, atque corruptio finem habebit. Talis etiam fluxus, ſeu reſolutio lacrymarum tandem finiretur, niſi Deus miraculoſæ multiplicaret in illis materiam lacrymarum, puta humorem in corpore.

Quomodo in Inferno eſt fletus

Et ſic patet ex Euangelio, quod in Inferno ſunt tenebræ interiores, & exteriores, ignis comburens fletus, & ſtridor dentium. Quibus dictis ſubdit Euangeliſta: *Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi. Et ſanatus eſt puer ex illa hora.* Et dixit Ieſus Centurioni (non per internuncios, vt multi, ſicut diximus, arbitrati ſunt, ſed propriæ perſonæ Centurionis locutus eſt Ieſus, dicens.) Vade, id eſt ſecurus reuertaris, & ſicut perfecte credidiſti, ſic fiat tibi in ſanatione ſerui tui. Et ſanatus eſt puer verbo Chriſti abſentis ex illa hora, quia Chriſtus protulit hoc verbum, fiat, quo

etiam

etiam verbo omnia creata sunt, vt fides Centurionis verificaretur, & potentia Christi, quam Centurio confessus fuerat ex opere subsecuto manifestaretur. Dixerat enim Centurio, & confessus est. Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus. Et Christus dixit, & ope adimpleuit. Vnde hic valde considerandum est, quantum vnicuique fides valet propria, quando tantum valuit aliena. Nam propter fidem Centurionis, sanitas puero est reddita. Insuper magnopere consideranda sunt verba Saluatoris dicentis, fiat tibi sicut credidisti. Vt intelligamus in omnibus semper Christum nostram cõsiderare fidem, Sicut enim homo credit, ita impetrat. Si habueritis tantam fidem, inquit dominus &c. Item omnia possibilia sunt credenti. Pariter etiam quilibet homo secundum quid habet fidem, ita, & operatur. Nam si paruam, aut nullam habeat fidem, proculdubio nihil boni operatur ad Dei laudem. Si vero magna resplendeat fide, magna etiam bona operatur. Et quanto maior est fides, tanto maiora insurgunt opera bona. Quoniam fides charitate formata, quæ est virtus theologica, & basis, ac fundamentum ceterarum virtutum, causa est omnium bonarum operationum, & defectus ipsius causa est malarum actionum.

Fides omnium bonorum causa
Luc. 17.
Marc. 9.

De fide nonnulla pulcherrima dicta cum mystica huius Euangelij expositione.

Fides, cur dicitur substantia.
Heb. 11.

FIdes (vt inquit Apostolus) est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia enim dicitur a substando, eo quod substat accidentibus. Quamobrem fides primo dicitur esse substantia, qa, quemadmodum substantia est subiectum omniũ accidentium, & causa eorum existentia sine qua accidens esse non potest per naturam, vt omnes philosophi testantur, Ita à simili, fides est totius ædificij spiritualis fundamentum, & dispositio, à qua virtutes omnes procedunt.

cedunt. Homo enim ideo sperat habere beatitudinem, quia credit, eam esse, & dari virtuose viuentibus. Proinde, diligit Deum, quia credit quod sit summe bonus, & timet eum, timendoq́ a peccatis se abstinet, & de præteritis pœnitet, quia credit eum esse iustum, & in futuro iudicio velle peccata punire. Recte ergo fides dicitur esse omnium virtutum substantia. Virtutes enim omnes habent suum principium sicut, & ceteræ res, quia in omni genere causarum est deuenire est aliquod primum, à quo omnia illius generis emanant. Cum ergo fides sit primum principium omnes virtutes generans merito substantia appellatur. Quia sicut substantia dicitur esse primum ens a quo omnia alia dependent, ita fides esse prima quæ debet esse in anima, vt ceteræ virtutes superædificare valeant. Siquidem remota substantia fidei, necesse est omnes alias virtutes super ædificatas amoueri. Nam in quolibet genere qui non habet priora, habere posteriora minime potest. Et ideo non est possibile quempiam seruare diuina præcepta nisi fidem habuerit, vnde Sapiens, In omni opere tuo habeto fidem, Hæc est enim conseruatio mandatorum. Idcirco Augustinus de fide ad Petrum. Fides est, inquit, bonorum omnium fundamentum, sine qua nullus poterit vnquam ad filiorum Dei numerum peruenire. Ideo Apostolus. Vt Sapiens architectus fundamentum posuit .s. fidem, & paulopost ait. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est. Vbi igitur non est fidei fundamentum, nullum potest esse boni operis superędificium. Chrysostomus quoque super Matthæum eodem capite sic ait. Fides est Christianæ religionis cunctarumq; virtutum primum, & stabilissimũ fundamentũ. Quidquid igitur gratię quidquid meriti, quidquid virtutis, qdquid beatitudinis anima susceptura est, totum ex fidei substantia fundamẽtoq; procedit.

Eccl. 31.

Quid fides secundum August.

1. Cor. 3.

Quid fides, secundum Chrysost.

Secundo, dicitur argumentum, quia quẽadmodum præmissæ, & prima principia in syllogismo causant conclusionis notitiam, quia cognitis illis nihil dubitatur de conclusione. Exempli causa. Omne animal rationale est

Cur fides dicitur argumentum.

est disciplinabile, & omnis homo est animal rationale. Istæ enim duæ propositiones dicuntur argumentum, quia his cognitis de necessitate assentimus huic conclusioni, scilicet, quòd omnis homo est disciplinabilis. Ita fides Dei facit intellectum assentire. Primæ veritati, & articulis fidei. Nam cum Deus habitum fidei infundit, sic mens nostra cogitur credere omnibus articulis, sicut primis principijs. Non igitur immerito fides dicitur argumentum, quia arguit, & illuminat mentes nostras ad credendum inuisibilia quæ non apparent, minimeque videntur. Dicitur etiam fides argumẽtum, quasi arguens infidelium mentes, qui non habent eam.

Quomodo fides est de non apparẽtibus.

Tertio, fides est de non apparentibus, videlicet, de vnitate Dei, trinitate personarum, de Patre, Filio, & Spiritu sancto, eorumque proprietatibus, de incarnatione filij, ac ceteris articulis. Dixit enim Christus Thomæ: Quia vidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Thomas vnum uidit, & aliud credidit. Solam enim humanitatem Christi intuebatur, & eius diuinitatem credidit, dicens. Dominus meus, & Deus meus. Stat ergo firma sententia Pauli, quod fides est de non apparentibus. Et licet de articulis fidei non habeatur scientia demonstratiua, habetur tamen vera certitudo per fidẽ, non minor qualibet scientifica demonstratione quo ad credulitatem in his in quibus est vera fides, &c.

Quid fides infusa.

Fidem præterea diuidi in fidem infusam, & acquisitam necesse est. Est enim fides infusa quæ simul cum spe, & charitate infunditur à Deo in baptismate. Dicit enim Apostolus: Sine fide impossibile est placere Deo. Pueri autem baptizati placent Deo, itaque fidem habent, non acquisitam, sed infusam. De alijs etiam loquitur Christus. Sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnum cœlorum. Fides autem acquisita est quæ à parentibus acquiritur, à quibus de articulis fidei informantur filij, vel audiendo, scripturasque legendo. De qua Apostolus: Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed nunquid non audierunt? Et quidem:

Heb. 11.

Rom. 10.

dem, in omnem terram exiuit sonus eorum. Igitur fides ex prædicatione Apostolorum, & aliorum acquiritur. Fidem vero acquisitam aliam esse informem, alteram autem operibus formatam scriptura manifeste ostendit. Est enim fides informis, fides mortua, de qua Iacobus: Fides sine operibus mortua est. Dicit enim: Tu credis, quia vnus est Deus, bene facis. Et dæmones credunt, & contremiscunt. Et infra: Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Fides igitur viua est, quæ bonis operibus gaudet, viuit, & informatur. Et præcipue charitate quæ est prima forma fidei. Nam sicut natura per formam omnia efficit, ita fides (teste Apostolo) est, quę per dilectionem operatur. Quamobrem, vt testatur Magister sententiarum ex verbis Augustini: Aliud est enim credere in Deum: aliud credere Deo: aliud credere Deum. Credere Deo, est credere verbis eius, vt etiam mali faciunt. Credere Deum, est credere ipsum esse, quam fidem & mali, & dæmones habent. Credere autem in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari: ipsiusque obseruare mandata, & per hanc fidem iustificatur impius. Fides ergo, quàm dæmones, & falsi Christiani habent, qualitas mentis est, sed informis, quia sine charitate est: de qua Apostolus: Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeã, &c. Fides vero, quàm habuit Centurio, cum ceteris fidelibus est bonis operibus formata, sicut in libro Disputationum satis dictum est.

Iacob. 2.

Paulus.

Triplex fides de Deo.

Sed forte quispiam quæret, quæ est illa fides magna de Deo, quam quilibet Christi fidelis profiteri tenetur? Dicendum est pro maiori illius difficultatis notitia, quòd tria in Deo præcipue sunt consideranda, scilicet, Potentia, Sapientia, & Bonitas. Et quemadmodum summus Pontifex reseruat sibi aliquos casus super quibus nullus sibi inferior habet potestatem: ita Deus valde magis reseruat sibi aliqua, quæ vnquam alicui creaturæ voluit communicare. Primo, quantum ad suã

Consideratio de fide pulcherri. ma.

omni

omnipotentiam reſeruat ſibi tria, ſcilicet creationem animæ, collationem gratiæ, & donationem gloriæ. Quantum vero ad ſuam ſapientiam, etiam alia tria ſibi reſeruat, ſcilicet numerum prædeſtinatorum, & reproborum, quem ſolus determinata noſcit. Item, cognitionem cordium, & tertio diem finalis iudicij. Quantum autem ad ſuam bonitatem, adhuc alia tria ſibi reſeruat. Videlicet, vocationem populorum, remiſſionem peccatorum, necnon, & vniuerſalem redemptionem. Quilibet igitur fidelis qui Centurionis fidem habere cupit, credere tenetur, quod ſolus Deus eſt omnium creator, ſolus dat gratiam, & gloriam, qui etiam ipſe ſolus agnoſcit cognitiones cordium, diemq́ue finalis iudicij, necnon quòd in ſola Dei cognitione, eſt numerus omnium prædeſtinatorum, & reproborum: & inſuper, quod ipſe ſolus factus homo fuit vniuerſalis redemptor omnium ſolus vocat omnes ad pœnitentiam: ſolus ipſe remittit peccata. Hæc nanque ſunt illa quæ firmiter credere tenemur, vt Centurionis fidem ſequi valeamus.

Senſus myſticus huius Euangelij. Sed moraliter exponendo hoc Euangelium, dicendum eſt ſecundum myſticam ipſius intelligentiam, quòd Centurio ſignificat eccleſiam nouæ legis quæ habet ſeruum Paralyticum, ſcilicet peccatorem in morte peccatoris inuolutum. Quę quidem eccleſia primo mittit ſanctos, vt ad Dominum intercedant pro quocunque peccatore. Deinde ipſa eccleſia accedit ad Chriſtum per fidem, & rationem, & orando clamat. Domine puer meus. i. peccator qui verè eſt ſeruus: quia omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: iacet, & bene quidem iacet, quoniam peccator nullum bonum meritorium operari poteſt, nec ſuis proprijs meritis ſublcuari poteſt, niſi prius adiuuetur à Deo per infuſionem gratiæ. Iacet etiam interdum peccator in igne iracundiæ, aliquando in luto luxuriæ, nonnunquam vero in ſpinis auaritiæ, & in domo ſuæ conſcientiæ mundæ. Et quemadmodum iacentes nihil operantur vel operari poſſunt: ita, vt diximus, peccator nihil boni

operatur.

operatur. Item, peccator iacet paralyticus per tremorem, & timorem, ex quo fit dissolutio membrorum. Si enim dicatur peccatori vt det eleemosynam, aut male acquisita, vel ablata restituat, timet ne sibi deficiat. Si dicitur, quòd ieiunet, timet ne esuriat. Si dicitur, quòd confiteatur peccata sua, timet de verecundia. Si dicitur, quòd faciat pœnitentiam, & satisfactionem de peccatis, timet de afflictione, & incommodo corporis. Ecce qualiter ille paralyticus tremit, & pauescit. Item, dicitur quod male torquetur, & reuera peccator male torquetur in seipso propter vermem conscientiæ qui semper pungit, & rodit. Ex alio etiam torquetur peccator, dum anxius est quomodo acquirat honores, diuitias mundi, oblectamenta corporis. Torquetur etiam inter prospera per curam superfluam, & inter aduersa per impatientiam. Insuper male torquetur, quando considerat turpitudinem vitiorum in quibus iacet, & pœnas infernales quibus æternaliter subiacebit. Sed respondet Dominus. Ego veniam, scilicet per gratiam, & curabo eum: descendens de cœlo ad terram, veniam per crucem, & passionem, & curabo hominem à peccatis. Ecclesia autem, hoc est concursus omnium fidelium agnoscens indignitatem suam clamat. Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, tam angustum, tam immundum, tam ruinosum, nec vt venias habitare nobiscum. Totum enim corpus mysticum Ecclesiæ non est dignum tanto capite. Sed tantum dic verbo, sicut dixisti Magdalenæ remittuntur tibi peccata tua, & sanabitur puer meus, id est quilibet peccator, &c.

Possunt denique Centurio & Latro ad inuicem comparari. Vterque enim prius peccator, vtraque oratio breuis. Centurio Deum confitetur: & Latro alloquitur socium, dicens. Nec tu times Deum qui in eadem damnatione es. Centurio se indignum facit dicens. Domine non sum dignus. Latro etiam agnoscit indignitatem suam, ac peccatum suum, & ait. Nos iuste digna factis recipimus. Centurio facit se indignum, dignum autem Christum: Et Latro: hic vero nihil mali gessit. *Cõparatio latronis, & Centurionis*

gessit. Centurio humiliter ostendit indigentiam, cum ait: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, &c. Latro vero, Memento mei Domine. Centurio appellat Christum Regem, cum ait. Ego homo sum sub potesta te constitutus &c. Pariter & Latro vocat Christum, & confitetur ipsum esse Regem, dum ait. Dum veneris in Regnum tuum. Sed quid est dicere, Ego veniam, & curabo eum, nisi hodie mecum eris in Paradiso?

FERIA SEXTA CINERVM.

De inimicorum dilectione.

Opinio falsa. A*V distis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Ex his verbis Saluatoris nonnulli arbitrati sunt, quòd Iudęi nó solum non tenebantur diligere inimicos, verumetiam poterant eos odisse, & hoc idem cõfirmant testimonio

Deu. 20. 26 legis. Iubebat enim Deus Iudęis persequi inimicos, sicut iussit, vt delerent Chananęos viros, & fœminas, magnos, & paruos, nulli parcentes. Imperauit etiam Ama

1. Reg. 15. lachitas deleri de sub cœlo. Et quia Saul misertus est Regi eorum, & reseruauit pecora ipsorum, Deus iratus abstulit ei Regnum. Præcepit insuper Israëlitis nunquã habere pacem cum Ammonitis, & Moabitis, dicens.

Deut. 23 Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt ecclesiam Domini in æternum: quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Aegypto. Et paulo post sub-

Num. 25. dit, Non facies cum eis pacem, nec quęras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ. Et ita de multis alijs. Nam iussit vt hostiliter se haberẽt contra Madianitas. Igitur Deus Iudæis imperabat, vt odio haberent inimicos.

Impugnatur opinio. At contra eos dicendum est, Quòd Iudæi in lege Moysi obligabantur diligere inimicos ex charitate, quemadmodum, & nunc obligamur in lege Christi. Istud namque præceptum non est cærimoniale, nec iudiciale, sed

morale,

morale. Præcepta autem moralia, quia sunt de iure naturæ omni tempore obligarunt. Etiam quia Iudæi obligabantur ad legem implendam. Lex vero tota in charitate consistit, sicut ait Apostolus scribens Romanis, & Galathis. Igitur ad charitatem obligabantur, & ex consequenti ad inimicorum dilectionem, quoniam charitas respicit tam amicos, quàm inimicos. Et hoc idem confirmatur testimonijs antiquæ legis. Ait enim Dominus. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et tamen qui iniuriam fecit, inimicus est. Non querere autem vltionem, & non recordari iniuriæ ad charitatem pertinet. Igitur præterea, Sapiens ait. Si ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Hoc autem expresse ad charitatem cum inimicis habendam pertinere videtur. Et non solum dilectio inimicorum iubebatur in veteri testamento, verumetiam signorum dilectionis ostensio, vt infra scribitur. Si esurierit inimicus tuus; ciba illum: & si sitit; da illi bibere. Et subdit alibi Dominus: Si occurreris boui, aut asino, inimici tui erranti, reduc ad eum. Et si inueneris bouem, aut asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo. Quod idem est, quod Christus dixit. Benefacite his qui oderunt vos. Igitur in veteri testamento erat præceptum de inimicorum dilectione, & sic tenebantur Iudæi diligere inimicos ex charitate, & præcipue quantum ad bonum gratiæ, & gloriæ, quia bona temporalia non tenebantur eis velle, sicut nec nos tenemur. Grauius tamen nos peccamus odiendo inimicos, quàm Iudæi, eo quòd præceptum de diligendo inimicos non fuit tam expressum in veteri lege, sicut in lege gratiæ in qua nihil aliud iubetur nisi charitas in qua tota lex pendet, & Prophetæ, & legem adimplet, qui charitatem habet. Ad illorum autem obiecta respondendum est.

Deut. 30 *Rom. 13.* *Galat. 5.* *Leuit. 19.* *Prouer. 24* *Prouer. 25* *Exod. 23.*

Ad primum dicendum, Quòd non fuit Iudæis præceptum odire inimicos, & in lege eorum minime reperitur. Semper enim Deus cum detestatione vitij, & absque odio voluit esse humanam naturam. Sed hoc quod

Respōsio ad primam rationem.

dicitur, odio habebis inimicum tuum, aut appositio est Iudæorum, aut existimatio est de lege contrariorum. Quoniam contraria sic se habent, quod vno posito, alterum amoueatur, & ipsum ponatur, cum alterum remouetur. Et cum amicus, & inimicus sint contrarij, qui diligit amicum suum, odio habebit inimicum suum, Quoquo tamen modo huius scripturæ de odio series sit inserta, firmiter tamen tenendum est absque vlla mentis hæsitatione, à Deo in veteri testamento, & à Christo in nouo aduersus hominē de odio non exisse præceptum.

Respōsio ad secundā obiectionem. Ad secundum dicendū, quod per illa non iubebat Deus Iudæis odisse aliquas gētes, poterat. n. stare quod diligerent oēs gentes ex charitate, & exercerent pœnas illas ex mandato Dei, quia officia vindictæ bono animo impleri possunt. Minister etiam iudicis res puniendo benefacit, & interdum diligit eos quos occidit. Sic miles præcepto ducis occidens aliquos in bello iusto minime peccat, & ex charitate agit. Et ratio est quia id solum agunt inquantum iustum est, & inquantum sibi iubetur. Ita æqua ratione poterant Iudæi bono animo seruata charitate occidere gentes istas, quinimò tenebantur inquantum Deus imperabat eis, & constituebat eos executores iustitiæ suæ. Nam Chananæi, & Amalechitæ quos Deus iubebat occidi, pro delictis suis merebantur occidi. Et idem dicendum est, de Madianitis. Deus autem voluit committere executionem huius rei, potius Iudæis, quàm alteri genti, quamobrem ex charitate tenebantur Deo obedire, & cum proximis charitatem seruare poterant, etiam occidendo illos, quia per mortem temporalem non tollitur gratia nec gloria.

Respōsio ad tertiā obiectionem. De Ammonitis, & Moabitis non iussum est Iudæis occidere illos, sed quòd non facerent cum eis pacem, nec quærerent eorum bona, ob id autem erat, quia communicatio Iudæorum cum Ammonitis, & Moabitis periculosa erat, & in contemptum Dei cum ipsi seduxerint Iudæos per mulieres, eos ad sacrificia idolorum deducendo, vt ad iram concitarent Deum Israel...

Num. 25.

percu

percuteret eos. Hac igitur de causa non debebant Iudæi cum illis facere pacem, nec componere aliqua fœdera, non tamen iubebantur persequi eos inferendo eis mala, sed tantum vt non quærerent eorum bona. poterant igitur Iudæi habere charitatem cum Moabitis,& Ammonitis,etiam cum tali obligatione,& ita de omnibus alijs gentibus dicendum est. Deut.23

Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros,benefacite his qui oderunt vos,& orate pro persequentibus,& calumniantibus vos. Ego Deus factus homo, auctoritatem habens præcepta de nouo condere, impertinentia resecare, vetera declarare dico vobis auditoribus primis, vt ceteris subsequentibus dicatis. Diligite inimicos vestros,&c. Sed pro maiori,& euidentiori notitia huiusce præcepti sciendum est,quòd verba Christi possunt dupliciter interpretari. Vno modo de infidelibus, & hæreticis, qui proprie Christi fidelibus inimicantur, cum sint alieni à Christo,& à fide,sicut ipse testatur,dicens. Qui non est mecum,aduersum me est. Et qui non colligit mecum,dispergit. De suis autem fidelibus ait. Vos amici mei eritis,si feceritis quæ ego præcipio vobis. Tenentur igitur boni huiusmodi infideles inimicos diligere,bona.s.gratiæ,& gloriæ eis optantes. Tenentur proinde orare pro ipsis infidelibus,& hæreticis,calumniantibus,& persequentibus eos verbis,& operibus,vt & ipsi infideles conuertantur ad veram Christi fidem, & veritatem agnoscant ecclesiæque sanctæ subijciantur determinationi. Pariterque tenentur boni ipsi odientibus eos tempore necessitatis subuenire & benefacere, scilicet cibum mentis, & corporis aliaque necessaria subministrantes.

Verba Xpi dupliciter interpretantur. *Luc.11.* *Ioan.15.* *Prima interpretatio verborum Christi.*

Alio modo,& magis ppriæ possunt Christi verba interpretari generaliter de omnibus inimicis à quibus triplex potest deriuari iniuria. Prima,cordis quæ fit per rancorem,vel odium,seu maleuolentiam. Secunda,oris per detractionem, vel maledictionem. Tertia,operis.s.per manualem læsionem. Sed his generibus,tria Dominus opposuit remedia. Contra primum

Secunda interpretatio *Triplex iniuria.*

Triplex remedium.

Duplex locutio de præcepto dilectionis.

Præcepta affirmatiua, & negatiua diuersimode obligant.

Diligite inimicos vestros. Pro quo notandum est, quod de hoc dilectionis precepto dupliciter possumus loqui: scilicet, positiue per modum actus eliciendi, vel quasi prohibitione per modum actus contrarij arcendi. præcepta nanque affirmatiua magis obligant, ne contraria eis fiant, quàm quod actus positiui circa præcepti materiam eliciantur. Gratia exempli. Præceptum de parentum honore magis obligat, ne parentes inhonorentur, siue blasphementur, quàm quod actus honoris eis impendatur. Quoniam primum negatiuum obligat semper & pro semper, secundum autem affirmatiuum obligat pro aliquando, & non pro semper. Sic in proposito dico, quod præceptum de dilectione inimicorum dupliciter obligat, negatiue videlicet, & affirmatiue. Negatiue quidem, vt non odiamus eos. Nullus enim potest sine præcepti transgressione nolle inimico dilectionem Dei, nec in via, nec in patria, neque quæ sunt ei necessaria ad salutem. Itaque preceptum hoc negatiuum de non odiendo inimicos est magis obligatorium, cum semper & pro semper obliget. Affirmatiuæ vero obligat præceptum istud, sed non semper, quia non continue, quis tenetur cogitare de inimico. Ergo nec circa illum, actum dilectionis elicere. Tenetur tamen in casu necessitatis quilibet inimicum suum quantum ad bona temporalia actu diligere, si potest nisi adsit alius paratus illi præstare, teste Ioanne, qui ait. Si quis habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Et subdit: Filioli non diligamus verbo, sed operæ. Si igitur tenetur quantam ad bona exteriora, multo magis quantum ad spiritualia bona, immediatius ad salutem pertinentia. Dilectio nanque proximi bona corporis non considerat, aut fortunæ nisi secundùm necessitatem. Quare non tenemur considerare inimicis nostris bona corporis, sanitatem, pulchritudinem, fortitudinem, agilitatem, & similia. Nec bona fortunæ, vt filios, agros, pecunias, status, dignitates, honores, & alia id genus, quę nobilissis etiam opta-

Affirmatiue, & negatiue tenemur diligere inimicos.

1. Ioan. 3

Dilectio proximi quid respicit.

re

re minime tenemur. Dicit ergo Christus: Diligite inimicos vestros, non tantum negatiue, scilicet, non odiendo eos, sed & positiue optando eis vitam æternam, & gratiam gratum facientem, & secundùm quantitatem, & qualitatem, & taliter eis qualiter nobis, quoniam bona proximi spiritualia redundant in nostrum spirituale bonum. Diligite igitur inimicos, non propter inimicos, sed propter Christum, qui prius dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo. Ecce primum remedium quod apponitur iniuriæ cordis.

Pulchra intelligentia verborum Christi.

Sed contra secundum, scilicet oris detractionem ait Christus. Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt deponentes malitiam ad bonum conuertantur. Exemplo ipsius, qui vt principale caput in aliorum exemplum pro inimicis orauit in cruce, dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Volens etiam Deus delere populum suum in deserto propter adorationem Vituli, Moyses prostratus in terram orauit ad Dominum, dicens: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro vitæ in quem scripsisti. Ecce quomodo cupit ipse deleri de libro vitæ pro fratribus, etiam pro inimicis suis. Dauid insuper noluit vnquam occidere Saul inimicum suum, quinimò doluit, & fleuit audita eius morte, pro quo etiam Samuel alias Dominum precabatur. Stephanus quoque orat pro Iudæis lapidantibus, & persequentibus eum. Pariter & Paulus fieri anathema Christi cupit pro fratribus suis. Tenemur igitur, & nos præcepto Christi, necnon & sanctorum exemplo, pro inimicis orare.

Exod. 32. *1. Reg. 15. & 31.* *Act. 8.* *Rom. 9.*

Contra vero tertium, scilicet corporis læsionem, subdit Saluator. Benefacite his qui oderunt vos, bona exteriora eis saltem in casu necessitatis largiendo. O igitur sanctissimum Christi præceptum de inimicorum dilectione, per quod agnoscuntur Christi veri imitatores, & oues agnoscentes vocem sui pastoris, & non alienorum. Hoc est illud præceptũ, de quo Isaias ait. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et Domi-

Isa. 2

Hier.3. nus per Hieremiam. Ecce dies venient, dicit Dominus, & consumabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum. Quod etiam allegat Paulus scribens Hebræis. *Hebr.13.* Et ille idem Romanis ait. *Rom.13* Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. *1.Corin.13* Et rursus ad Corinth. Si linguis hominum loquaret angelorum, & charitatem autem non habeam, &c. vbi per totum illud caput, Dei, & proximi charitatem præcipue commendat. Hoc quidem præceptum tangit Christus cum in oratione dominica docet nos dicere. *Matth.6.* Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. Et cum Petrus dixisset ad Christum, domine quoties peccabit in me frater meus, dimittam ei vsque septies? *Matth.18.* Respondit ei Dominus. Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies, id est semper. Fauet etiam huic Euangelico præcepto parabola illa hominis regis qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et in Euangelio Lucæ, vbi Saluator ait. *Luc.10.* Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et cum inimicus sit proximus, vt infra patebit igitur. Tandem concludendum est, quòd hoc salubre præceptum de inimicorum dilectione est illud idem quod ait Christus in cœna. *Ioan.13.* Mandatum nouum dò vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Sed quomodo nouum (dicet quispiam) cum in lege sit scriptum. *Leuit.19.* Diliges amicum tuum sicut teipsum? Respondetur, quod illud mandatum dicitur nouum, quia nouiter interpretatum. Iudæi nanque male interpretabantur illud, inferentes inimicos esse odiendos, quos non putant esse proximos. Nouum, quia nouiter obseruatum, tantum amore Christi, & non rationi commodi. Nouum, quia non est obseruatum carnaliter, timore, & opere tantum, sed amore, & sancto affectu. Nouum, quia dixit, vt diligatis inuicem, non sicut vosmetipsos, sed sicut dilexi vos. Christus quippe plus dilexit nos quàm seipsum, humiliauit se propter nos, formam serui accipiens, natus, prædicans, miracula faciés, passus, mortuus. *Ioan.15.* Maiorem enim charitatem nemo habet

Mandatum multipliciter dicitur nouum.

bet(inquit Ioannes) vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Non eſt ergo mirum, ſi Chriſtus vult nos inuicem diligere. Ait enim Apoſtolus. Qui diligit proximum, legem impleuit, quoniam dilectio proximi infert dilectionem Dei. Quod, & Ioannes in ſua canonica confirmat, dicens. Qui non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Quare, & ſi proximum diligit propter Deum, magis diligit Deum, per regulam philoſophi, propter vnumquodque tale eſt, & illud magis. Itaque ſimul Deum diligit, & proximum. Et rurſus ait Ieſus. In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem, diligendo etiam inimicos, non propter commodum, famam, honorem, ſed ſimpliciter propter me. Hoc quippe præceptum non eſt impoſſibile ad obſeruandum, vt improbi putant, imò facile Chriſtianam profitentibus fidem. Vt in libro diſputationum ſcripturarum teſtimonijs oſtenſum eſt.

Rom. 13.

1. Ioan. 4.

Obiectiones nonnullæ contra prædicta ſoluuntur.

Et ſi quiſpiam dicat, cur in ſcripturis ſanctis tot fiant comminationes contra inimicos, ſi ſancti tenentur eos diligere? Ait enim Dauid in pſal. Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Et ſic per totum illum pſalmum comminantur mala inimicis. Et rurſus ille idem ait. Auerte mala inimicis meis. Hieremias quoque clamat. Confundantur qui me perſequuntur, & non confundar ego. paueant illi, & non paueam ego, induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Præterea loquens Deus ad Chaym, ait. Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra. Inſuper, & Ioannes in Apocalypſi. Vidit ſub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & clamabant voce magna dicentes. Vindica domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt.

Prima obiectio. *Pſal. 108.* *Pſal. 118.* *Hier. 17* *Gen. 4.* *Apoc. 6.*

Ad

Prima reſponſio Auguſt.

Ad iſta & conſimilia, triplex poteſt dari reſponſio. Prima eſt Auguſtini, dicentis, Quòd Prophetæ non imprecauerunt mala inimicis, vt huiuſmodi mala eis aduenirent, ſed futura illa mala imprecarunt, tanquam ſeu quodammodo quæ futura erant prædicentes.

Secunda reſponſio.

Sed aliter dicendum eſt, Quòd in comminationibus & in orationibus contra inimicos, tria ſunt conſideranda. Primo, ex parte Dei veritas ſuarum promiſſionũ, & ſic oramus cum tribulamur ab inimicis, vt Deus nos liberet, quia promiſit nos liberare. Et cum ſit ipſe via, veritas, & vita, proculdubio nos cum fide orando liberabit. Secundo, ex parte noſtri conſideranda eſt miſericordia, quia Deus liberando nos ab inimicis vtitur miſericordia ſua in nobis. Et ſic oramus cum Propheta, dicentes. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ. Eripe me ab inimicis meis, & ab inſurgentibus in me, libera me. Tertio, reſpectu inimicorum noſtrorum conſideranda eſt punitio, vt ſ. Deus eos puniat, non pro vindicta noſtra, ſed pp honorem, & gloriam Dei. Vt oſtendatur iuſtus, puniens hominũ mala. Et ita lætabitur iuſtus, cum uiderit vindictam. Itaq; pp hãc cauſam aduerſus inimicos oramus.

Pſal. 58. & 68.

Pſal. 57.

Tertia reſponſio.

Item adhuc aliter reſponderi poteſt, quoniam orandum eſt pro inimicis, multis de cauſis. Primo, vt Deus parcat illis peccata quæ fecerunt in nobis, & vt reſipiſcant, & conuertantur ad Deum, & ut decet Chriſtianos, reconcilientur nobis. Secundo, ſi non placet ei totaliter eos conuertere, aut ſi ipſi nolunt conuerti, tunc acriter eos puniat, vt tandem flagellis, & pœnarum timore conuertantur. Iuxta illud: Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Tertio, ſi nullo modo vult eos Deus conuertere, aut ſi ipſi conuerti minime volunt, vanos faciat eorum conatus, & cogitationes contra nos, vt nulla eorum quæ cogitauerũt facere valeant. Vt impleatur illud quod dicitur in Pſal. Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Quarto ſi Deus videt eos non conuerſuros, ſed corde induratos, faciat vt finaliter moriantur, & citius damnentur propter eorum minorem pœnam, ne dein-

Modus orãdi pulcher contra inimicos

Pſal. 2.

deinceps viuentes maiora efficiant mala. Quinto, si autem Deo placet, vt ipsi viuant propter maius bonorũ, ac sanctorum meritum, ad minus nos faciat in tribulationibus patientes.

Ad illud vero, quod dicitur, quòd sanguis Abel clamat vindictam, Respondetur, quòd non clamat voce, sed ratione, & inductione. Pariter & animæ Sanctorum non clamant vindictam, ita q̃ illi sancti ita sint impatientes, cum sint in cœlo beati. Dicuntur autem orare, & petere vindictam secundùm rationem, & inductiue, quia quemadmodum opus bonum quodlibet incitat rationem nostram, & inducit nos ad laudandum illius operis opificem, sic econtra, malum opus incitat animum nostrum, ac inducit nos ad vituperandum auctorem mali. Vt cum videmus vnum iniuste alterum occidere, opus illud malum clamat, id est mouet nos ad vindicandum. Sic igitur in proposito, mors Sanctorum, & sanguis Abel iniuste effusus, clamat, hoc est, inducit intellectum nostrum ad clamandum, vindictam, vindictam, eamq́; summopere propter iustitiam optandam, hominis voluntatem mouere videtur, quare &c.

Responsio ad aliud obiectum.

Qualiter sanguis sanctorum clamat vindictam.

Secundo obijcitur, quia inimicus sub ratione inimici non est diligendus, quia malum non est diligendum, inimicus autem vt talis malus est, & non tantum priuatione boni, sed habitu positiuo vitij. Sicut iniustus non tantum dicitur qui caret habitu iustitiæ, sed qui habet iniustitiæ habitum, contrarium habitui iustitiæ causatum ex actibus iniustis. Quemadmodum amicitia importat bonum virtutis in amato conueniens actui virtutis in amante, sic inimicitia dicit malum in homine inimico disconueniens bono quod est in eo cui est inimicus. Quod idem est dicere. Amicus includit actum virtutis, scilicet dilectionem in amante propter virtutem hominis amati. Inimicus autem includit actum vitij, scilicet, odium, quo odit alterum cui est inimicus. Et interdum propter bonum virtutis, quod est in eo. Inimicus ergo inquantum talis est malus, & vitiosus, itaq: nullo modo dilig ẽdus est. Exemplo psalmographi dicen

Secunda obiectio

Inimicus quid importat.

Psal. 118. dicentis iniquos odio habui. Et alibi deficiant peccatores à terra. Et iniqui ita, vt non sint. Sapiens quoque dixit. Verte impios, & non erunt. Et alio in loco. Odio est Deo impius, & impietas eius. Igitur. Ad obiectionem facile respondetur, quòd in homine inimico duo sunt consideranda, scilicet natura, & malitia. Natura est diligenda, malitia vero odienda. Inimicus igitur sub ratione inimici est odiendus, sed vt homo, & creatura Dei diligendus est. Cum vero dicit Christus, diligite inimicos vestros, ad dilectionem naturæ non vitij obligare nos voluit.

Psal. 103.

Prouerb. 12

Responsio.

3. Obiect. Tertio obijcitur, quia præceptum de inimicorum dilectione videtur impossibile. Abhorret enim animus hoc dictum, cum sibi imponit vt diligat inimicos, & de difficultate, & impossibilitate disputat. Videtur enim tibi impossibile, vt diligere possit inimicos. Respōdetur, quòd id verum est secundum carnem. Caro quippe quærit quę sua sunt teste Apostolo qui ait. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo molum hoc ago, & paulopost. Video aliam lege in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Quia, vt alibi habetur, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quocunque vultis illa faciatis. Et tandem concludit Apostolus. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei carne autem legi peccati. Quamobrem dicendum est, quòd præceptum de dilectione inimicorum est impossibile viuenti secundum carnem, & animali homini qui non percipit quæ Dei sunt. Quemadmodum enim Deus non præcipit carni, vt non concupiscat vxorem proximi sui, quia caro concupiscit, &c. Sed præcipit rationi, sic Christus non imperat carni, vt diligat inimicos quos semper secundum suam naturam odit. Mandat autem rationi, & per consequens homini viuenti secundum dictamen rectæ rationis, præceptum illud non est impossibile, imò per necessarium. Quoniam quilibet Christi fidelis viuens secundum rationem, & Christi legem non habet

Responsio.

Rom. 7.

Galat. 5.

Rom. 7.

Pulchra similitudo.

nisi conformare voluntatem suam Dei voluntati, vt velit, quidquid Deus vult ipsum velle. Et cum Christus qui est verus Deus, & homo, velit illum diligere inimicos, ideo potest, & tenetur Dei amore ipsos diligere, &c.

Diligere inimicos quo est impossibile, & quo non.

Sed merito quærendum est, an diligere inimicos sit præceptum, vel consilium. Respondetur per pulcherrimam distinctionem, quoniam affectus dilectionis est duplex. Vnus innocentiæ quo nolumus nocere, sic est præceptum: Non enim optandum est malum alicui per se .s. inquantum malum, per accidens tamen optari potest, inquantum .s. expediens est sibi, vel reipublicæ. Alius affectus est beneficentiæ. & iste aut attenditur quo ad spiritualia necessaria ad salutem, & sic est præceptum, omnibus enim optandum est bonum gratiæ, & gloriæ. Aut quo ad temporalia bona, & tunc in articulo necessitatis est præceptum, nisi hoc esset innocumentum sui, vel alterius. Aut præter articulum necessitatis, sic non est præceptum de inimicis personæ, sed consilium. De inimicis vero reipub. nec consilium est, minimeque præceptum.

4. Obiect. Pulchra distinctio de dilectione.

De causis quibus tenemur diligere inimicus.

CAusæ quamplurimæ assignari solent, quibus ad diligendum inimicos cogimur, & tenemur. Quarum prima est propter perfectionem vitæ Christianæ. Reddere.n. bonum pro bono, humanum est, & naturale. Reddere autem malum pro malo, immanissimum est, & irrationale, sicut malum pro bono reddere ingratissimorum est. Reddere vero bonum pro malo, charitatis, & summæ perfectionis est. Sed quia Christiana vita maioris est perfectionis, quàm illa Iudæorum, & paganorum teste Saluatore qui ait. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et hic in Euangelio, ille idem ait. Si enim diligitis eos qui vos diligunt,

1. Causa qua diligendi sunt inimici.

quam

quam mercedem habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne æthnici hoc faciunt? Estote ergo & vos perfecti, Sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Igitur diligere inimicos ad perfectam Christianorum vitam pertinet, per salubre Christi mandatum, aliter lex Christi non esset perfectior lege Moysi, ac ceteris legibus. Cum sit autem perfectissima lex, perfectissimam continet iustitiam, vt est inimicorum dilectio, amor erga omnes, & beneuolentia.

2. Causa. Proximus quadruplex.

Secunda causa est, quia inimici sunt proximi nostri, ideo illos sicut nosmetipsos diligere tenemur. Sed pro maiori euidentia, considerandum est, quòd proximus quadrupliciter sumitur in scripturis. Primo, conditione primæ natiuitatis, & sic omnes homines proximi sunt. Secundo, spe conuersionis, & sic infideles sunt proximi nostri, quia licet secundum id, quod nunc habent, non possint communicare nobiscum in beatitudine, possunt tamen conuerti, & saluari. Tertio, propinquitate cognationis, & ita omnes de eadem progenie proximi sunt. Quarto, ratione beneficij exhibiti, & sic omnes quibus benefacere possumus, & à quibus beneficia recipere valemus, proximi nostri merito dicuntur.

Quid proximus noster.

Sed his omissis dicendum est, quòd proximus est ille qui ex charitate diligendus est. Omnis ergo qui ex charitate diligi potest præter Deum proximus est. Qui vero diligi non potest, nec debet, proximus non est. Charitas enim directe, & per se Deum habet pro obiecto. Ipse enim propter se diligendus est, qui est summum bonum. Cetera autem diligenda sunt propter ipsum. Itaque omnis homo viuens proximus est, quia nullus talis est quantumcunque malus, qui ex diuino beneficio non possit vitam mutare, & ad beatitudinem peruenire. Quamobrem quilibet homo tam fidelis, quam infidelis, tam amicus, quàm inimicus proximus est, quia beatus effici potest, inimicitia, & infidelitate relicta.

Qui sunt proximi nostri.

Omnes etiam in charitate mortui, proximi sunt, quia tales vel sunt iam beati in Paradiso, vel spem

ſpem beatitudinis certam habent, vt illi, qui in Purgatorio ſunt . Pariter & omnes Angeli proximi ſunt, & conſerui noſtri, ſicut ipſi teſtantur . Nam cum Ioannes vellet adorare Angelum, dixit ei . Caue ne feceris, conſeruus tuus ſuum, & fratrum tuorum. Hi omnes ex charitate diligendi ſunt. Dæmones autẽ, & damnati proximi noſtri dici minime poſſunt, quia beati eſſe non valent.

Dãnati, & dæmones, non ſunt proximi

Poſſunt præterea hi omnes, ſcilicet homines viuentes, & qui in charitate decedunt, pariter & Angeli ratione beneficij, proximi appellari iuxta parabolam Saluatoris de Samaritano vulnerato. De hominibus planum eſt, quia nullus eſt tam magnus qui interdum non indigeat auxilio paruulorum, & qui maiores ſunt, pluribus indigent . Nullus etiam tam inutilis , & paruus eſt, qui ſæpenumero alijs in multis prodeſſe non poſſit . Quamobrem nullus viuens à ratione proximi excipitur. Et præcipue, quia benefacere alteri competit etiam ſecundùm animam quod eſt maximum beneficium. Id autem quilibet alteri præſtare poteſt, operando per ipſum, ſicut Saluator ait : Orare pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Mortui etiam qui in charitate deceſſerunt proximi dicuntur. Quia vel ſunt beati in re , & tunc nobis benefacere poſſunt , orando , & pro nobis Deum intercedendo. Vel ſunt beati in certa ſpe, vt exiſtentes in purgatorio, & tunc illis nos benefacere poſſumus, orationibus, ieiunijs, & eleæmoſynis, licet ab eis non beneficia recipere non valeamus. Ad rationem enim proximi ſufficit, quòd vnus alteri benefaciat, vel benefacere poſſit. Etiam ſi ab eo bonum non recipiat, nec recipere valeat. Nam Chriſtus Samaritanum vulnerati proximum appellauit qui tantum ei benefecit, nec beneficium recepit. Et hac de cauſa Angeli boni proximi dicuntur , quia nobis benefaciunt , licet nos illis benefacere non valeamus. Dæmones autem , & damnati proximi non ſunt , quia nec nos illis , nec illi nobis benefacere poſſunt . Ex his omnibus manifeſte conſtat , qualiter Angeli , homines viuentes ,

Quid proximus alio modo .

Luc. 10.

Quid ſufficit ad rationẽ proximi

Cur dãnati et dæmones nõ ſunt proximi.

& qui

& qui in charitate decedunt duplici modo sunt proximi nostri. Tum quia æternæ beatitudinis participes sunt. tum quia vel ipsi nobis, vel nos illis benefacere possumus. Modo ad propositum redeamus. Inimici sunt proximi nostri, & Saluator ait, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum, ideo ex diuino præcepto, inimicos sicut nosmetipsos diligere tenemur.

Auctor concludit propositum.
Matth. 22.

Obiectio. Et siquis dicat, quomodo ergo seruatur ordo charitatis in quo primo Deus diligendus est, secundo nos ipsi, tertio parentes, inde filij postea domestici qui sint boni, malis filijs præponendi sunt, deinde amici, demum inimici? Si autem amor inimicorum æqualis amori nostro, videtur, quòd hic ordo seruari minime possit. Respondendum est per aliquas propositiones.

Responsio.
1. Propositio.

Prima. Ordo debitus charitatis reqritur de necessitate salutis. Patet, quia diligens non diligenda, aut æque diligens quę minus, vel amplius diligenda sunt, seu minus, vel amplius, quæ æqualiter sunt diligenda, contra ordinem diligit, & ex consequenti, teste Augustino, contra legem charitatis peccat.

August.
2. Propositio.

Secundo, Deus primo præ omnibus omni affectu, & effectu diligendus est, patet, quia in Deo est ratio bonitatis plenissima, quia bonitas infinita, cui nulla ratio bonitatis creaturæ comparari potest. Et quia non diligitur nisi bonum, ideo Deus tanquam summum bonum diligendus est super omnem creaturam.

3. Propositio.

Tertia, Omnia ex charitate citra Deum æque sunt diligenda quantum ad obiectum principale dilecto volendum. Patet, quia & nobis & proximis, amicis, & inimicis, volendum est, vt beatifice possideant Deum quibus omnibus æque optanda est gratia, & gloria iuxta illud Apostoli. Volo omnes vos homines esse sicut me ipsum.

1. Cor. 7.

4. Propositio.

Quarto, Quilibet homo plus debet diligere seipsum maiori affectu, & effectu, quàm cætera creata, & hoc de se liquet, quia secundum rectum rationis iudicium magis est diligenda salus propria, quàm aliena, bonum proprium

proprium quàm proximi. Vnaquæque enim res magis appetit perfectionem in seipsa, quàm in suo simili.

Quinta, gratuita dilectione præponendi sunt parentes filijs ceteris paribus quantum ad amorem affectiuum, & effectiuum. Sic etiam magis diligendi sunt propinqui ceteris paribus, quam extranei. Magis tamen diligendi sunt extranei boni, quàm propinqui mali gratuita dilectione, Secus de dilectione naturali. Vel aliter dicendum est, quòd in bonis spiritualibus, scilicet gratia, & gloria omnes homines tam propinqui quam extranei, tam amici, quam inimici æquali dilectione propter Deum diligendi sunt. In ceteris autem bonis animæ corporis & fortunæ assignandi sunt gradus, vt supra liquide dictum est. *5. Propositio.* *Alia responsio.*

De alijs duabus causis propter quas diligendi sunt inimici.

TErtia causa qua mouemur ad diligendum inimicos est propter maius meritum, teste Saluatore, qui ait. Si dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Merces autem oritur ex merito, quia merces, & meritum sunt correlatiua. Igitur diligenti inimicos maior merces assignatur, itaque magis meritorium est. Pręterea, id quod est perfectionis est maioris meriti, quàm id, quod est necessitatis. diligere autem inimicum perfectæ charitatis est, diligere vero amicum non est perfectionis, sed necessitatis, ergo magis meritorium est diligere inimicum. Dicit enim Augustinus in Enchiridio. Inimicum diligere, est perfectorũ filiorum Dei. Rursus. Vbi maior difficultas, ibi maius meritum, quia virtus est circa difficile. Sed diligere inimicum difficilius est, quàm amicum diligere, ideo magis meritorium est. Proinde Gregorius ait. Seruitia tanto sunt magis accepta, quanto minus debita, sed minus debitum est diligere inimicum quàm amicũ, igitur maioris meriti est inimicum diligere. Amplius. *Tertia causa.* *Prima ratio.* *Secunda ratio.* *August. in Ench.* *Tertia ratio.* *Quarta ratio.* *Gregor.*

Efficacia merendi oritur ex gratia, ad dilectionem autem inimicorum mouet sola gratia repugnante natura, ad dilectionem autem amicorum mouet natura simul, & gratia, & interdum sola natura, magis ergo meritorium est diligere inimicum, quàm amicum maiori impellente gratia.

Sed quia nonnulli oppositum tenent, dicendum est, quòd si comparemus dilectionem amicorum, & inimicorum quantum ad obiecta siue terminos, melius est diligere amicum, quàm inimicum, cum obiectum magis competens, & conueniens sit amicus quàm inimicus. Consideratur enim amicus vt quoddam bonum inimicus vero velut obiectum malum. Amor vero, & omnis apetitus est de solo bono. Igitur. Si autem comparemus has duas dilectiones quantum ad principium diligendi quod est voluntas, tunc vbi fuerit maior conatus maiorque difficultas voluntatis, ibi maius erit meritum, quia quanto est maior conatus, & difficultas voluntatis, tanto est voluntas feruentior de fine propter quem intendit aliquid operari. In dilectione autem inimicorum quæ est aliquo modo contra naturam, adest magnus conatus, magnaque voluntatis difficultas, talis igitur dilectio maioris est meriti.

Pulchra distinctio de amicorum & inimicorum dilectione.

Quarta causa qua quilibet tenetur ad inimicorum dilectionem, est maximus amor quem Deus ostendit nobis, iuxta illud Ioannis. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Et Christus in Euangelio. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ipsæ autem, & pro amicis, & inimicis animam posuit, De quibus alibi ait. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, Peccatores autem dum existunt in peccato mortali inimici sunt Dei. pro inimicis etiam orauit in cruce. Si igitur Christus tanta passus est pro amicis, & inimicis suis, cur non debemus ipsius exemplo saltem, & nos inimicos diligere? Et si ipsæ plus dilexit inimicos, quàm seipsum, pro quibus animam suam posuit, cur non debemus

Quarta causa.

Ioan. 5.

Luc. 5.

bemus non ad minus eos diligere? Et præcipue, quoniã qui diligunt inimicus, per amplius adimplent illud primum,& magnum præceptum, quod mandat Dominus obseruari in lege,dicens.Diliges dominum Deum tuum super omnia, & proximum tuum sicut teipsum. Nam qui diligunt inimicos,magis diligunt amicos,& ex consequenti proximos omnes, qui sunt vel amici, vel inimici,& non simpliciter propter eos, sed propter Deum,ideo magis diligunt Deum,itaque super omnia diligunt ipsum.Quamobrem dilectio inimicorum arguit obseruantiam duorum præceptorum Dei, scilicet dilectionem Dei,& proximi per regulam.Si de quo minus videtur inesse,& inest,ergo de quo magis. Sed minus videtur inesse q̃ quis diligat inimicos,quàm Deum igitur si obseruat pręceptum de dilectione inimicorum à fortiori obseruabit illud de dilectione Dei,& ꝓximi. *Dilectio inimicorum arguit dilectionem Dei & proximi.*

At contra obijciunt recentiores hæretici, affirmantes præceptum charitatis de dilectione Dei, & proximi non posse impleri in hac via, per verba Augustini inde perfectione iustitiæ dicentis. Illud præceptum hic in via non penitus,sed ex parte impletur, quia ex parte diligimus,sicut ex parte cognoscimus. In futura vero vita ex toto implebitur vbi erit iustus sine peccato, quia ibi nulla res erit repugnans menti. Et si quæritur, cur ergo præcipitur respondet, ideo vt præceptis ostendatur quo currendum est, quia non recte curritur si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? In oppositum autem est dictum Hieronymi in explanatione fidei, qui anathematizat dicentes Deum aliquid præcepisse, & hominem adimplere non posse. Et idem ad Damasum, inquit. Execramur etiam eorum blasphemiam qui dicunt impossibile aliquid homini præceptum esse, & mandata eius non à singulis posse seruari. Chrysostomus etiam ait. Possibile est enim Dei iussa perficere. Præterea, quod additur de præcepto dato vt ostendatur quo curramus, non videtur sufficere, quia pari ratione dandum esset præceptum de *Obiectio Lutheranorum. August. Hieron. Chrysost.*

uisione Dei non vt impleretur, sed vt sciremus quo nobis esset rendendum illo.s.vbi Deus videndus est, sicuti est, visione intuitiua.

Responsio. Respondetur concordando adinuicem dicta sanctorum, per hanc pulcherrimam distinctionem, scilicet quod in perfecta dilectione Dei, & proximi tres assignantur gradus.

Primus gradus dilectionis. Primus est ille, qui omnem actum contrarium, scilicet odium, & peccatum excludit, nō autem extraneum. Abstractio enim cordis per venialia cum non auertat à Deo, nec tollat aliquod necessarium ad salutem, puta gratiam, non ponit cor extra latitudinem perfectionis illius primi gradus.

Secundus gradus dilectionis. Secundus gradus est perfectior, qui non solum actum excludit contrarium, scilicet odium, & peccatum, sed frequenter extraneum vt veniale, cum, scilicet homo crebro, & studiose quantum humana hæc vita permittit, per amorosa virium suarum exercitia assurgit in Deum, contemplando, amando etiam opera exteriora in Deum ordinando.

Tertius gradus dilectionis. Tertius gradus qui est perfectissimus dum cōfertur actu, & assidue secundum charitatis motum in Dei dilectione, & amorem actualem, ita quòd nihil sit quod impediat, frangat alienet, vel interpollet huiusmodi actum amoris. Hic gradus in solis beatis est, vbi sine interruptione Deus clare videtur, summe amatur, atque nihil agitur, desideratur, vel cogitatur, nisi quod in Deum refertur. His præmissis dicendum est, quòd præceptum illud de dilectione Dei super omnia, & aliud de dilectione proximi, intensiue, & extensiue impleri potest in via perfecte secundum primum, & secundùm gradus perfectionis, non autem secundum tertium.

Auctor concludit propositum.

Conclusio prima. Io. cam. c. 3. Vel aliter respondetur, quia duplex est charitas perfecta, Quædam quæ sufficit ad salutem. Quædam excludit omnem imperfectionem tā impedientem quam retardantem. Prima, possibilis est in via. Secunda, tantum in patria reperitur.

Quin

Quinque conclusiones contra odientes inimicos.

OMnes odientes inimicos semper sunt in peccato mortali, patet per illud Ioannis in epistola canonica, dicentis. Qui non diligit, manet in morte. Et omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere, ideo, & pro inimicis. *Ioan. in epistola Cano.*

Omnes odientes inimicos etiam odiunt Deum, eiusdem testimonio qui ait. Siquis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem nō videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat, & fratrem suum. Et econuerso. *Conclusio secunda. 1. Ioan. 4.*

Omnes odientes inimicos, non possunt opera bona Deo grata perficere, teste Saluatore, qui ait. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, & valde prius reconciliari fratri tuo, vt supra declaratum est. *Cōclusio. 3. Matth. 5.*

Nunquam remittuntur peccata odiētibus inimicos suos, teste Saluatore, qui ait. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet, & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Et ille idem post parabolam hominis regis qui voluit rationem ponere cum seruis suis, concludit, dicens. Sic, & pater meus cœlestis faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Præterea: Qui odit inimicum suum cum dicit dimitte nobis debita nostra, profert sententiam contra seipsum. Exemplo. Dauidis, qui ait ad Nathan prophetam, expleta similitudine, reus est mortis homo ille, qui fecit hanc rem. *Cōclusio. 4. Matth. 6. Matth. 18 1. Reg. 12*

Cõclusio. 5. Omnes odientes inimicos sunt in æterna damnatione. patet per illud Saluatoris. Esto consentiens aduersario tuo dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro. & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem, id est nunquam. Et alio in loco, quando iratus Dominus tradidit seruum nequam tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.

Matth. 5

Matth. 18.

De magis præmijs diligentium inimicos.

Vt sitis patris vestri qui in cœlis est, qui Solẽ suũ oriri facit super bonos & malos. Et *pluit sup iustos, & iniustos.*

Triplex filiatio habetur in scripturis sanctis, scilicet per naturam, gratiam, & adoptionem. Filius naturalis est Christus, secundum naturam diuinam, vt ipse testatur in Psalmo, dicens. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et Pater ad filium. In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Filius per gratiam est Angelus, ibi. Quadam die cum venissent filij Dei, id est Angeli, vt assisterent coram Domino, &c. autem adoptiuus, duplex. Primogenitus, scilicet & secundus genitus. Primus est Christus secundum humanam naturam, de quo Apostolus. Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundus est quilibet Christi fidelis. Sumus enim nos filij Dei adoptiui, dilecti, & electi, ac prædestinati ab æterno, necnon gratificati Deo, iuxta illud Apostoli. Prædestinauit enim nos Deus in adoptionem filiorum Dei. Et nota, quòd quadruplici de causa sicut sacræ testantur historiæ facti sumus filij Dei. Primo, per fidem, ibi. Dedit ei potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Secundo per pacem, ibi. Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. Tertio, per misericordiam, ibi. Mutuate, nihil inde sperantes, & eritis filij altissimi. Quia ipse benignus est super ingratos, & malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est.

Filiatio triplex.
Psal. 2.
Psal. 109.
Iob. 1.
Filius adoptiuus duplex.
Rom. 8.
Ephe. 1.
Quot modis sumus filij dei.
Ioan. 1.
Matth. 5.
Luc. 6.

Quarto, propter inimicorum dilectionem, vt in proposito. Dicit ergo. Vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est. Nescio profecto quid amplioris præmij possit habere in aduersarios diffusa dilectio, quam si adoptiua cum vnigenito ab æterno sequatur filiatio, & subsequatur hæreditas æterna. Quoniam, vt inquit Apostolus. Si filij sumus, & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et si dicas, cur dicit qui in cęlis est, cum Deus sit vbique iuxta illud psal. Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. Respondeo, vbique est De⁹, sed dicitur esse in cœlis, quia ibi magis relucent operationes eius in potentia, in magnitudine, sapientia, & pulchritudine, & bonitate, & vtilitate. Vel in cęlis, id est in sanctis per gratiam, & in Angelis per gloriam.

Primum præmium. *Rom. 8.* *Psal. 138.*

Aliud etiam præmium assignatur, quod est similitudo Dei, vt, scilicet simus similes Deo, qui Solem suum oriri, facit super bonos, & malos. Vnde sciendum est, quòd triplex est Sol qui oritur super bonos, & malos. Primus est Sol ille materialis, creatur à principio mundi qui in istis inferioribus operatur, lumine, motu, & influentia. Illuminat nanque tam bonos quàm malos, quorum terram germinare facit. In hoc autem non differunt boni à malis, de quo Psalmista. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus sui collocabuntur. Secundus Sol est ipse Christus, vt de seipso testatur dicens. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris. Sol si quidem iste missus est ab arce patris, tam pro bonis, quam pro malis, imo pro suis inimicis, vt ille idem ait. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, vt conuertantur, & agant pœnitentiam ad salutem. Tertius Sol, illuminatio est Spiritus sancti, vt inquit Ioannes. Erat lux vera, quę illuminat oēm hominem venientem in hunc mundum. Quam illuminationem optabat Dauid, cum dixit. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Et alibi? Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Oritur enim nobis hic Sol, cum ipse stat ad ostium & pulsat, vt intima cordis illuminare valeat.

Triplex Sol. *Primus Sol* *Psal. 103* *Secundus Sol.* *Ioan. 8.* *Luc. 5.* *Tertius Sol* *Ioan. 1.* *Psal. 12.* *Psal. 16.*

1. Cor. 6. leat. Siquis autem aperuerit &c. Quamobrem Apostolus ait. Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce qualiter Deus triplicem Solem suum oriri facit super bonos, & malos. Inde subdit. Et pluit super iustos & iniustos. Sicut triplex est Sol, ita triplex erit pluuia. Prima, materialis, quæ est vapor calidus, & humidus humiditate aquea eleuatus ab istis inferioribus virtute Solis, & aliorum astrorum vsque ad mediã regiones aeris, in qua propter loci frigiditatem condensatur, & conuertitur in nubem. Nubes autem in pluuiam descendentem per guttulas. Mandat nanque Deus nubibus cœli, vt pluant super terram, tam bonorum, quàm malorum, sicut per Esaiam testatur. Mandabo nubibus vt pluant super terram. Imperat quoque Nilo vt egrediatur ad rigandum omnem terram Ægypti, ita Eridano, & alijs fluuijs. Secunda pluuia est Christi doctrina, & Euangelium. Præcepit enim Christus Apostolis, dicens: Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ. De qua Moyses in cantico. Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Concrescat, vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. Tertia pluuia est gratia spiritus sancti per Baptismum, & pœnitentiam quam effudit Deus abunde super bonos, & malos non ponentes obicem, seu obstaculum Spiritui sancto. De qua Ezechiel. Ecce ego effundam super vos aquam mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum nouum. Et infra. Vidi aquam egredientem de templo a latere vestro &c. Sed dicet aliquis. Cur voluit Deus ista bona temporalia esse communia, tam bonis, quàm malis? Respondetur, quòd sic Deus statuit multis de causis. Primo, vt cognoscamus, quòd ipse gratis dat, & non ex nostris malis, aut bonis operibus. Secundo, ne ex istis mali desperent, & boni glorientur si hæc temporalia bona tantum darentur eis. Tertia, vt Deus ostendat, quod hæc temporalia bona non prosunt malis, nec nocent bonis. Quarto, vt mali iuste puniantur

Triplex pluuia.

Pluuia prima.

Isa. 60.

Pluuia secunda.

Marc. vlt.

Deut. 32.

Pluuia tertia.

Ezech. 36.

Eze. 47.

Pulchra quæstio. Cur bona malis.

puniantur,& boni probentur. Si igitur diuinam optamus ſimilitudinem, & Deo in operibus his, aſſimilari volumus, debemus ſolem & pluuiam noſtram, quæ ſunt bona gratiæ corporis,& fortunæ, loco,& tempore,amicis,& inimicis impartiri libenter. Quia quemadmodum eſt maxima turpitudo brutis animalibus aſſimilari, ita maxima eſt dignitas aſſimilari Deo. Si enim filius carnalis aſſimilatur pulcherrimo patri in corpore,bonum eſt. Si vero in animo generoſo,doctrina,& ſapientia,melius eſt.Si autem in operibus bonis, optimum erit.Igitur cum corpore ſimus ſimiles Chriſto, qui & ipſæ in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Si generoſo animo amore, & dilectione,ſimiles erimus, valde melius erit. Si vero operibus charitatis propter quam paſſus eſt pro amicis,& inimicis, per optimum exiſtimabitur, &c.

Aßimilari Deo quomodo quis poteſt.

Philip. 2.

Et ſiquis iterum dicat, an oriri Solem ſuper bonos & malos ſit beneficium,cum tale non ſpecialiter alicui ſed omnibus indifferenter detur? Dicendum eſt, quòd iſta ſunt beneficia Dei,nobis collata.Duo enim requiruntur ad hoc, quòd aliquod dicatur beneficium, ſcilicet quòd non ſit debitum,& quòd ſit voluntarie preſtitum. De primo patet,quia quando debitum ſoluitur, non reputatur impenſum eſſe beneficium, quia debitũ eſt neceſſitatis. beneficium autem eſt ſuper erogationis. De ſecundo liquet,quia ſi aliquid præſtatur ex neceſſitate,etiam ſi non ſit debitum, non eſt beneficium. Vt ſi non eſt in poteſtate eius qui dat,dare vel nó dare. Exempli cauſa. Potens alicui auferre rem ſuam violenter,dicat ei, da mihi hanc rem, alias violenter tollam. Si ille tunc non potens eam defendere,det,non dat beneficium,quia non eſt in poteſtate ſua dare,vel non dare.Pariter &ille qui tenetur ex debito dare beneficium igitur eſt quod alteri præſtatur, & non eſt debitum, & ſponte datur. Iſta autem competunt Deo in præſenti, quia nulli debitor eſt iuxta illud Apoſtoli. Quis prior dedit illi,vt retribuatur ei?Ideo tam bonis,quam malis Deus nihil debet.Itaq; quidquid preſtat vtriuſq; beneficium

Alia quæſtio.

Ad beneficium, duo requiruntur.

Eſa. 40. Rom. 11.

cium est,& præcipue malis qui nihil meruerunt. Secundum patet, quia Deus sponte bonis, & malis pluuias donat, & Solem oriri facit super eos. Et ad hoc nemo eum cogere potest. Sunt ergo ista beneficia Dei quæ subtrahere posset quandocunque vellet, & potuisset nunquam incipere à nobis donare. Quare,&c.

Cur Deus magis posuit exemplum de Ortu Solis, & de pluuijs; quàm de alijs rebus, in dilectione inimicorum.

Multis de causis, exempla posuit Christus de Sole, & pluuia, quàm de alijs rebus.

Prima causa. Primo, quia multa sunt beneficia Dei ignota nobis, hæc autem sunt notissima. Nam licet custodia Angelorum sit magnum beneficium nobis collatum, multi tamen ignorant an sint Angeli, quos interdum non esse putant,& ita de alijs occultis beneficijs. Vt de immutatione cordis, quam Deus facit, eo quòd nonnulli ignorant, an Deus pulset corda hominum, quia sæpenumero id non experiuntur. Doctrina autem debet procedere ex per se notis, & ex notioribus nobis. Cum autem hæc sint notissima, de his exemplificat Christus.

Secunda causa. Secundo, Christus voluit innotescere nobis huiusce beneficia adeo esse. Quia licet homo recipiat hæc beneficia Solis,& Lunę, non est ei per se notum quod hæc sint à Deo, quare Dei beneficia esse minime putat. Hac igitur de causa, de cibo, & potu, & terræ nascentibus, ac diuitijs, exempla Christus ponere minime voluit, eo quòd vulgus ignorans illa esse à Deo non arbitratur, sed proprijs laboribus acquiri, plurimi etiam crediderunt Deum tantum curam habere de cœlestibus, non autem de humanis,& inferioribus rebus, iuxta illud Iob. Circa cardines cœli ambulat, & inferiora non considerat. *Iob.22.* In Sole autem,& pluuia planum est, quia cum de sursum veniant, manifeste apparet, quòd à Deo sunt, ideo de his loquitur.

Tertia causa. Tertio, quia hæc beneficia sunt communia, ideo voluit nos instruere Christus in dilectione, & charitate, per quas bonos, & malos simul diligere debemus. Quare proposuit beneficium Dei indifferenter

ter præſtitum bonis,& malis. Non eſt autem ſic de ceteris tam corporis, quàm animæ beneficijs, quia talia non conceduntur æqualiter omnibus. Sed tanta eſt adeo differentia,vt quibuſdam multa,quibuſdam vero pauca,alijs vero nihil, à Deo concedere videntur. In Sole autem, & pluuia æqualiter præſtatur beneficium bonis,& malis,manentibus in eadem regione. Sic beneficium dilectionis noſtræ æqualiter erga amicos, & inimicos exponere debemus.

Quarto,exemplum poſuit Chriſtus de Ortu Solis, & pluuijs tanquam de principalibus cauſis,à quibus fere omnia hæc temporalia beneficia prouenire arbitramur. Nam Sol,& pluuia cauſæ ſunt vitæ animalium, quia illorum vita, & præcipue hominis conſiſtit in quadam temperie qua ceſſante per excedens calidum vel frigidum vita ceſſat. Iſta tamen temperies in qua tota vita conſiſtit,fit à calido,& humido, ideſt à Sole, & pluuia,& maxime à Sole,quia vt dicitur primo de genera. per acceſſum,& receſſum ſolis in circulo obliquo,ſcilicet Zodiaco,fiunt generationes,& corruptiones in terra. Tota ergo vitæ diſpoſitio ex his prouenire recte cenſemus. Præterea,animalia omnia,vt viuant indigent cibo,& potu, vt reſtauretur in eis quod continue deperditur,propter continuam corporum reſolutionem. Cibus ergo, & potus ſunt ſimpliciter neceſſarij ad vitam animalium. Iſti autem per Solem,& pluuiam cauſantur, cum generatio omnium iſtorum fiat per actionem calidi in humidum. Et quia Sol eſt principium caloris, aqua vero principium totius humoris, ex his duobus prouenit omnis cibus, & potus. Conuenienter ergo Chriſtus expreſſit Solem, & pluuiam, veluti cauſas à quibus ſunt hæc omnia beneficia noſtra.

Quarta cauſa.

Sol & pluuia cauſa ſunt bonorum corporalium, quomodo.

Et ſiquis dicat. An Deus poſſet facere Solem tantum oriri ſuper bonos,& non ſuper malos? Reſpondetur affirmatiue, quia id Deus multis modis efficere poteſt, quemadmodum alias hoc idem feciſſe nouimus in ſcripturis. Nam poſſet Deus etiã abſque mutatione curſus Solis à ſuo priori ſtatu ponere tenebras inter malos, ita

Primus modus.

ita vt non viderent solem, sicut fuit in Ægypto vbi tribus diebus fuerunt ita tenebrę condensatæ quòd palpari poterant, & nemo Aegyptiorum illis diebus vidit proximum suum, nec ausus est se mouere de loco in quo fuerat. Vbi autem erant Israëlitæ Sol illuminabat, & lux fulgida erat. Et sic posset Sol oriri super malos tamen non viderent illum quia non sufficeret illustrare illam tenebrarum densitatem, teste Salomone, qui ait.

Exod. 10. *Sapien. 17.*

Et ignis quidem nulla vis poterat eis lumen præbere, nec syderum lympidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

Secundus modus.

Secundo posset Deus etiam absque vllis tenebris facere, scilicet, quod Sol oriretur super bonos, & malos, & nullæ tenebræ aut nubes adessent, mali tamen non viderent solem, percussi quadam cæcitate, quam Græci ἀχρίσιαν vocant. Et est, vt dicit Augustinus, quando quis vere videns est, & tamen tenentur oculi eius, vt cetera videndo, aliquod vnum quod coràm eo est, non videat, aut non cognoscat. Sic enim scribitur, quòd Sodomitæ percussi sunt cœcitate, quia cum essent ad ostium domus Loth frangere volentes illud, percussi sunt cæcitate, ita vt totam domum videntes, & seipsos, & cetera quæ præsentia erant, solam ostium domus quod coram eis erat non viderent, & ita fuerunt tota nocte. Eodem etiam modo accidit Syrijs seruis regis Benadab qui venerant in vrbem Dotain vbi erat Heliseus, vt caperent eum. Cognoscebat enim illum, quia sæpe viderant, agnoscebantque ciuitates, & vias terræ Samariæ in qua aderant. Exiuit autem ad eos Helisæus. & percussi sunt cœcitate, ita vt eum non agnoscerent. Dixitque eis. Ego ostendam vobis virum quem quæritis. Et ducens eos per viam Samariæ introduxit eos in ciuitatem, & nunquam cognouerunt quousque fuerunt in platea Samariæ. Et tunc aperti sunt oculi eorum. & viderunt se esse in medio Samariæ, & in manibus hostium suorũ. Pari modo posset Deus facere de malis, ita vt viderent omnia, solẽ autem videre minime possent.

August. 22. de ciuitate Dei. *Gen. 19.* *4. Reg. 6.*

Tertius modus.

Tertio, posset Deus facere quod sol oriretur super malos,

los, & tamen ipsi non haberent aliquam vtilitatem in se, nec in rebus suis, ex ortu ipsius Solis, sicut sit in alijs qui vident, & vtilitatem ex motu solis recipiunt.

Quarto, posset Deus facere vt Sol non emitteret radios in partem in qua malus quispiam adesset. Nam Sol, & alia luminaria emittunt radios luminis sui ad omnem punctum per lineam circularem, & ideo vbicunque fuerit homo (semoto impedimento solem postquam ortus est videre potest. Si tamen in aliquam partem terre Sol radios emittere cessauerit, in illa parte videri minime poterit. Ita posset Deus facere, quod vbicunque malus aliquis esset, non peruenirent radij Solis, & sic semper mali in tenebris essent, Inde sequitur. *Quartus modus.*

Si enim diligitis eos, quo vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne, & publicani, hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne, & ethnici hoc faciunt? Quasi velit dicere Saluator. Non diligere diligentes se peruersitatis est. Sed diligere diligentes se, naturale est, ideo nullam aliam mercedem expectant. Non diligere vero diligentes se, est imperfectionis humanæ, sicut diligere non diligentes se gratiæ, & maximæ charitatis est. Quare maximum exigit præmium propter difficultatem. Virtus nanque circa difficile, vt supra dictum est. Et si salutaueritis fratres vestros tantum, qui aliqua affinitate iuncti sunt vobis .i. salutem eis optaueritis, ac charitatis, dilectionisque affectum eis ostenderitis, quid amplius? scilicet quantum ad perfectionem facitis? Et si benefeceritis tantum his qui vobis benefaciunt, quod est debiti naturales ex accepto beneficio quod meritum gratiæ habebis apud Deum? Quasi diceret, nullum. Nonne ethnici, & publicani, id est pecatores gentiles hoc faciunt? Publicani nanque non à peccando, sed à publicis officijs dicti, qui publica vectigalia exigunt. A Publio quippe rege Romanorum nomen traxisse dicūtur. Ethnici vero, ab ἔθνος Græce, quod gens latine est, vocantur, qui geniti fuerunt sub peccato, idolorum cultores, & peccatores, qui varijs vitijs corrupti erant in operibus, *Quid publicani.* *Quid Ethnici.*

Obiectio. bus,&c.Et siquis dicat. Si ex Euangelio tenemur saluta re fratres,tam amicos,quàm inimicos,cur salutare pro

4.Reg.4. Prima ratio. hibetur in scriptura. Heliseus enim prohibuit Giezi puero suo,dicens. Si occurrerit tibi homo,non salutes eum. Et si te salutauerit quispiam,non respondeas ei. Igitur salutare non est actus charitatis.Præterea,Apostoli erant in statu perfectissimo,nihilominus Christus

Luc.10. Secunda ratio. Responsio. dixit eis. Neminem in via salutaueritis. Ad obiectionem dicendum est, ꝙ salutare signum est charitatis, sicut benefacere, & orare. Et quemadmodum Christus nos docuit inimicis benefacere, & pro eis orare, ita etiam instruit nos, vt salutemus eos dicens, Si salutaueritis fratres vestros tantum,quid amplius facetis? scilicet plusquam peccatores, qui, & ipsi salutant fratres

Salutare inimicos, perfectionis est vitæ. suos.Ideo salutare tam amicos quàm inimicos nos admonet,cum subdit. Estote perfecti,sicut pater vester cælestis perfectus est.Sciendum est tamen,ꝙ salutare in se non est actus,vel opus charitatis,quia non est aliquod bonum,sed tantum est dilectionis,& amicitiæ signum,

Salutatio est tantum signum charitatis. Quoniam per salutationem, salutem alicui precamur illamque corde desideramus. optare autem salutem proximi,opus est charitatis. In voce vero illam imprecari possumus,interdum ex corde, & sæpenumero ficti quamobrem salutare non semper actus charitatis est est tamen necessarium propter humanam consuetudinem,& ad scandalum euadendum.Nam homines adeo assueti sunt ad salutandum occurrentes sibi, quod quispiam non salutet alterum sibi occurrentem, nisi penitus incognitus,vel valde inæqualis in statu,putabitur contemnere illum, vel pro inimico ipsum tenere. Est igitur salutatio aliquo modo necessaria, cum sit signum amicitiæ,& beneuolentiæ.

Soluitur prima ratio. Ideo ad primam rationem in oppositum dicendum est, quòd Heliseus vetuit Giezi salutare in via, ac salutantibus respondere, non vt veluti malum esset, sed quia per hoc esset occasio contrahendi moram. Volebat enim eum ire festinum,& nullam moram facere, vt ad suscitandum filium mulieris Sunamitis, semoto quacunq-

cunque impedimento, cito proficisceretur.

Ad secundum dicendum, q; salutare licitum erat Apostolis, quinimo necessariũ Christo dicente. In quamcunq; domum intraueritis primum dicetis, pax huic domui. Ipsi quoque valde vtebantur salutationibus tã in scriptis q̃ verbis, & præcipue Apostolus, qui in fine epistolarum salutat eos, ad quos epistolæ diriguntur, dicens, Salutant vos omnes fratres. Item salutare inuicẽ in osculo sancto. Item salutant vos omnes ecclesiæ Asiæ. Quare concludendum est, q; Christus non vetuit Apostolis simpliciter salutare, sed tãtum salutare in via, ibi. Neminem in via salutaueris. Tamen immediate iussit quod in quamcunq; domũ intrarent, salutarent eos. *Soluitur secũda ratio.* *Luc. 10.* *Paulus.*

Causa autẽ quare in via neminem salutare debebant, sed solum in domo, assignatur ab aliquibus. Quia salutare est saluum dicere. Nemo autem in via vel dum est viator saluus est, ideo non licet alicui hoc dicere, nisi sit certus de salute illius quem salutat. *Prima causa cur non licet salutare in viam.*

Aliam causam assignant Gregorius dicẽs, In via salutat ex occasione, & consuetudine quadam salutat, & nõ semper ex desiderio salutis eius cui occurrit, q a illæ incognitus fortassis sibi est, & non desiderat ei bonum ex animo, ignorat etiam interdũ an illæ sit salutis dignus. viri autẽ perfecti nihil debent dicere aut facere ex occasione, sed ex veritate cordis, ideo vetitũ erat Apostolis salutare quenq̃ in via. Secus in domo vbi mansuri erãt, edentes, & bibentes quæ apud illos reperiebantur. *Secunda causa.* *Gregor.*

Alia causa assignari potest, & magis conueniens. Id enim præcepit Christus vt non daret occasionem Apostolis à suo proposito, & opere deuagandi, sed cito facere, quod ipse imposuerat eis onus prædicandi toti seculo, quod erat opus valde necessarium multorum dierum, & laborum. Ipsi autem pauci erant, facultas vero prædicandi, & conuertendi homines ad Christum altissimæ dignitatis erat, quare conuersationem Iudaorum, & gentilium in via subterfugere debebant, quos corripere, & reprehendere tenebantur, vt etiam ostenderent ipsorum dignissimum summæ grauitatis officium. *Tertia causa.*

officium. Ideo neminem salutare debebant in via. In domo autem salutatio necessaria erat ad principium cognitionis, cum hospitium quærerent. Et quia insuper Christus verbis Apostolorum adeo gratiam elargiebatur, vt omnia eis gratias concederentur, mox ut hospitium ingrederentur, nisi forte illæ à quo peterent, indignus esset, vt apud eum aliquis Apostolorum moraretur. Deinde subdit.

Quid status incipientium.

Estote ergo perfecti sicut & pater vester cœlesti perfectus est. Triplex in scripturis reperitur hominum status, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum. Status incipientium est illorum qui incipiunt bene operari relictis moribus paruis, sæpe tamen à bono proposito deficiunt, sed resipiscunt, & conantur in bonis moribus perseuerare, qui stant ad pedes Christi dicentes. Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Quid status proficientium.

Status autem proficientium est illorum qui perseuerant in bonis operibus, & raro cadunt in mortali, & si deficiunt cito resurgunt, maiori lumine gratiæ eleuati, qui & recumbunt supra pectus Christi dicentis. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.

Quid status perfectorum.

Status vero perfectorum est illorum qui nunquam cadunt in peccato, sed semper (diuina assistente gratia) in bonis operibus & moribus perseuerant, læto animo ad os Christi clamantes. Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Est igitur vir perfectus secundum Christum, & Euangelium, qui bene viuit. Bene autem viuere, est benefacere, & mala pati, & sic perseuerare vsque in finem. Decet enim virum perfectum primo venerari Deum, honorare parentes, benefacere inimicis, & orare pro ipsis, non inquantum sunt inimici, sed veluti creaturæ Dei, fratres, & proximi nostri. Necnon subuenire gentibus, & tandem omnia Dei obseruare præcepta non solum quantum ad substantiam mandatorum, sed secundum Dei præcipientis intentionem, ad quæ omnia oneranda recta ratio dictat, & Euangelium docet, diuina quoque coadiuuante gratia, cooperante Spiritu sancto. Quibus mandatis succedunt

Quid vir perfectus.

Quid bene viuere.

succedunt aliæ virtutes morales. Primo, iustitia tam legalis, quàm moralis, & naturalis, sicut impartiri, vnicuique quæ sua sunt, Inde temperantia. Nam decet virum perfectum temperate viuere in cibis & potibus in somno & vigilia, in studio, & recreatione, in rebus veneris, & in quibuscunque alijs temperantia vti, sicut recta ratio depostulat. Proinde prudentia quam habere oportet, vt sit prudens in rebus agendis, & in consideratione finis quia non est prudentis dicere. Non putarem. Postremo, magnificentia, liberalitas, ceteræque virtutes, quibus omnibus vtitur ad Dei laudem, & honorem. Sed quia non sufficit viro perfecto tantum benefacere, id est hæc omnia operari, quoniam si aduenerit ei aduersitas vel tribulatio, & se impatientem reddiderit, non erit vir perfectus. Huic igitur adde, quòd oportet ipsum mala pati, & tribulationes patienter sustinere, & sic fortitudinem amplecti, ac ipsius auxilio tueri. Beati nanque qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Quare oportet ipsum aggredi aspera, & dura, & sensualitati contraria, sed hilari vultu, & absque vlla animi perturbatione, hæc aduersa, & alia his similia patienter sustinere. Sed non adhuc completa est diffinitio, quamobrem necesse est ipsum sic in finem vsque perseuerare, vt saluus fiat. Habes igitur candide lector breui colloquio quis dicatur vir perfectus. Sed quia ipsius diffinito, aspera continet, & dura concludit, ideo pauci inueniuntur viri perfecti potissimum tamen signum perfectorum virorum, quo magis assimilantur æterno patri, à quo etiam perfecti denominantur, est diligere inimicos, vt supra ostensum est. Clamat igitur Christus. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

Prima conditio viri perfecti.

Secunda conditio viri perfecti.

Tertia conditio viri perfecti.

Quid sit verus amicus, & inimicus.

AMicus propriæ est, qui amat, & reamatur, & si vere amat, vult amico suo omnia bona, quinimo quid

Quid amicus.

quid boni operari potest, erga amicum suum, id efficit vt amico complaceat.

Quid inimicus.

Inimicus vero per oppositum diffinitur, & est ille q[ui] vult, & facit quæcunque mala alteri inimico. & maiora, peiora, ac perniciosiora faceret si posset. Sed pro maiori euidentia huiuscemodi amici & inimici considerandum,

Cœlum quadruplex.

quòd quadruplex reperitur cœlum. Videlicet, cœleste, diuinum, Angelicum, & humanum. Primum est cœlum cœleste, planetis, & syderibus ornatum ad cuius similitudinem Deus, Angelus, & homo dicuntur cœli. Quoniam illud cœleste cœlum. regio est simplex a variatione omni sua immutabili essentia immunis existens, quod continue motu circulari incedit ab Oriente in Occidentem, iterum redeundo in Orientem. Sic

Cur Deus dicitur cœlum.

deus cum sit essentia simplicissima immunis ab omni variatione & alteratione, quodammodo motu circulari mouetur & operatur, quia quicquid producit Deus ad extra tanquam prima causa & primum agens, vltimate omnia illa producta & ab illo creata, denuo referuntur ad ipsum Deum, velut ad vltimum finem. Qua de causa fit quædam spiritualis circulatio, cum omne quod producitur ab ipso iterum reducatur in ipsum, qui est principium & finis omnium, sicut ipse testatur. Ego sum α, & ω. Et ita ab ipso & ad ipsum sunt omnia, iuxta illud Apostoli. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso, sunt omnia. Ipsi honor & gloria.

Apoc. 1.
Rom. 11.

Quomodo angelus dicitur cœlũ.

Angelus præterea dicitur cęlum cum sit essentia simplex, immunis ab omni corruptibili mutatione, & alteratione, & quodammodo circulariter mouetur, & operatur. Quoniam ipsius mouere, & operari est intelligere. intellectio autem Angeli cum seipsum obiectiue cognoscit, est ab ipso producta quæ etiam in ipsum reflectitur. Est igitur Angelica cognitio, circulatio, quædam. pariter & si Angelus alterum alioquin ipsum illuminando huiusce cognitionis lumen quod producitur ab illo, adhuc retrocedit ad ipsum.

Homo proinde dicitur cœlum multis de causis, n[...]

xime quo ad animam, cum sit essentia simplex quæ ad instar cœli, omnia corporis membra regit. Et quemadmodum cœlum circulariter mouetur, ita quæcunque hominis opera, & præcipue Spiritualia sunt ab ipso vel vti quadam circungiratione operata, vt liquet multis apertissimis exemplis, ex quibus noster proprius amicus, & inimicus demõstrabitur. Si enim quispiam Christi fidelis gratia præueniente, aliquod opus bonum efficiat, dando eleæmosynam egenti, manifestissime apparet, quòd opus illud bonum est ab ipso tanquam ab efficiente, deinde pertransit in aliam personam proximi, ita quòd ille proximus consequitur bonum illud ab illo à quo deriuatur. Maius tamen bonum consequitur ille qui eleæmosynam elargitur quàm ille qui recipit iuxta illud Euangelij. Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Quare eleæmosyna illa iterum reuertitur ad ipsum à quo deriuatur, sanè quo ad meliorem effectum. Et sic intelligenti constat, quòd omnis bona operatio nostra circularis est, quia ortum habet ab homine, & transit in personam alienam, quæ iterum meliori modo reddit in ipsum. patet etiam ex dictis, quòd nullus vir bonus, & perfectus potest tantum spirituale bonum proximo elargiri, quantum potest sibi ipsi facere. Quia quantumcunque, seu qualecunque bonum alteri facit, semper maius bonum consequitur ipsæ. Pari modo dicitur de malo. Nam quodcunque malum spirituale faciat homo proximo suo, maius malum, deterius damnum & incommodum patitur ipsæ. Propter quod sequitur, quòd verus amicus noster est tantum animus bonus, intentio bona, ac nostra bona voluntas, à qua omnia bona deriuãtur cum adiutorio diuinæ gratiæ in maiorem ipsius felicitatem. Sequitur etiam ex dictis quòd verus inimicus noster est tantum animus malus, intentio mala, cor prauum, ac nostra mala voluntas, a qua omnia mala deriuantur (gratia desistente) in maiorem ipsius pęnam.

Quomodo homo dicitur cœlum

Matth. 19.

Ex dictis author propositum concludit

Quid verus amicus & inimicus.

At modo videndum est qualiter huiusmodi noster inimicus debeat à nobis sæuissime odiri, & affligi. Cur

rite ò vos qui summopere cupitis vindictam inimicorum vestrorum, & videbitis quæ, & quot mala sunt eis inferenda. Sed suspicor valde, quod non eritis ita sæui, & crudeles, vt velitis tam mala inferre proprio vestro inimico. Primo, arma offensiua ab illo debent auferri, quibus nos offendit. Sed quæ sunt hæc offensiua arma, nisi nimia ipsius libertas, voluntas, soluta, efrenatus appetitus, irrationalis concupiscentia, semoto quocunque timore Domini, superbia confidentia, & arrogantia? Hæc sunt quibus inimicus inuadit animam, superat, & vincit, quemadmodum faciunt, qui sine lege viuunt. Sed hæc arma debent auferri, vel saltem ligari lege naturæ, quæ præcipit nihil esse faciendum alicui, quod nobis fieri nolumus. Debent insuper alligari lege diuina, quæ præcipit dilectionem Dei, & proximi. Lege quoque humana, & canonica.

Arma hominis inimici spiritualia offensiua.

Secundo, debent ab huiusmodi inimicis auferri arma defensiua quæ sunt, nimia commoditas corporis ociositas mentis, comessationes, ebrietates, superbi corporis ornatus, nolle aliquid pati, seu aliquam incommoditatem habere, sed omnia delectabilia quibus corpus delectari possit, incrassari, & impinguari, vt inde recalcitrare valeat. Hæc sunt igitur arma, quibus inimicus se maxime defendit, & tuetur. Viri autem perfecti auferunt à suo proprio inimico, primo arma offensiua abnegando propriam voluntatem, secundum Christi doctrinam. Auferunt, & arma defensiua per spiritus paupertatem sequentes Christum clamantem. Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me. Estote ergo perfecti, sicut, & pater vester cœlestis perfectus est.

Quæ sunt arma defensiua hominis inimici.

Matth. 16.

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis. alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in cœlis est. Attendite, hoc est diligenter considerate, seu attenti, & cauti estote contra videlicet insidias spiritualis superbiæ quæ etiam bonis operibus insidiatur, vt faciat ea non esse Deo grata: ideo attendi estote, ne iustitiam vestram, id est opera iustitiæ

Matth. 6.

iustitiæ (quæ sunt operà bona tam intrinseca quàm extrinseca) de genere quocunque fuerint illa, omnia nanque talia sub iustitia generaliter dicta continentur, sicut Hieron. ait. Omnes virtutum species sub hoc iustitiæ nomine comprehenduntur, faciatis coram hominibus eo, scilicet fine vt videamini ab eis, id est propter laudem humanam, & mundi fauorem, non propter gloriam Dei, nec propter proximi ædificationem, alioquin mercedem non habebitis apud Deum ob cuius amorem opera non sunt finaliter operata, sed propter hominum laudes. *Opera bona nō sunt faciēda propter hominum laudē.*

Sciebant itaque antiqui scribæ, & Pharisæi duplicem esse iustificationem, humanam videlicet, & diuinam. Quærebant tamen potius iustificari apud homines q̃ apud Deum, & tanquam hyppocritæ, & tristes per opera exteriora iusti appellari, & venerari. Hanc autem iustificationem remouet dominus, quoniam omnis iustitia, quam in lege implere tenemur, solum propter Deum fieri debet, vt ex sequentibus patet. *Duplex iustificatio*

Si enim Deus omnis virtutis est author, & si ab ipso cuncta bona procedunt, si sine ipso nihil potest fieri bonitatis, si omnis virtutis se premium, facit, non est alius finis præter ipsum appetendus, nec ante hominum conspectus ponenda sunt opera nostra, qui præter quàm laudando, non possunt præmiare virtutes, qui nec principium à quo illa procedunt, agnoscunt, nec finem propter quem sunt operata. *Discursus contra laudes humanas.*

Absurdum est profectò, necnon, & in dementiæ partem cedit, se coram illo iudice suam velle agere causam, qui veram nullo modo potest proferre sententiam. Et quis vnquàm hominum ex sua virtute de interiori iustitia rectum poterit proferre iudicium? Cum iudicium hominum sæpe fallatur, Dei autem nunquam fallitur, vt patet de Saule in quo decepti sunt homines, Deus autem nouerat veritatem, prout scriptum est in libro regnorum. Dixit nanque Dominus ad Samuelem. Vsquequo luges Saul? cum ego proiecerim eũ ne regnet super populum meum Israel? Ecce, q̃ homo quamuis *1 Reg. 16.*

 propheta

propheta hominem quasi dignum compassione lugebat, quem à regno, & à regimine iam Dominus excludebat. Et subdit infra. Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, neque iuxta intuitum hominum ego iudico. Homo enim videt ea quæ apparent. Deus autem intuetur cor. Et similis reprobatio facta est ceterorum filiorum Iesse, vt ibidem patet. Solus autem Dauid acceptus est in conspectu Dei, & iustus inuentus est. Igitur opera nostra bona non sunt facienda in conspectu hominum, qui solum iudicant quæ foris parent, sed in conspectu Domini qui corda hominum quanta virtute polleant intuetur. Qui etiam non retribuet magnitudinem factorum sed affectuum. Exemplo viduæ ponentis duo minuta in gazophilacium, quæ in magnitudine affectionis cunctos alios munera mittentes superans, regnum cælorum emit. Quamobrem Saluator omnium Christus vtilitatibus hominum consulens, inutilia dissuadens, dicit. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Non consentit enim iustitia diuina, vt iustitia nostra, pariter diuinum præmium recipiat, & humanum. Quamuis, & multi recte ad agendam iustitiam incedentes, & bona opera operantes etiam in hoc seculo, commoda, & honores, ab hominibus acceperunt. Non ob aliam causam, nisi quia recta intentione opera iustitiæ operati sunt, & simpliciter propter Deum, nec tamen illos credimus diuina, & superna præmia perdidisse. Quoniam aliud est facere iustitiam quæ non potest occultari, prout supra dixerat Dominus. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, & aliud est operari bona, hac intentione sola, vt appareant hominibus veluti ab eis laudes recipiant. Ibi enim perdit diuinum præmium.

Ex dictis author concludit propositum.

Luc. 21.

Tria sunt opera iustitiæ.

Et nota, quòd opera iustitiæ quæ operari tenemur tantum ad Dei laudem siue in publico, siue in occulto fuerint operata, quibus etiam iustificamur distincte

assistentia

assistente gratia sunt hæc præcipue. Eleæmosyna, oratio, & ieiunium, quoniam tria à Deo recepimus bona, scilicet fortunæ corporis, & animæ. Pro bonis fortunæ possumus per eleæmosynam satisfacere, sub qua totum quod in proximorum expenditur vtilitatem annectitur. Pro bonis corporis satisfaciendum est per ieiunium sub quo quidquid pertinet ad corporis afflictionem, comprehenditur. Pro bonis animi satisfaciamus per orationem quæ quidquid Deo exhibetur, per latriæ virtutem complectitur.

Opera iustitiæ sufficienter enumerantur.

Rursus, omne quod est in mundo (inquit Ioannes) concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Tres igitur sunt peccatorum causę, scilicet concupiscentia carnis quæ exciditur per ieiunium & corporis afflictionem. Alia est concupiscentia oculorum, contra quam ordinatur eleæmosyna. Altera vero est superbia vitæ, cui opponitur oratio.

Præterea omne peccatum, vel est contra Deum, & tunc orandum est, vt tale deleatur à nobis. Vel contra nos, & tunc ieiunare tenemur. Vel contra proximum propter quod eleæmosynam damus, de qua primo dicendum est.

Cum facis eleæmosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & vicis, vt honorentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Eleæmosyna proprie dicta opus est iustitię secundum quam gratia præueniente apud Deum iustificari possumus. Illa vero qua tantum apud homines iustificamur, nec iustitia nec opus iustitiæ, propriæ appellari potest. Quia non omne id, quod secundum nomen virtutem, sonat virtus est in re, sicut nec omnia quæ secundum nomen vitiosa apparent, talia sunt in re. De eleæmosyna autem prout est opus iustitiæ, tantum ea dicenda sunt, quæ in scripturis sanctis habentur. Est igitur eleæmosyna dicto græca, & dicitur ab ἐλεέω quod est miserere, & moys quod est aqua, quasi aqua miserationis. Seu dicitur ab heloy quod est Deus, & moys aqua quasi diuina aqua. Et non immerito: Aqua enim pietatem

Eleemosyna vera. Falsa.

Eleemosyna dicitur græce quomodo.

Hier. 9. importat, iuxta illud Hieremiæ. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fonte lacrymarum? Cui fauet quod Sapiens ait. *Eccles. 3.* Ignem ardentem extinguit aqua & eleemosyna resistit peccatis. *Eleemosyna quid sit.* Est autem eleemosyna opus in quo datur aliquid indigenti, seu elargitio rei necessariæ ad releuandum indigentiam corporalem, ex compassione propter Deum. Pro qua sciendum est, quòd in eleemosynam prout est opus iustitiæ quinque sunt consideranda. Videlicet. Quis, cui, ex quibus, quando, & propter quid, fit talis eleemosyna.

Prima eleæmosynæ consideratio. In primis igitur considerandus est illæ a quo fit talis elargitio, qua siquidem virtute moueatur, quoniam eleemosyna, vt hic sumitur à Christo, non est virtus, neque habitus, neque virtutis actus elicitus, sed actus exterior imperatus. Et si quæras cuius virtutis est? Respondetur, quòd idem opus vel actus exterior potest a pluribus virtutibus imperari, imò à virtute & vitio. Et idem actus potest simul fieri a pluribus, potest simul esse virtuosus, & vitiosus. Non quidem intrinsece, & essentialiter, sed extrinseca denominatione. *Pulchrum exemplum.* Sicut si duo simul vestirent pauperem, vnus propter iactantiã, alius ex compassione propter Deum. Tunc exterius pauperis induitio esset simul virtuosa inquantum procedit ex compassione, & charitate propter Deum. *Plures virtutes inducunt ad eleæmosynã* Pariter & vitiosa, inquantum procedit ex iactantia. Sic ergo ad faciendam eleemosynam, vt sit opus virtutis, plures virtutes possunt incitare. scilicet charitas Dei, amor proximi, liberalitas, misericordia, iustitia, itaque ad plures virtutes reducitur. Si enim fit eleemosyna ex compassione proximi, ortum habet à virtute quę dicitur misericordia. *Quomodo à pluribus virtutibus oritur eleæmosyna.* Si fiat intẽtione satisfaciẽdi pro peccatis, reducitur ad iustitiam. Si autem datur eleæmosyna propter approbatam consuetudinem oritur a liberalitate. Si vero simpliciter propter deum, ortum habet à charitate. Talis igitur eleæmosyna taliter regulata & a talibus virtutibus imperata ex parte agentis meritoria est, & opus iustitiæ qua quis iustificari meretur apud Deum & interdum apud homines.

Proinde

Proinde considerandus est ille cui eleæmosyna elargitur, vt videlicet, sit indigens, iuxta illud Ioannis. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Quasi dicat, nullo modo. Indigenti ergo tantum eroganda est eleæmosyna, hoc est, ei qui corporis necessarijs caret, nec ex se, nec ex suis habere potest. Vnde elargitio munerum diuitibus facta, eleæmosyna minime dici potest. Siquis etiam indigeret aliquo vel aliquibus bonis, non pro se, sed pro alio misero cuius curam gerit, elargitio quippe talium includeretur in eleæmosyne largitione. Et siquis dicat, indigens vis malus & pessimus est, teneor ne ei eleæmosynam erogare? Respondetur iuxta illud Euangelij. Omni petenti te tribue, in casu, scilicet necessitatis. Si peccator est, qui te petit, da non vt peccatori, quia opus hominis est. Sed vt homini, quia opus Dei est. Da operi Dei, id est inquantum creatura Dei est, & ex compassione veluti proximus tuus. An mendicantibus eroganda sit eleæmosyna, dictum est in libro disputationum, circa finem.

Secunda consideratio eleæmosynæ.
1. Ioan. 3.
Cui vel quibus debetur eleæmosyna.
Luc. 6.

Tertio, considerandum est, ex quibus sit eleæmosyna, vt fiat, scilicet ex proprijs bonis, & non de rebus alienis, seu male acquisitis, ad quorum restitutionem tenetur possidens, nisi ad restituendum ex alijs bonis suis iuste acquisitis sit sufficiens. Teste Salomone qui ait. Honora dominum de substantia tua, & de primitijs omnium frugum tuarũ da pauperibus. Et alio in loco. Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata. Et subdit. Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Esaias preterea, frange, inquit, esuriẽti panem tuum, egenos, vagosque induc in domum tuam. Vbique sonat tuum vel tuarum, ad excludendum aliena. Constat etiam hoc idem ratione, quoniam non habens liberam facultatem, seu iustum dominium neque in rebus temporalibus administratiuum, non potest dare eleemosynã (extrema necessitati dumtaxat excepta) eo quòd in eleemosynam transfertur

Tertia eleæmosynæ consideratio.
Prouer. 3.
Eccl. 34.
Isa. 58.
Validissima ratio.

fertur dominum ipsius rei in medicum. Sed carens libera facultate, vel dominio, seu administratione rei nō potest transferre dominium illius rei in alterum, ergo nec dare eleæmosynam. Ex quo sequitur quòd neque religiosus, neque vxor, neque filius familias, imò nec ipsa familia, seu conuentus potest dare eleæmosynas de rebus suæ fidei non commissis, sine consensu præsidentis, mariti, seu patrisfamilias, expresso vel præsumpto. Quia religiosus nullius rei habet dominum, neque vxor, nisi de rebus communibus. Quare, &c.

Qui non possunt dare eleæmosynam.

Quarta consideratio eleæmosynæ.

Quarto considerandum est tempus quo sub præcepto danda est eleemosyna. Et tunc dicitur quòd tantum tempore necessitatis pauperibus eroganda est eleæmosyna. Et necdum extrema necessitate iam imminente, sed etiam existentibus probabilibus extremæ necessitatis futuræ de proximis signis, tenetur quilibet extra talem necessitatem constitutus, habens, & potens, patienti subuenire ex diuino præcepto eleæmosynam erogare. Sicut Ioannes clare ostendit, cum dicit. Qui habuerit substantiam huius mundi, &c. Item pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti. Dominus quoque sententiam æternæ damnationis in extremo iudicio daturus est contra nō erogantes pauperibus eleæmosynas saltem in casu necessitatis. Dare vero eleæmosynam extra tempus magnæ indigentiæ personis miseris, & indigentibus de superfluis vtriusque necessitatis, tam conseruandæ vitæ, q̄ status decentiæ, opus est cōsilij, & magni meriti, & ex proximum diligere ex præcepto charitatis.

1. Ioan. 3.

Eleæmosyna, interdum de præcepto interdum de consilio.

Quinta consideratio eleæmosynæ.

Quinto, considerandus est. Finis, qui duplex est scilicet quo, & propter quid. Finis quo est propter compassionem miseriæ fratris nostri. Datur namque eleæmosyna ad releuandam indigentiam corporalem proximi, & non propter aliam retributionem rependendam ei tori, & nec propter stipendium, siue mercedem, alioquin omne tributum datum regibus, & principibus esset eleæmosyna. Pariter, & omne pretium laboris quo quis laborat pro vitæ suæ, ac status sustentatione eleæmosyna diceretur. Propter quod sequitur, quòd prælati

ac curati, necnon concionatores accipientes nonnulla officiorum suorum emolumenta eleæmosynam proprie non recipiunt. Minusque appellari debent simoniaci, si pro eorum labore mercedis aliquid petunt: Quoniam debitum est obligato ad officium recipere beneficium. Sicut ait Apostolus. Quis militat suis stipendijs vnquam? Et subdit infra. Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt. Et qui altari deseruiunt, cum altari participant. Dominus quoque ordinauit his qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Et illæ idem Euangelizantibus ait, Edentes, & bibentes, quæ apud eos sunt. Dignus est enim operarius cibo, & mercede sua.

Conclusio correlatiua pro curatis, & concionatoribus.

1. Cor. 9.

Matth. 10.

Luc. 10.

Alius finis est propter quid, vt perficiatur eleæmosyna. Debet nanque fieri simpliciter, & vltimate propter Deum, vt sit meritoria, & sibi grata. Prohibet itaq; dominus in his tribus partibus iustitie. s. eleæmosyna, oratione, & ieiunio vanam gloriam, quæri, sed tantum propter seipsum fieri, quoniam hæc tria præcipue consueuit inanis gloria comitari Ait ergo Christus. Cum facis eleæmosynam corporalem vel spiritualem, noli ante te turba canere, sicut faciunt hypocritæ .i. noli eam facere in manifestationem, & propter velle innotescere, vt glorieris in laude tua. Sicut illæ apertam dat signum, qui turba canit. Non est.n. ingrata Deo eleæmosina quæ videtur, sed quę ideo fit, vt videatur. Et quoniã tales sedulo quærunt honorem vanum, & transitoriũ, quamobrem verum, & æternũ amittunt propter quod sequitur. Amen dico bonis, receperunt mercedem suã .s. gloriam humanam quam quærebant pro dono eleæmosynæ. Sed inde pœna expectatur pro mala intentione. Sic enim faciunt hypocritæ. Ideo subdit.

Finis vltimus eleæmosynæ, Deus.

Intelligentia verborum Christi vera.

Te autem faciente eleæmosynas, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleæmosyna tua in abscondito. & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Septem sunt corporalis eleæmosinæ partes, scilicet pascere esuriẽtem, potare sitientem, vestire nudum, colligere hospitem, visitare infirmum, redimere captiuũ, sepelire mortuum.

tuum. Et dicuntur opera miſericordiæ quæ non abſolute, & ex ſimplici eccleſiæ auctoritate ponuntur, ſed ex diuinis ſcripturis eliciuntur.

Pars prima eleæmoſynæ. *Thob. 4.* *Matth. 25.*

Prima eſt cibare eſurientem, de qua Thobias. Panem tuum cum egenis, & eſurientibus comede. Talibus namque paſcentibus pauperes, dic, & Chriſtus in die iudicij. Venite benedicti patris mei, poſſidete vobis paratum regnum ab origine mundi. Et illæ idem alibi ait. Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque diuites, ne forte, & ipſi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Sed cum facis conuiuium, voca pauperes debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.

Luc. 14.

Pars ſecunda. *Prouer. 25* *Rom. 12.* *Matth. 10.*

Secunda eſt potare ſitientem, iuxta illud Sapientis. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, da ei aquã bibere. Apoſtolus quoque, Cum ſitit, potum da illi. Cui fauet id, quod Saluator ait. Qui potum dederit vni ex minimis iſtis etiam calicem aquæ frigidæ tantum in nomine Diſcipuli, Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.

Pars tertia *Luc. 3.* *Eſa. 58.*

Tertia eſt veſtire nudum, de qua dominus in Euangelio. Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti. Eſaias inſuper. Si videris nudum, cooperi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.

Pars quarta. *Eſa. 58.* *Gene. 18.*

Quarta eſt colligere, Hoſpites, ſicut Eſaias teſtatur dicens. Egenos, vagoſque induc in domum tuam. In qua etiam commendatur Abraham, qui recepit in domum ſuam Angelos, imò ipſum dominum in perſona Angelorum, cum putaret ſe recipere peregrinos.

Pars quinta. *Eccleſ. 7* *Iac. 5.*

Quinta eſt viſitare infirmum ad quam viſitationem nos Sapiens hortatur dicens. Non te pigeat viſitare infirmum. ex hoc enim in dilectione firmaberis. Cui arridet Apoſtolus Iacobus dicens. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.

Pars ſextæ

Sexta eſt redimere captiuos, ſoluendo pro eis debita ipſorum,

ipsorum, vt verificetur illud Apostoli. Nam, & vinctis compassi estis. Item defendendo impotentes, & paupe res ab opprimentibus eos, quemadmodum sapiens ait. Libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi. *Heb. 10.* *Eccl. 4.*

Septima est sepelire mortuos, quod est quoddam bo num propter esse quod habent in memorijs hominum, quia reputantur infelices, si insepulti maneant. Tum propter affectum quem viuentes habuerunt, vt vi delicet post mortem, eorum corpora sepelientur. Et id eo multi homines in vita hac de causa soliciti sunt ædi ficare sibi sepulchra. Amici etiam ex quadam pietate, & generali et omnes homines ex quodam amore, qui competit eis propter humanam speciem. Bonum est insuper, & omni laude dignum sepelire mortuos, maximæ quia sepulchra præstant quandam memoriam defunctorum, vt fideles moueantur ad orandum pro eis. Vnde sepulchra dicuntur monumenta, à monendo quia monent nos, & instruunt, in memoriamque redu cunt. Quamobrem in ecclesia vel iuxta eam fideles sepeliuntur, vt cum cæteri fideles viuentes conuenerint, visis monumentis orent pro eis. Est igitur laudabile opus sepelire mortuos, quod in operibus misericordiæ computatur. Laudatur nanque Thobias, quia circa mortuos sepeliendos solicite vigilabat. Cui angelus dixit. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationes tuas domino. Simon Machabæus fuit etiam laude dignus, quia instruxit sepulchra pulcherrima patri, & matri, & fratribus. Ioseph proinde valde commendatur, eo quòd patrem suum Iacob cum magno honore de Ægy pto defunctum detulit in terram Chanaam ad sepeliendum. Iudæi quoque, id est principes sacerdotum, scribæ, & Pharisæi licet in cæteris male egerunt, hoc tamen bene egerunt, quòd de pecunijs quas Iudas sibi retulit, emerunt agrum in sepulchrum peregrinorum.

Pars septima.

Quo laudabile est, & bonum sepelire mortuos.

Thob. 12.

1. Mach. 13

Gen. 50.

Matth. 27

Sufficientia etiam istorum operum, sic facile sumi potest, quoniam eleemosyna corporalis datur ad reuelan

dam indigentiam corporis. Indiget autem corpus humanum aliquo vt coniunctum animæ, & aliquo vt separatum. Vt coniunctum, adhuc indiget aliquo ad remouendum interiorem, vel exteriorem defectum. Interiorem, vel propter improportionem qualitatum primarum, ex qua prouenit infirmitas, contra quam ordinatur infirmorum visitatio. Intelligitur autem per visitationem non solum præsens exhibitio corporis visitantis, sed consolatio infirmi, qua pro posse remoueatur infirmitas. Vel propter restaurationem radicalis humidi consumpti. Hæc autem fit per sumptionem cibi vel potus contra quam mandat Dominus cibare esurientem, & potare sitientem. Indiget insuper corpus humanum aliquo contra defectum ab extrinseco venientem, & hoc vel a remotis, vt sunt caumata, imbres, pluuie, vel niue, vel corpori adiacētia, vt frigus, vel nuditas. Contra primum ordinat hospitalitas, contra secundum indumentū corporis. Vel ad restitutionē amissę libertatis, ad quam ordinatur redemptio captiuorum. Contra vero defectum corporis separati ordinatur sepultura, siquidem non separatur corpus ab anima, nisi per mortem. Mortuis autem debetur sepultura. ideo &c.

Sufficientia omniū eleemosynarū partium.

De partibus spiritualis eleæmosinæ.

Septē partē spiritualis eleemosynæ

TOtidem sunt spiritualis eleæmosynæ partes distinctæ & variæ secundum varietatem spiritualium defectuum. Prima est, docere ignorantem contra defectum intellectus speculatiui. Secunda, consulere dubitanti, contra defectum intellectus practici. Tertia, consolari tristem, aduersus spiritualem tristitiam. Quarta, corrigere peccantem, contra in ordinatam ipsius voluntatem. Quinta, remittere offendenti, contra offensam nobis illatam. Sexta, supportare oneroso & graues, iuxta illud Apostoli. Debemus nos firmiores, infirmitates aliorum portare. Septima, pro omnibus orare, vt Deus remittat proximis peccata sua, &c.

Rom. 15

His ergo sic declaratis, dicit Saluator. Te autem faciente eleæmosynam, id est te faciente aliquod vnum opus de septem partibus spiritualis vel corporalis eleemosynæ, cum quodlibet tale sit opus misericordiæ, & propriæ dicatur eleæmosyna siue imminente pauperis necessitate siue non, nesciat sinistra tua, id est intentio tua peruersa, quid faciat dextera tua, hoc est intentio sancta. Per sinistram nanque appetitionem & delectationem laudis humanæ, vel commodi terreni intelligit Christus. Dextera vero intentio, est implendi præcepta diuina, seu amor Dei, & cœlestis patriæ. Est ergo Christi verborum sensus. Non se misceat intentio alicuius prauitatis, seu vanæ laudis, vel vitium aliquod, dum præcepta Dei implere satagis. Nescire enim est in abscondito fieri. Ideo subdit. Vt sit eleæmosyna tua in abscondito, potius secundum rationem intentioni, quā secundum rationem operationis. Sit in abscondito, & secreto mentis, id est in ipsa bona conscientia quæ humanis oculis demōstrari minime potest sufficit tibi ad promerendum præmium, vt qui solus conscientiæ inspector est, te videat. Et hoc est quod subditur. Et pater tuus, scilicet Deus qui est pater omnium per creationē & iustorum per gratiæ adoptionem qui videt te in abscondito, quoniam ipsæ solus intuetur cor, & cordis intentionem videt. Reddet tibi, quia retribuet bonis secūdum bonam cordis intentionem hominibus vero absconditam, & occultam. Et si non in præsenti, saltem in futuro æternam felicitatem.

Quid per dexterā, vel sinistrā intelligitur.

Deus in abscōdito quō videt.

In omni itaque opere nostro nesciat sinistra quid faciat dextera. Nesciat sensus, quid faciat intellectus. Nesciat intentio mala, quid faciat intentio bona. Nesciat gloria mundi quid faciat gloria Dei. Qui enim propter gloriam mundi dat, cum sinistra dat. Qui ob gloriam Dei, dextera sua donat. Nesciat malus, quid faciat bonus. Nesciat proximus, quid faciat alter, si non amore laudis humanæ, sed amore Dei & iustitiæ id agamus. Et ideo ex verbis Christi sic concludendum est. Quòd siue in synagogis, siue in vicis, seu ędibus, aut priuatis

Multiplex dextera.

Multiplex sinistra.

Epilogus dictorum.

priuatis ſacellis, aut in plateis eleæmoſynam, vel aliquod aliud opus bonum quis faciat, in abſcondito facere dicitur quicunque hoc faciens non ab hominibus, ſed à ſolo Deo videri deſiderat. Qui vero eleæmoſynam in abſcondito loco facit, & videri cupiens, laudem ex hoc, & gloriam quærit, non in abſcondito quidem facit, quoniam abſconditum non vult eſſe id, quod facit. Ideo tantum valet, ac ſi in publico fieret.

De magnis eleæmoſynarum beneficijs.

Quinque præclariſſima beneficia, & bona perutilia tam animæ, quam corpori eliciuntur ex eleęmoſyna bene circumſtantionata, prout in diuerſis ſcripturarum locis habetur, tam veteris quàm nouæ legis. Primum beneficium, & ſingulare bonum animæ vtile valde eſt, quòd eleæmoſyna ſatisfacit pro peccatis. Sicut euidenter patet per illud Saluatoris, dicentis. Date eleæmoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Thobias quoque eleæmoſynam hortabatur filium ſuum, dicens. Ex ſubſtantia tua fac eleæmoſynam. Et noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniam eleæmoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleæmoſyna omnibus facientibus eam. Et alibi: Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleæmoſyna, magis, quàm theſauros auri recondere, quoniam eleæmoſyna a morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccato, & facit inuenire vitam æternam. Daniel inſuper dixit Nabuchodonoſor regi. Peccata tua eleæmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Sapiens proinde facienti eleæmoſynam

Primũ eleemoſynarũ beneficium.

Luc. 11.

Thob. 4.

Thob. 12

Dan. 4.

mosynam, sicut in sereno glacies soluentur peccata tua. Et infra: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleæmosyna resistit peccatis. Eccl.3.

Secundum beneficium est, quòd propter eleæmosynam multiplicantur bona, tam temporalia, quàm spiritualia, teste Saluatore. Date, & dabitur vobis. Et alio in loco: Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Præterea, Salomon ait: Honora Dominum de substantia tua, & de primicijs omnium frugũ tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & uino torcularia redundabunt. Rursus ille idem hanc auream concludit sententiam. Alij diuidunt propria, & diuites fiunt, alij rapiunt aliena, & semper in egestate sunt. Ideo subdit infra: Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Vicissitudinem suam reddet ei. Et adhuc infra: Qui dat pauperi non indigebit, qui autem despicit deprecantem, sustinebit penuriam. Exemplum etiam habemus illius viduæ de Serapta Sydoniorum tempore Helyæ Prophetæ, cuius bona propter eleæmosynã, & misericordiam suam, multiplicata sunt.

Secundum eleæmosynarũ bonũ. Luc.6. 19. Prouerb.3. Prouer. 11. Prouer. 19 Prouer.28. 3. Reg. 16.

Tertium beneficium valde vtile, quod consequitur homo ex eleæmosyna, est liberatio ab omni malo tam temporali, quàm æterno. Dicente Psalmista: Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Et alibi: Iocundus homo qui miseretur, & commodat, quia in æternum non cõmouebitur. Cui fallet quod Salomon ait: Munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam. Proinde: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipsæ clamabit, & non exaudietur. Propterea illæ idem alibi ait: Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua gradiatur in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam. Et rursus: Conclude eleæmosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te, & liberabit te ab omni malo.

Tertium eleæmosynarum vtilia. Psal.40. & 111. Prouer.11 Prouer.21 Eccl. 7. Ecclef. 29

Quartum beneficium, est illuminatio mentis, & corporis. Illuminantur nanque homines à Deo, propter

4. eleæmosynarũ bonũ.

eleæmosynarum opera. Patet prima de Cornelio Centurione, qui cum esset gentilis, & operibus misericordiæ, & pariter, & eleæmosynis resisteret, misit Deus Angelum suum, dicentem ei. Orationes tuæ, & eleæmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Vade igitur ad Simonem Petrum, & dicet tibi, quid te oporteat facere. Patet secundo de Thobia qui ob eleæmosynarum elargitionem meruit illuminari ab Angelo. Patet tertio, de duobus Discipulis euntibus in Emaus, qui ob pietatem, & misericordiã, erga peregrinum Christũ, aperti fuerunt oculi eorũ, & agnouerunt eum.

Act. 10. *Thob. 11.* *Luc. 14.*

Quintum eleæmosynarum bonum.

Quintum ex eleæmosina beneficium est, maximum præmium in cœlo. Scriptum est enim misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum. Et dominus in Euangelio. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebitis thesaurum in cœlo. Et infra, ille idem ait. Venite benedicti patris mei, possidete vobis paratum Regnum ab origine Mundi, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Enumerando opera misericordiæ, & omnes eleæmosynarum partes. Præterea, in Euangelio Lucæ inquit Saluator. Vendite quæ possidetis, & date eleæmosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt & thesaurum non deficientem in cœlis, & paulopost. Cum facis conuiuium, voca pauperes, & debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur. n. tibi, in resurrectione iustorum Et infra subdit. Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, &c. Ex his habes candide lector, quę & quæ bona ex eleemosina oriuntur, dummodo illa in abscondito fiat, & simpliciter propter Deum vt de huiuscemodi bonis acquirendis, te certiorem faciat.

Eccle. 17. *Matth. 19.* *Matth. 25.* *Luc. 12.* *Luc. 14.* *Luc. 16.*

De singularibus eleæmosynarum laudibus.

ELeæmosyna ceteras satisfactionis partes antecedit quia est magis satisfactoria, ideo his omnibus est dign...

dignior. Ipſa nanque orationem, & ieiunium continet, & amplectitur. De oratione patet, quia eleæmoſyna conſtituit eum cui datur debitorem ad orandum, & ieiunandum, & alia opera bona facienda pro eo à quo recepit, & ſpecialiter ad orandum. Secundo, quia eleęmoſina data propter Deum eſt quaſi oblatio quędam Deo facta iuxta illud Philoſophi. Dona habẽt aliquid ſimile Deo ſacrata. Oblatio autem Deo facta vim habet orationis. itaque eleæmoſyna orationem complectitur. De ieiunio patet, inquantum eleæmoſyna reſpicit bona exteriora quæ per ipſam diſtribuuntur, & quæ pertinent ad conſeruationem corporis. Subtractio autem bonorum exteriorum, eſt quædam hominis afflictio. Quia quemadmodum ieiunando, homo corpus ſuum macerat, & affligit, ita etiam dando bona exteriora per quæ corpus conſeruatur, eſt macerare, affligere, & caſtigare corpus. Quare eleæmoſyna quoddam ieiunium eſt. Igitur eleæmoſyna oratione, & ieiunio excellentior eſt, quia vtrunque ſimul continet, & complectitur. Oratio tamen aliquo modo videtur excellentior eleæmoſyna, propter quandam familiaritatem quam habet homo cum Deo in orando, quæ non eſt in eleæmoſyna. At ipſa adhuc excedit in hoc, quia qui pro ſe orat, vnus eſt, eleæmoſyna autem multos conſtituit oratores. Igitur. Oratio præterea excedit ieiunium, & continet ipſum. Eſt enim oratio quoddam ieiunium, cum in ieiunio nihil ſit, niſi quędam corporis maceratio. Oratio autem id facit, quia ipſa eleuat mentem in Deum, & per hoc cauſat quandam corporis debilitatem. Anima nanque eleuata in Deum, non poteſt perfecte vacare operationibus naturalibus, quibus vegetatur corpus, ideo neceſſario maceratur, & affligitur. Exemplo illorum qui magnas ſolicitudines gerunt, & eorum qui ſpeculatiui ſunt, & ſedulo vacant ſtudijs, qui macerantur in corpore, quorum etiam vita breuior efficitur. Sed vltra id, oratio habet quandam eleuationem animi in Deum per quam homo accedit ad quandam Dei

Eleæmoſyna orationem complectitur.

Ariſt. 4. Ethic.

Eleæmoſyna quomodo ieiuniũ continet.

Oratio potior eſt ieiunio.

Oratio macerat corpus.

familiaritatem, quæ non habetur per ieiunium.

Ex dictis auctor cōcludit propositum. Ex his manifeste constat, quòd eleæmosyna habet vim satisfaciendi, abundantius, quàm oratio, & ieiuniū. Et oratio, magis, quàm ieiunium. Quamobrem cum de satisfactione in sacris literis agitur, magis fit mentio de eleæmosyna, quàm de alijs. Quam Apostolus vocat *Philipp. 4* hostiam acceptam Deo in odorem suauem placentem Deo.

Et cum oratis, non eritis, sicut hippocrytæ qui amant in Synagogis, & in angulis plateарum stantes orare, vt videantur ab hominibus, Amen dico vobis, receperunt mercedē suā. Duplicem esse orationem non tantum ecclesiæ scriptores, sed & sacræ omnes testantur scripturæ, publicam videlicet, & priuatam. *Quid sit oratio publica.* Oratio publica est, quæ à ministris ecclesiæ fit in templo Domini coràm populo ad Dei laudem, quæ occultæ, & in abscondito fieri debet quantum ad orantis intentionem, vt simpliciter fiat propter Deum, & non coràm hominibus ob vanam gloriam acquirendam. Sed exclusa quacunque humana laude tantum in Deum dirigatur propter populi vtilitatem. Veruntamen cum sit oratio publica, in loco communi & publico fieri debet, scilicet in ecclesia coram populo cum pro tota Christicolarum communitate offeratur. Quare populus in ecclesia adunatus, ad orandū & ad diuina audiendum in hoc conformare se debet ecclesiæ ministris ipsum Deum deprecando pro se, & pro alijs secundùm modum congruum, & sibi possibilem. Id autem fieri minime posset, nisi prædicta ministrorum ecclesiæ oratio fieret in publico prædicto modo. *Contra recentiores hæreticos.* Quamobrem rationabiliter statuit ecclesia, vt ministri eius huiusmodi orationes etiam alta voce pronuncient, vt ad omnium notitiam valeant peruenire, & cum melodia cantus perficiantur, ut patet ex communi ecclesiæ ritu, etiam in veteri testamento obseruato. *Cantus psalmorum quō prodest in ecclesia.* Nam cantus in laudem Dei factus cum intellectu, & aduertentia eorum quæ cantantur animos cantantium exhilarat simul, & audientium. Effugat quippe accidiam, quæ, teste Gregorio, est quædam tristitia *Gregor.*

ca bonam

ca bonam ſpiritualia,& diuina,quæ pro tunc, imminét facienda. Itaque Iacobus ait: Triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo,aut pſallat. Vbi gloſa. Crebra pſalmodia dulcedine nociuam triſtitiam depellat. Et Propheta in Pſalmo: Exultabunt labia mea cum cantauero tibi. Id eſt,ita repleor interno gaudio cum cantauero tibi, quòd in labijs meis foris apparet abundantia gaudij interioris. Cantus etiam ad Dei laudem ordinatus oblectat animum, & ad maiorem excitat deuotionem. Ad quem Dauid multoties non inuitat,dicens: Cantate Domino omnis terra,cantate Domino, & benedicite nomini eius. Item: Cantate, & exultate, & pſallite. Item: Miſericordiam,& iudicium cantabo tibi. Auguſtinus præterea vberrime flebat in hymnis, & canticis Eccleſiæ ſuauiter cantatis,quia voces illę influebant in aures eius, & eliquebatur veritas in corde. Proficit etiam cantus attentioni, dum animus diutius moratur circa ſententiam verborum, quæ cantantur. Ex his luce clarius conſtat eccleſiam ſaluberrimæ inſtituiſſe publicas orationes cum cantu exerceri, dum illud agatur deuote,honeſte, & ordinate. Reſecatis nimium curioſis ſecularibus,& laſciuis,fractiſque modulationibus,quæ magis animi diſtractionem, & vanam auditus delectationem operantur, quàm deuotionis excitationem. Et ſi quæras quæ ſit hæc publica oratio quæ in publico loco cum melodia cantus, & pro republica offertur,Reſpondetur,quòd eſt vna ſola in genere obiectiuo. Multæ autem ſunt in ſpecie, vt, Septem horæ Canonicæ, Miſſæ, Pſalmi, Hymni, Cantica, & alia id genus. Necnon & precationes ſanctorum Patrum illuſtrium virorum,& mulierum vtriuſque teſtamenti. Euangelia quoque, Prophetiæ, & Epiſtolæ Apoſtolorum, & Prophetarum, quibus miniſtri Eccleſiæ orant Deum pro Eccleſia Sanctorum, necnon & pro Eccleſia malignantium, vt reſipiſcat, & fideliter viuat, qui etiam ſæpiſſime exaudiuntur iuxta ſermonem Domini,dicentis: Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, vt locuſtæ deuorent terram, & miſero

Iacob. 5.

Pſal. 70.

Pſal. 95. 97.& 100.

Auguſt.

Laudatur cantus in eccleſia contra Lutheranorũ fautores.

Quæſtio.

Reſponſio.

Orationes eccleſiæ cões

2. Paral. 7 pestilentiam in populum meum, conuersus autem populus ad orationem, & deprecatus me fuerit, &c. Et subdit infra. Ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. De hac quoque publica oratione quæ fit in templo domini loquitur Esaias, & Dominus in Euangelio dicens. Domus mea, *Isa. 56.* *Matth. 21.* domus orationis vocabitur, vos autem, &c.

Oratio q̃d sit. Alia est oratio priuata quæ in secreto loco, potius autem in abscondito cordis, & in secreto quo ad Deum fieri debet, duplici de causa. Prima causa est, quoniam oratio est desiderium tendens in Deum, seu eleuatio mentis in ipsum, qua petitur aliquid à Deo. Mens vero humana magis meliusque eleuatur in Deum, cum in secreto loco homo constituitur, & à tumultibus aliorum separatur. Alia causa est ad vanam, scilicet gloriam euitandam quæ facile insurgit quando oratio in publico fit, scilicet ad manifestationem. Sicut faciunt *Contra hippocrytas, et simulatores* hippocrytæ, qui non cupiunt exaudiri, sed videri. Et hoc est quod Saluator ait. Cum oratis non eritis sicut hippocrytæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare. Et signanter dicit stantes, vt magis appareant ex modo se habendi. In synagogis, ex ratione loci, quia synagoga est locus communis vbi conueniebant Iudæi ad audiendum verbum Dei. Et dicitur à σὺν, quod est con, & γένις, quod est populus quasi congregatio populi. Et in angulis platearum, plateæ istæ dicebantur atria, quæ erant prope templum, vbi conueniebant, & homines properabant ad orandum, & audiendum verbum Dei. Itaque locus ille communis erat. Ex his igitur argumentum habes, quod vana gloria est mortale crimen, ideo summoperæ fugienda. Quam qui in eorum operibus sequuntur, receperunt mercedem suam, scilicet humanam laudem, & tandem pœnam æternam pro mortali crimine recepturi. Et quale præmium da ur hippocrytis, & simulatoribus qui non orant, sed orare simulant, vt laudentur ab hominibus. Verum autem modum orandi docet nos Dominus cum subdit.

Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. Putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sex sunt in omni priuata, & singulari oratione consideranda valde necessaria, vt oratio exaudiatur à deo. Videlicet, Substātia, Vbi, Quando, Quantitas, Qualitas, Relatio. Quæ tangit Christus partim hic, partim vero in alijs Euangeliorum locis, quibus oratio assimilatur Aquilæ, de qua scribitur. Aquila grandis magnarum alarum longo mēbrorum ductu plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri. Aquila tempore suo renouatur iuxta illud, renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. Sic orans, vt reconcilietur Deo, debet per pœnitentiam renouari, sicut ait Apostolus. Renouamini spiritu mentis vestræ. Aquila nidificat in Petris, Sic orans, in abscondito orare tenetur. Aquila, in mane respicit Solem, sic orator in mane orat Deum. Aquila est magnæ quantitatis, quia grandis. Et longa membrorum ductu sic oratio debet esse perseuerans. Aquila est magnarum alarum, sic oratio habet duas alas, fidem, scilicet, & humilitatem, quibus volat ad cœlum. Aquila inter aues, sola fortiter Solem intuetur, sic orans respicit Deum, cui dirigitur oratio. Aquila venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, sic oratio penetrat cœlos ascendens vsque ad thronum Dei, & comedit medullam cedri, gratiam, scilicet in præsenti, & gloriam in futuro. Aquila liberalissima est, sic orator propter suam indigentiam, & Dei liberalitatem orat. Hæc enim sunt duo quæ mouent hominem præcipue ad orandum, scilicet indigentia propria, ac Dei summa liberalitas.

Ezec. 17. *Psal. 102.* *Ephes. 4.*

Oratio quō assimilatur aquilæ.

Primo igitur considerandа est substantia, quæ cum sit duplex, prima, scilicet, & secunda, sic duplex est substantia orationis, secunda videlicet, & prima. Secunda substantia est species ipsius orationis, quæ licet sit multiplex, quemadmodum varię, & diuersę sunt orationes,

Prima orationis conditio.

attamen vera species orationis est ipsa Dominicalis oratio, de qua alibi dictum est. Prima vera substantia orationis est persona induidualis orans. Pro qua sciendu est, quòd tres sunt oratores in cœlo, tres in inferno, & tres in terra. Primus orator in cœlo est Christus Saluator noster, secundùm naturam humanam, qui assidue orat pro nobis, sicut ait Apostolus: Iesus sempiternu habet sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, ad interpellandum pro nobis. Et Ioãnes in prima Canon. inquit. Aduocatum habemus apud Patrem dominum nostrum Iesum Christum. Secundus orator in cœlo, est Angelus, qui orauit pro populo Iudaico, dicens: Domine exercituum vsquequo tu non misereberis Hierusalem & vrbium Iuda quibus iratus es, &c. Tertius orator in cœlo est, quilibet Sanctus, qui vt membrum Christi orat pro nobis, orante capite. Et præcipue cum erga nos maiorem habeat charitatem. In Inferno etiam id est in inferiori parte terræ, tres sunt oratores, quorum primus est diabolus, qui orat Deum contra nos, pro vindicta, & pro pœnis infligendis. Vt patet de Iob, pro quo diabolus rogauit Deum, vt percuteretur in bonis corporis, & fortunę. Damnati, secundo, orant, vt liquet de diuite epulone, qui orauit Abraham pro fratribus vt non venirent in locum tormentorum, sed nunquam exaudiuntur. Tertio, existentes in Purgatorio, orant. Deum laudant, vt alibi satis dictum est. In terra denique sunt personæ orantes, quæ in triplici se habent differentia (vt ad primum propositum redeamus.) Quidam enim sunt personæ, quæ orant, seu pro illis alii orare faciunt, & nunquam exaudiuntur. Vt sunt peccatores obstinati, qui diutius in malis perseuerant. Hi nanque orant Dominum, sed non exaudiuntur. De quibus Ioannes. Scimus quoniam Deus peccatores non exaudit. Et Dominus per Esaiam: Cum multiplicaueritis orationes, non exaudiã vos, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Et rursus Esaias: Peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, vt non exaudiret.

Substantia orationis duplex. *Tres oratores in cœlo.* *Hebr. 7.* *1. Ioan. 2.* *Zach. 1.* *Tres oratores in Inferno.* *Iob 2.* *Luc. 16.* *Tres oratores in terra* *Ioan. 3.* *Isa. 1. 59.*

diret. Præterea Hieremias nomine totius populi aiebat. Nos inique egimus, & ad iracundiam te prouocauimus, ideo inexorabilis factus es. Et infra, inquit Dominus ad eum. Tu quoque noli orare pro populo isto, *Hier. 3. 7.*
neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, quia non exaudiam te. Et rurſus illæ idem ait. Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima ad populum illum. *Hier. 15.*
Sapiens quoque in prouerbijs ait: Longe eſt Dominus ab impijs, & orationes iuſtorum exaudiet. Et infra: Qui declinat aurem, ne audiat legem oratio eius erit execrabilis. *Prouer. 15 & 28.*
Ecce qualiter ſcripturarum teſtimonijs euidenter conſtat, quòd oratio impiorum non exauditur. Et licet nonnunquam impij exaudiantur, exaudit tamen eos Dominus in maiorem eorum pœnam, & punitionem, vt patet de filijs Iſraël petentibus carnes in Deſerto, quos Deus exaudiuit in eorum interitum. *Num. 11.*
De quibus Pſalmiſta: Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit Deus. Et paulopoſt: Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eas. *Pſal. 77.*
Aliæ ſunt perſonæ orantes, quæ fuerunt ſine mortali crimine in tota vita, quarum oratio eſt potentiſſima. Tales nunque ſæpiſſime, maximaque cum facilitate exaudiuntur. Qualis fuit oratio Moyſi, qui orauit Dominum, vt plagas ab Aegypto auerteret, & exaudiuit eum Dominus. Diuiſit etiam mare rubrũ *Exo. 8. 15*
oratione ſua & in bello quod habuerunt filij Iſraël contra Amalech, plus fecit Moyſes orando, quàm Ioſue pugnando. Necnon & veniam obtinuit à Domino, qui voluit delere adorantes vitulum. *Exo. 17.*
Quoties igitur orauit, toties fuit exauditus à Deo. Talis etiam fuit oratio Ioſue qui oratione ſua firmauit Solem contra Gabaonitas per plures horas. *Exod. 31.*
Sic Samuel dixit ad populum. Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem pro vobis orare. Hoc autem dixerat, ſciens quòd ferè ſemper exaudiebatur à Deo. *Ioſ. 10* *1. Reg. 12.*
Helias quoque oratione ſua impetrauit, vt ignis de cœlo deſcenderet, & voraret holocauſtum, & ligna, & lapides. *3. Reg. 18.*
Inde obtinuit pluuiam, remota ſterilitate, quam prius orando impetrauerat. Sic pariter

riter dicendum est de oratione aliorum sanctorum patrum, ac mulierum, vtriusque testamenti.

Aliæ proinde sunt personæ orantes, quæ licet fuerint peccatrices, attamen ad Dominum conuersæ, diuina protegente gratia, timent Dominum, humiliantur, agunt pęnitentiam. Et multa de genere bonorum efficiunt, quæ in suis necessitatibus orant Deum, sæpe exaudiuntur. Sicut Latro qui in cruce conuersus orauit Dominum, & exauditur fuit. Pariter & Magdalena, & quamplurimi alij peccatores. Decet igitur orantem qui vult exaudiri, esse prius contritum de peccato, vt ex iniusto efficiatur iustus, & ex inimico, amicus. Nullus quippe inimicus Dei meretur exaudiri ab ipso, nisi prius reconcilietur ei. Odio est enim Deo impius, & impietas eius.

De secunda orationis conditione, cum aliis duabus annexis.

Sec̃da oratio nis conditio. *Sensus literalis.*

SEcundo, considerandus est locus vbi oratio prius fieri debet. Quem locum docet nos Dominus dicens. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuũ, id est in locum secretum, & clauso ostio ne verba multitudo eleuationem mentis impediens, & auertens te à proposito, ora patrem tuum cœlestem in abscondito, & pater tuus cuius honorem debes intendere, videt te in abscondito, reddet tibi fructum, scilicet orationis in aperto. Sed vt veriorem sensum fateat, & magis Christi intentioni fauet dicendum est, quòd orare volentibus salubre dat Christus consilium, vt intrent in cubiculum. i. in cordis secretum, & claudant ostium scilicet carnales sensus per quos exteriora impedimenta ingerunt, & turbæ phantasmatũ orantibus obstrepunt. Vt sic etiam clauso ostio mentis, & collectis animæ viribus, oratio spiritualis fiat in intimis cordis. & sic dirigatur ad Deum feruentius, vbi oratur pater in abscondito. Quoniam absconditum cubiculum, scilicet

Sensus spiritualis verborum Christi.

eſt profecto cordis intentio. Quantum enim homo contemnit quod eſt extra ſe, tantum poteſt recolligere intra ſe. Et quantum ſe recolligi intra ſe, tantum poteſt ſupra ſe ad orationem,& ad Dei contemplationem aſcendere. Quare &c. *Abſconditũ cubiculum quid.*

Tertio, conſiderandum eſt tempus in quo orare tenemur. Tunc dicendum eſt,quòd licet in omni tempore poſſit oratio dirigi ad Deum,vti iubet Christus nos ſemper orare & nunquam deficere,id eſt omnia ad Dei honorem operari,& nunquam deficere,id eſt in aliquo opere quin illud ſit factum ad Dei gloriam & honorem. Attamen eſt aliquod tempus opportunum & valde habile ad orationem, ſicut eſt, mane, veſpere,& nocte. Exemplo Christi qui valde diluculo ſurgens egreſſus abijt in deſertum locum,ibi quæ orabat. Et Pſalmiſta. Mane exaudies vocem meam. Et alibi. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Mane ſiquidem tempus aptiſſimum eſt ad orationem in quo ieiuno ſtomacho ſemotis quibuſcunque fumoſitatibus aſcendentibus ad caput ſpiritus animales exercent operationes ſuas. Mens quoque magis eleuatur ad Deum, omnesq. vires magis diſpoſitæ ad contemplationem, &c. Chriſtus etiam veſpere orabat,ſicut ſcribitur in Euangelio. Qui dimiſſa turba aſcendit in montem orare, veſpere autem facto, ſolus erat ibi. Lucas inſuper ait. Factum eſt autem in illis diebus exijt Chriſtus in montem orare,& erat pernoctans in oratione Dei. Proinde,nocte ante paſſionem ſuam orauit patrem in monte oliuarum. Itaque Iob clamat. Si diluculo conſurrexeris ad Deum,ſtatim euigilabit ad te. *Tertia cõditio orationis. Luc. 18. Quid ſemp orare. Marc. 1. Pſal. 5. Pſal. 118. Mane, tps aptum ad orandum. Matth. 12. Luc. 6. Matth. 26. Iob 8.*

Quarto, conſideranda eſt quantitas orationis, quæ quidem quantitas attenditur penes tria, ſcilicet penes quãtitatem temporis,quantitatem continuã ipſius orationis,necnon & quantitatem diſcretã eiuſdem: Quantum ad quantitatem tpis, dicendum eſt quòd orans ſi cupit exaudiri,debet perſeueranter orare,exẽplo Chananeæ quæ in petitione perſeuerans,meruit exaudiri. Quam quidem perſeuerãtiam docet nos Dñs,dicens. *Quarta orationis cõditio. Matth. 15.*

Siquis

Luc.21. Si quis vestrum habebit amicum,& ibit ad illum media nocte,& dicet illi. Amice accommoda mihi tres panes. Et subdit infra. Etsi ille perseuerauerit pulsans dico vobis,quòd si non dabit eo,quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget,& dabit illi. Et paulo post addit: Petite,& dabitur vobis: quærite,& inuenietis: pulsate,& aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit,inuenit,& pulsanti, scilicet, perseueranter aperietur. Præterea Iacobus ait: Multum enim valet deprecatio iusti assidua. Helyas homo erat similis nobis passibilis, & orauit oratione, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum Iudith insuper docebat populum suum perseueranter orare, dicens. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in orationibus, & ieiunijs in conspectu Domini. Proinde Apostolus: Semper gaudete, siue intermissione orate in omnibus gratias agite, &c.

Oratio debet esse perseuerans

Iacob 5.

Iudith 4.

Thess. 5

Quantum vero ad quantitatem continuam ipsius orationis,dicẽdum est,prout insinuat Dominus, quòd oratio debet esse breuis in sermone, longa vero, & diffusa,ac prolixior in sententia. Ait enim orantes autem nolite multum loqui sicut æthnici faciunt .i. Gentiles qui putãt in multiloquio suo exaudiri,& ita verbis suis flectere arbitrantur Deum,sicut orator iudicem secularem. Nolite assimilari eis Scit enim Pater vester cœlestis quid opus sit vobis,antequam petatis,quoniam audit præparationem cordis singulorum, & hoc addit ad excludendum illorum Gentilium falsum intellectum Putabant nanque per orationem,& deprecationem nostram aliquid de nouo notificari Deo quod prius ignorauerit. Id autem est expresse falsum, cum omnia sciat ab æterno. Sed hic aduertendum est, quòd non prohibe Dominus in oratione multiplicationem verborum simpliciter & absolute, licet dicat Sapiens. Pauci sint sermones tui coram Deo. Quia & ipse pernoctauit in

Oratio debet esse breuis.

Eccl.5.

oratio

oratione,& factus in angonia, prolixius orabat. Sed prohibet ne multiloquio vtamur in oratione, eo fine, & ea intentione, quibus vtebantur Gentiles idolatræ, qui triplici de cauſa oratione vocali in multiloquio facta vtebantur. Prima, quia orabant dæmones qui neſcirent quid illi peterent, niſi verbis,& ſignis exterioribus inſtructi eſſent. Secreta enim cordis humani penetrare non valent. Secunda, quia putabant dæmonibus quaſi hominibus verbis perſuaſibilibus & multis, perſuadendum eſſe,& ſic eos ad miſerandum prouocari. Tertia, quia dæmones quos orabant, quandoque abſentes eſſe arbitrabantur, & quòd per talem orationem reuocari poſſent. Sed quoniam ista ſunt per ſe mala, & veritati diſſona, ideo ab oratione fidelium remouenda. Deus enim omnia videt,& cordis ſecreta principaliter intuetur, quare non vocalem, ſed potius mentalem cordis orationem deſuper aſpicit. Vt patet de Moyſe qui orabat ad mare pro tranſitu populi, nec mouebantur labia eius, cui tamen Dominus. Quid clamas ad me? Deſiderium ſi quidem Moyſi erat clamor in auribus Dei. Pariter & de Anna dicitur, quòd loquebatur in corde ſuo, & labia eius tantum mouebantur, & vox eius non audiebatur. Meruit tamen ſua mentali oratione exaudiri à Deo. Sed forte dicet quiſpiam, ad quid vtimur oratione vocali, ſi ſufficit mentalis oratio? Reſpondetur, quòd tribus de cauſis vtimur oratione vocali. Primo, vt obſequium oris, ſicut cordis & operis Deo impendamus. Triplex enim ſacrificium Deo debemus, ſcilicet, ſacrificium cordis, oris,& operis. Secundo, vt ad memoriam reuocemus quid petere debemus, & vt ipſa vocalis oratio, pigritiam noſtram excitet. Quia ſi homo ſemper in ſilentio oraret, facile obdormiret et oblitus quid peteret. Tertio, vt vocali oratione proximus inſtruatur, & ad conſimile opus incitetur, &c.

Cur idolatræ vtebantur prolixa oratione

Oratio debet eſſe mentalis.

Exod. 14.

3. Reg. 1.

Quæſtio. Reſponſio. Cur vtimur oratione vocali.

Quantum vero ad quantitatem diſcretam orationis, dicendum eſt, quòd toties oportet orare, quoties bonis indigemus. Quilibet tamen Chriſti fidelis ſaltem ſemel in die orare tenetur, ſpeciali autem modo diebus feſti-

Potētior est mētalis oratio, quàm vocalis. festiuis, & Deo gratias agere de beneficijs acceptis. Si-quis autem quæ rat quę nam oratio vtilior est, mentalis an vocalis, dicitur, quòd absque vlla animi ambiguitate, potentior ac vtilior est oratio mentalis ipsa vocali oratione, quæ sine mentali, recte fieri nequit. Ait.n. Dominus per Esaiam. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum, longe est à me. Inde Apostolus ait. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo, & mente psallam spiritu, psallam, & mente, & Dominus in Euangelio. Deus spiritus est, in spiritu, & veritate oportet adorare, pariter, & orare. Quamobrem Magdalena non orat verbis; sed tantum corde, ex cuius compunctione lacrymatur, & meruit audire. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, &c.

Isa. 29. Matth. 15. 1. Cor. 14. Ioan. 4. Luc. 7.

De quinta, & sexta orationis conditione.

Quinta orationis conditio. QVinto, consideranda est qualitas quæ est propria orationis forma, qua formaliter est grata Deo, & exauditu digna. Quæ quidem qualitas attenditur penes duo. s. fidem, & humilitatem, quæ sunt duæ alæ ascensius orationis, quibus veluti Aquila oratio in altum conscendit, iuxta illud psalmi. Ascendit super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum. Quantum igitur ad illam primam qualitatem, & formam orationis quæ dicitur fides dicendum est, ꝙ diffidentia & incredulitas plurimum vetant quo minus exaudiamur. Quisquis enim diu orat Dominum neque se credit impetraturum, tandem frustra petit. Ait enim Iacobus. Siquis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui.n hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circunfertur Quare cum maxima fiducia semper orandum est. Pręclare nanque nobis promisit Dominus sedaturum quidquid in nomine suo petierimus

Iacob 1.

Oranti necessaria fides.

sed cum ipse sit via, veritas, & vita, qui nec decipi, nec quenquam decipere valet. Igitur verba eius vtique verissima sunt. Ait enim ipse Dominus in Euangelio. Siquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Qui paulo ante dixerat, Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Et rursus: Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis. Item? Dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & venient vobis. Et quid plura dicam? Nonne, & ille idem, huius ait? Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Quia omnis qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Et infra: Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed, & si dixeritis monti huic tolle, & iacta te in mare, fiet. Præterea cuidam petenti à domino liberationem filij sui a dæmonio, & dicenti, siquid potes adiuua nos, respondit dominus. vi potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Vbi Hieronymus. Fides cum lachrymis optata vota capit. Adeamus igitur cum fiducia; vt ad monet nos Apostolus, ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Ioã. 16. 14 *Matth. 21.* *Marc. 11.* *Matth. 7* *Matth. 11* *Marc. 9.* *Hieron.* *Heb. 4.*

Quantum vero ad secundam qualitatem, & formam orationis quæ dicitur humilitas, dicendum est, quod maxima cum humilitate orãdum est. Flectitur quippe Deus ad humilium orationem, secus ad superborum deprecationem, vt patet de Pharisæo, & publicano. Pharisæus namque superbe orabat dicens. Gratias tibi ago domine, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Sed ob ipsius superbiam, non meruit audiri. Publicanus autem a longe stans, nolebat oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. Vnde meruit iustificari. Huius etiam humilitatis exemplum habemus in Centurione qui dicit. Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Leprosus insuper, orando aiebat.

Humilitas plurimum confert orãtu. *Luc. 18.* *Matth. 8.*

Domine

Luc. 5. Domine si vis, potes me mundare. De ipsa quoque humilitate in oratione seruãda, inquit Iudith. Humilium *Iudith 9.* semper, & mansuetorum tibi placuit deprecatio. Sapiẽs *Eccl. 35.* quoque. Oratio humiliantis se, penetrat cœlos. Dauid *Psal. 34. & 101* insuper. Humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea, in sinu meo conuertetur. Et rursus: Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. Sed aduerte, quòd hæc humilitas non tantum seruatur in mente, verumetiam in gestibus corporis, qui quidem gestus personam plurimum incitant ad humilitatem, & deuotionem, &c.

Sexta orationis conditio. Sexto, consideranda est relatio, cui, scilicet, oratio fieri debet. Et tunc dicitur, quòd prout insinuat Dominus, oratio dirigenda est principaliter ad Deum, à quo omne bonum gratiæ, & gloriæ. Ait enim, Ora patrem tuum in abscondito, & non dixit Angelos, vel Sanctos. Et pater tuus qui vidit te in abscondito, reddet tibi. Omnes quippe Sancti, tam veteris, quàm nouæ legis in eorum necessitatibus Deum præcipuæ orauerunt. Tum maxime Regalis Propheta, ait: Domine Deus *Psal. 7. 9. 15. & 24* meus in te speraui. Et infra: Miserere mei Domine, vide humilitatem meam. Item: Conserua me Domine, quoniam speraui in te. Et rursus: Ad te Domine leuaui animam meam. Præterea, Thobias ad Tobiam iuniorem inquit. Omni tempore benedic Deum *Thob. 4.* & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Et Sapiens: Non impediaris *Eccl. 18.* orare Deum semper, quoniam merces Dei manet in æternum. De orationibus vero Sanctorum, qualiter ipsi orant pro nobis in cœlis, quos etiam inuocare tenemur, satis dictum est in libro Disputationum. Quicunque quis igitur, his sex conditionibus orationis seruatis orauerit, proculdubio exaudietur à Deo in necessitatibus suis.

Pulchra difficultas. Sed dicet quispiam. Multi orant Deum, etiam existentes in gratia, loco, & tempore, in fide, & humilitate ac perseueranter, minime tamen exaudiuntur à Deo: veluti qui tribulantur, & clamant vt eruantur, nec tamen ab e-

ab eis liberantur. Respondet Augustinus. Tu tantum tene vias eius, & quando tribularis, audit te, supple, & si non ad voluntatem dando petitum, tamen ad vtilitatem, & sicut magis expedit ad finem orationis, qui esse debet salus tua, & gloria Dei. Et hoc idem declarat per duo exempla, subdens. *Responsio August.*

Quia Deus medicus est, ideo adhuc secat scindendo vulnus, & non tollit manum, nisi secuerit, & quantum ei videtur expedire infirmo. Etenim medicus ille crudelis est, qui exaudit clamantem hominem, & parcit vulneri in periculum vitæ. *Primum exemplum.*

Rursus: Matres quando fricant in balneis pueros ad salutem, nonne paruuli clamant inter manus earum? Ille ergo crudeles sunt vt non exaudiant lacrymas infantium? Absit, Nonne potius plene sunt pietate, & tamen clamant pueri, & non parcitur eis, sic & Deus noster plenus est pietate paterna, sed ideo videtur hic non exaudire vt sanet, vt & parcat in perpetuum, vnde scribitur in Psal. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, &c. Et sequitur August. Ille qui tulit de flamma tres pueros, nunquid tulit de martyrio septem Machabæos? Nonne illi in ignibus hymnizant illæsi? Illi vero martyrio expirabant, Deus trium puerorum, nonne ipse est & Machabæorum? Illos eruit, illos non eruit, sed tres pueros sic eruit, vt carnales confunderentur, Machabæos autem non sic eruit vt illi qui persequebantur, in pœnas irent grauiores cum se putabant Dei martyres oppressisse, Martyres tamen plane liberati sunt, quando ad cœlorum Regna sunt perducti. Clamor enim iustorum, non solum ad temporalem, sed maxime ad æternam vtilitatem semper à Domino exauditur. De magnis orationis fructibus dictum est alibi. *Secundum exemplum.* *August.*

SABBATO POST CINERES, super Euangelijs Matthæi, & Marci.

CVm sero esset factum, erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis. Et circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem super mare, putauerunt fantasma esse, & exclamauerunt. Omnes enim eum viderunt, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis & dixit illis. Confidite ego sum, nolite timere. Et ascendit ad illos in nauem, & cessauit ventus. Et plus magis intra se stupebant. Non enim intellexerant de panibus. Erat enim cor eorum obcæcatum.

Matth. 14 Luc. 6.

Narrat Euangelista Matthæus Christum dimissa turba in montem ascendisse causa orandi, quia aliorum præsentia sæpenumero impedit feruorem & orationis instantiam. Locus autem sublimis proficit ad excitandum mentis feruorem, in orando, laudando, & Deum contemplando. Sicut prælatus, & quilibet concionator ac doctor Dominici gregis, semper cum tempori opportunitas extat, ad locum secretum redire debet, solus cum solo Domino occupetur, & ab eo illuminetur. Nauicula autem in qua Discipuli erant in medio maris, id est stagno, fluctibus iactabatur orta tempestate in aqua. Erat enim contrarius ventus nauigationi eorum, nec poterant facile remigrare. Ex quo palam insinuatur quòd carentes præsenti Christi, varijs periculis subiacent, eiusque interna consolatione absente, diuersę afflictiones, tentationum que tempestates oriuntur in animo. Ideo Iob ad Dominum clamabat dicens. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me? Quarta autem vigilia noctis, id est tribus partibus noctis iam lapsis & vltima parte eius instante vel inchoata. Solebãt enim milites tempore bellij exercitum custodientes in quatuor partes diuidere noctem. Quatenus in qualibet parte vna pars mili-

Iob 17.

Diuisio noctis in quatuor partes

vigilaret ad cuſtodiendum exercitum. Circa quartam igitur vigiliam noctis, venit Ieſus ad eos ambulans ſupra mare, & volebat preterire eos, eo modo ſicut poſt reſurrectionem ſuam ambulans cum duobus Diſcipulis ſuis euntibus in Emaus finxit ſe longius irę, velut Marcus teſtator. Ieſus ſtans in terra vidit Diſcipulos laborantes in remigando. Et tamen non ſtatim, ſed circa finem noctis venit ad eos, qui tota nocte periclitabantur. Ad deſignandum, quòd ſæpe permittit electos ſuos ad tempus affligi vt a criminibus purgentur & Chriſti fauorem vel præſentiam inuocando amplio ri gratia & gloria decorentur. Et videntes eum ſupra mare ambulantem turbati ſunt propter rem prorſus inſolitam, dicentes quia fantaſma eſt, id eſt apparentia rei non exiſtentis. Et forte verebantur ne ſpiritus malignus extaret in ſpecie Chriſti. Et præ timore clamauerunt, diuinam protectionem inuocando, quia timebant à Dæmone illudi, & nocumentum incurrere. Statimque Ieſus locutus eſt eis dicens. Confidite, ego ſum, nolite timere. Tria enim dixit ad eorum ſecuritatem. Primo, confidite, quia hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Inde ſubdit, quia ego ſum. Non quidem ſpiritus vel fantaſma, ſed Chriſtus verus Deus & homo, & Meſſias in lege promiſſus. Igitur nolite timere, quia vos in nauiculam aſcendere feci, ego mare turbaui, mittens ventos de theſauris meis. Deinde impetrauit ventis & mari, & aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus, & plus magis intra ſe ſtupebant. Et non eſt mirum. In omnibus enim inueniuntur Diſcipuli Chriſti vſque ad Spiritus ſancti emiſſionem ſatis imperfecti & rudes, propter q̃ Saluator apud Marcum ait. Quia obcęcatum fuit cor eorum, tenebris ignorantię offuſcatũ, inde ſubdit Euangeliſta.

Et cum transfretaſſent peruenerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. Cumq; egreſſi eſſent de naui, continuo cognouerunt eum. Et percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui ſe male habebant circunferre, vbi audiebant eum eſſe, & quocunque introibat in

vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum salui fiebant.

Cum igitur transfretassent, id est, vltra mare istud nauigassent Iesus, & Discipuli eius, venerunt in terram Genesareth. Et cum cognouissent eum viri loci illius, vel ex sola fama quia famosus erat, vel ex aspectu, vel vt potius tenendum est, quoniam Iesus iam semel fuit in regione illa, in qua duos à dæmonibus liberauit, qui ingressi in porcos præcipitauerunt eos in mare. Quod quidem factum omnibus terræ illius innotuit. Miserunt in vniuersam regionem illam, colligentes & adducentes ad Iesum omnes infirmos, sicut subiungetur. Et obtulerunt ei omnes male habentes. Ex consideratione enim prædicti miraculi, & aliorum signorum quæ a Christo fuerant operata, firmiter crediderunt ipsum posse quoscunque infirmos curare. Et rogabant eum infirmi, vel alij pro illis, vt fimbriam vestimenti eius tangerent ad pristinam sanitatem recuperandam. Se reputantes indignos, eius corpus tangere, nec oportere illud contingere, sed sufficere extremæ partis vestis ipsius tactum, propter suæ sanctitatis excellentiam quibus Christus libenter assensit. Et quicunque tetigerunt fimbriam, salui facti sunt ab incommodo mentis quoque & corporis languore. Virtus nempe exhibat de eo, & redundans in corpus seque diffundens per vestem, sanabat omnes. Et licet hæc fuerint singularissima miracula, nonnulli tamen Petrum maiora fecisse signa fatentur, Christo dicente. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipsæ faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. In hoc autem asserunt Petrum maiora fecisse miracula. Si quidem in plateis (vt in Actis scribitur Apostolorum) eiciebant infirmos, vt saltim veniente Petro vmbra illius obumbraret quenqaam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Nec obstat quòd hoc loco recitat Marcus. Quocunque introibant in vicos, vel in villas, aut in ciuitates, in plateis ponebant infir-

Ioan. 14.

Act. 5.

Quò maiora fuerunt miracula Petri, quā Christi.

infirmos, quoniam Euangelista non ait aliquem languidorum sola obumbratione corporis Christi fuisse sanatum, sed tactu.

Sed mysticæ loquendo, nauis est ecclesia, iuxta illud. Facta est quasi nauis institoris. In principio stricta, quia pauper, & in vnum collecta. Erat enim omnium credentium cor vnum, & anima vna. In medio autem fuit lata ad honores, diuitias, & lites. Sed in fine erit stricta, cum fiet vnum ouile, & vnus pastor. Nauis inferius est clausa ad dignitates, & honores. At desuper aperta, dicente Apostolo: Nostra autem conuersatio in cœlis est. Rursus: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Ecclesia igitur ad instar nauis debet habere superiorem partem apertam, vt magis sit apta non terrænorum, sed contemplationibus cœlestium, iuxta illud Apostoli: Nemo militans Deo implicet se negocijs secularibus. Hac naui per pelagum huius mundi ad portum ducimur. Clauus est fides quæ nauem regit. Remi sunt opera bona. Nauclerus est Christus, cui soli fidere debemus. Tabulæ sunt diuinæ scripturæ. Omnia enim quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Mare est mundus, de quo Psalmista: Hoc mare magnum, & spaciosum manibus. Ideo saluum me fac Domine, quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Mare quippe periculosum, vt qui enauigat mare, enarret pericula eius. Mare est etiam cor impij, quia feruet curarum, & fluctuat æstu. Iesus autem erat solus in terra, quia solus proprijs meritis intrauit semel in sancta. Iactatur nauis, quia continuo venti inuoluunt mare, magnaque surgunt æquora. Ita in terris turbatur Ecclesia. Venti flantes, Dæmones sunt bona opera impedire volentes. Ecce, inquit Daniel, quatuor venti pugnabant in mari magno. Primus ventus est spes longæ vitæ, honorum, & diuitiarum. Secundus, timor moriendi. Tertius, gaudium bonorum præsentium. Quartus, dolor malorum existentium. Discipuli Christi, sunt fideles laborantes

Nauis, quæ figurat ecclesiam.

Philip. 3
Gollossen. 3.

2. Thim. 2.

Dan. 7.

in ecclesia eius. Sine me inquit, nihil potestis facere. Vidit eos qui omnia intuetur, qui omnibus est præsens. Omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius. Erat tunc ventus vallidus, quia ipse producit ventos de thesauris suis, & conturbat profunda maris. Periculum oritur à metu ventorum, metus autem à diffidentia. Sed in quarta vigilia venit ad eos Christus. Nam prima vigilia Apostolorum est. Secunda Martyrum. Tertia Confessorum. Quarta hæc est. Contra primam ventus Iudæorum. Contra secundam, ventus tyrannorum. Contra tertiam, ventus hæreticorum. Contra quartam omnes spiritus immundi. Sed Christus clamat, confidite, quia hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Confidite, quia sancti per fidem vicerunt regna. Confidite, quia sine fide impossibile est placere Deo. Loquitur enim eis, vt per vocem cognoscant quem per noctis caliginem agnoscere non poterant. Confidite, non in vobis, non in diuitijs, non in principibus, quia non possumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Nam cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus. Et qui confidit cordi suo, & in diuitijs suis, corruet. Rursus. Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum, in quibus non est salus. Confidite in domino, quia qui confidit in domino glorietur. Iterum. Qui confidit in domino sicut mons Syon non commouebitur in æternum, &c. Potest igitur hic fieri concio de ecclesia. & de multiplici ipsius acceptione & de illius auctoritate, & sanctitate, vt Tomo primo diffuse, scilicet libro disputationem habetur. Dicturi etiam sumus de eadem vniuersali ecclesia Tomo sexto, quomodo, scilicet errare non potest, & supremum tribunal.

Concio de Ecclesia & de ipsius auctoritate.

DOMINICA I. QVADRAGES.

De Christiana Militia, Exordium.

MVlti his temporibus considerantes altitudines cœlorum,& planetarum magnitudinem, pulchritudinem, ac ipsarum virtutes, deinde elementorum vtilitatem,dulcedinem fructuum,consolationes,dignitates, ordines, gradus, imperia, regna, dominationes, magistratus innumeros, venationes, diuitias, honores vestium preciositates, ceteras quoque corporis, ac animi voluptates, dixerunt mundum istum,esse amœnissimum paradisum, alij cernentes tribulationes innumeras,aduersitates,perturbationes, instabilitates,mutationes,dolores,calamitates,infirmitates,pœnas,mortem, & alia id malorum genu , mundum istum esse Purgatorium, vel potius Infernum ingenue fatebantur, alij vero animaduertentes bella circa homines,litigia, rixas inter animalia rationalia, & irrationalia pugnas,& contentiones aduersus carnem, & spiritum,contra Diabolum,& mundum erga homines malos, & viros probos dixerunt hunc mundum esse militię stadium. At quoniam geminam esse pugnam, seu militiam asserimus, alteram corporalem, alteram spiritualem non de prima, sed de secunda in præsenti dicturi sumus de qua scribitur. Militia est vita hominis super terram,&c.

Cum ciuitas aliqua obsessa fuerit ab inimicis ac bellicosis armis, diuersisque machinis circumuallata vt se immunem custodiat, protegat, & tueatur, quinque sunt sibi præcipue necessaria. Primo, vt milites fortes,robustos honor fideque habeat armatos,qui artem militarem singulariter profiteantur. Secundo vt inuiolabilem fidem domino ciuitatis seruare omnino polliceantur,ne timore mortis aut pecuniarum amore moueantur ad fidem, seu fidelitatem frangendam. Tertio,vt milites velint viriliter,& imperterrito animo prœliari libenter,inimicisque fortiter resistere. Quarto,

vt summa diligentia, & vigilantia die, noctuque ciuitatem custodire nitantur ne incaute, & ex obrupto ciuitas caperetur ab inimicis, quia nō est prudentis dicere. Non putabam. Quinto, vt necessaria non deficiant alimenta, sufficiens quoque & debitum stipendium militibus assignetur, & detur. Quis enim, inquit Apostolus, militat suis stipendijs vnquam? quinimò & pro victoria consecuta maius præmium consequantur, ita ciuitas animæ nostræ vt se custodiat, & protegat contra dæmones inimicos, qui eam inuadere quærunt, vt eam perdant in gehennam, dicente Apostolo: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates tenebrarum harum, &c. Quinque obseruare tenetur.

Paulus. *Ephes. 6*

Primo, vt homo tanquam Christi miles sit fortissimis armis indutus, de quibus idem Apostolus ait: Induite vos armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare: state ergo succincti lumbos vestros in veritate induti loricam iustitiæ, &c. Decet igitur quemlibet Christi militem, Primo lumbos armatos habere per veram castitatem, dicente Domino: Sint lumbi vestri precincti. Secundo, pectus per excellentem iustitiam, de qua idem Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, &c. Tertio, pedes, per custodiam Euāgelij pacis, iuxta illud Isaiæ: Beati pedes euangelizantes pacem annunciantis bona, prædicantis salutem. Quarto, brachium sinistrum, per scutum fidei, quia (vt inquit Apostolus) sine fide impossibile est placere Deo. Quinto, caput per galeam salutis, id est pacis. Non est enim pax impijs, dicit Dominus, sed hominibus bonæ voluntatis. Sexto, brachium dextrum, per gladium, quod est verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus nostris, &c.

Paulus. *Paulus*

Secundo, oportet militem Christi illam obseruare quam promisit in baptismate fidem, abrenunciare, scilicet, diabolo, & pompis eius. Vnum Deum colere, summo amore diligere, & venerari, illique soli cordis puritate seruire ipso dicente: Esto fidelis vsque ad mortem,

tem, & dabo tibi coronam vitæ.

Tertio, vt velit libenter prœliari, & pugnam aggredi contra diabolum, mundum, & carnem, inimicisque fortiter resistere, quoniam, vt dictum est, militia est vita hominis super terram, & non coronabitur nisi qui legitimæ certauerit, ideo Petrus in Epistola Canon. Fratres sobrij estote, & vigilate in orationibus, quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit quęrens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. *Petrus in Epist. Can.*

Quarto, decet militem Christianum semper esse paratum, sedulo, vigilando, & orando, iuxta illud Saluatoris, Vigilate, & orate, quia nescitis diem, neque horam, Scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam: Ita & vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet, &c.

Quinto, vt sumpto cibo spiritualis alimoniæ, qui roborat, & fortificat, post longum certamen consecuta victoria speret incomprensibile præmium, ac mercedem æternam non corruptibilem coronam, sed incorruptã, quemadmodum Apostolus de se loquitur, dicens: Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, ideo reposita est mihi corona iustitię. Et Dominus in Apocalypsi: Vincẽti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Item: Vincenti dabo nomen meum, & manna absconditum, &c. Et in fine concludit qui vicerit non delebo nomen eius de libro vitæ. Siquidem Patres omnes, tam veteris, quam nouæ legis, post lungam certaminis pugnam etiam magnam consecuti sunt retributionem, Christus igitur velut primus capitaneus noster, vt nos ad pugnam inuitaret contra diabolum pugnaturus desertum petijt, vt hic Matthæus testatur Euangelista, dicens. *Tunc Iesus ductus est à spiritu in Desertum.* Tunc .i. statim Iesus post baptismatis susceptionem, & aquarum sanctificationem, necnon mox vt audiuit vocem Patris intonantis, Hic est Filius meus dilectus, &c. Ductus est. quia omne quod mouetur ab altero mouetur, vel ducit. Duo enim sunt Motores, vnus extrin *Paulus.* *Apoc. 2. & 21.* *Duplex motor.*

Thob. 5. extrinsecus, qui diuiditur in motorem vniuersalem, qui Deus est. Et in particularem, qui particulariter, & extrinsecæ mouet, sicut Angelus qui Thobiæ dixit. Ego ducam, & reducam filium tuum sanum ad te. Et ita quilibet, qui curā gerit alterius. Alius est Motor intrinsecus, qui est humana voluntas, seu forma substantialis, quæ cum sit natura est primum principium intrinsecum mouendi, & quiescendi. Ductus ergo fuit Iesus primo à sua propria voluntate tanquam a Motore intrinseco, & à Spiritu sancto, velut ab extrinseco ductore, qui nos ad omnia bona mouet.

Spūs multiplex in scripturis. Sed nota, quòd nomen spiritus, multipliciter sumitur in scripturis. Primo, pro ventis, qui proper nimiam subtilitatem, & agilitatem, spiritus appellantur, iuxta illud Saluatoris dicentis ad Nicodemum, *Ioan. 3.* Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat aut quo vadat, &c. Secundo pro aere propinquissimo, per quem homo spirat, & respirat, seu pro anhelitu vel flatu, teste Psalmista. *Psal. 118.* Os meum aperui, & attraxi spiritum. Tertio, interdum accipitur spiritus pro anima rationali, iuxta illud Ioannis. *Ioan. 19.* Iesus autem inclinato capite tradidit spiritum. Et alibi. *Luc. 23.* Pater, in manus tuas commendo spiritum meum id est, animam. Quarto, pro spiritibus immundis, de quibus Christus. *Matth. 12.* Cum immundus spiritus exierit ab homine, &c. Quinto, pro angelis, dicente Apostolo. *Heb. 1.* Qui facis Angelos tuos spiritus. Angelus enim proprie spiritus appellatur. Sexto, pro deo, quia deus spiritus est, vt inquit Ioannes. *Ioan. 4.* Septimo, hoc nomen spiritus etiam in scripturis accipitur pro tertia persona in diuinis, quæ dicitur spiritus paracletus id est, consolator. Et ita capitur in proposito.

Ductus ergo fuit Iesus à Spiritu sancto in desertum. Christus autor supernæ gloriæ, moralis vitæ dux atque magister relinquens hominibus loca deserta petit, quasi etiam desertum acceptum Adam delectabilem paradisum, in quo quandiu desertus mansit, cum sola, atque Angelorum societate, nunquam peccauit. Vbi vero humana societas affuit, inde præsens fuit serpens, quæ

deliqui

deliquit. Similiter Anan filius Sebæon cum pasceret asinas patris sui in deserto, inuenit aquas calidas, quæ calidas lacrymas Deo acceptas præfigurabant. Moyses quoque cum ingrederetur ad interiora deserti vidit Dominum in rubo, velut ignem inflãmantem. Propter quod consolationem accepit in animo. Noticiam habuit diuinorum, & reuelationem secretorum dei. Desertus enim locus diuinis est oraculis aptus, vbi non assistunt stolidi laudatores. qui suis laudibus bona nostra dispergant. Quamobrem populum dei voluit Moyses de mandato dei explicari ab Aegyptiaca seruitute vt iret in desertum, & sacrificaret ei in solitudinem sacrificium laudis, quia sacrificium est Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum. Hoc enim acceptabile sacrificium quærit Deus à nobis in solitudine. Quia non fit hoc sacrificium in multitudine pecorum, & multorum hominum societate. Quis enim putat quòd Deus voluerit populum suum derelinquere Aegyptum vt iret in desertum ad sacrificandum vitulos, vel arietes, cum scriptum sit, non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, aut alia bestiarum genera? Nisi pro tanto vt sacrificia illa verum sacrificium Christi figurant. Neque manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo. Ac si Dominus per Prophetam dicat aperte. Non sunt illa sacrificia quæ requiro. Iam enim Dauid intendebat in nouam vitam, & eximium sacrificium cognoscebat. Subdit. n. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et paulo post secutus adiunxit. Sacrificium laudis honorificabit me. Laudis vero sacrificium est ipsa gratiarum actio, de beneficijs acceptis. Laudis sacrificium est in aduersitatibus & prosperitatibus laudare Dominum. Dicebat insuper Dauid. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Vt si patiar, si affligar, si maledicar, si reprobus habear, si omnia mundi mala contra me conflentur in vnum, semper laus eius in ore, & in corde meo. Si mihi adsint

Gen. 36.

Quid sit sacrificiũ qđ q̃rit deus à nobis.

Quid sacrificiũ laudis

fiat prospera cuncta, & omnia bona mihi eueniant, semper laus eius in animo, in corde, & in ore meo, &c.

Cur Xp̃s desertum petijt. Volens igitur Christus verus Deus, & homo, Dominus, & Sacerdos, sacrificare semetipsum Deo in sacrificium laudis pro humani generis salute desertū petijt, mœroribus, & orationibus aptum. Vbi Christus habuit pugnas habuit, & victorias. Bonum igitur est desertum. Habet enim Serpentes innumeros, morsibus mortem inferentes. Sed Serpentem habet æneum solo aspectu sanantes patientes. Habet amaras aquas, habet quod dulcorat. Habet aduersa, habet & propitia. Non est ergo mirum si Christus desertum petijt. Vbi est ergo populus Dei? In Deserto. Vbi Helias? Vbi Helyſæus? Vbi filij Prophetarum? Vbi Ioannes Baptista? Omnes in Deserto sacrificauerunt Deo sacrificium laudis. Sed quid faciebat Rex Regum, & dominus dominantium, factus incola in Deserto, humana consolatione priuatus? Non tamen Angelorum carebat consortio. Carebat tugurio, carebat lectulo, nec non cibo, & potu. Desertus si quidem locus vitam secretam habet, sed sine abundantia rerum. Pauper ibi accessus, pauper ibi morabatur, nec ibi aliquando igne calefactus est. Hiems nanque tempus frigoribus aptum erat, eo quòd à quinta Ianuarij die vsque ad quartamdecimam Februarij in Deserto fuerit moratus. Veniant igitur Mundi Reges, Principes, & Domini Temporales contemplentur omnium Regem à brutis animalibus sociatum, & humana dignitate pallentem. Quid faciebat hic singularis homo? Singulariter viuens, singulariter degens. Non enim portauerat codices, thesauris sapientiæ plenus. Contemplabatur incessanter, erat mens insuspensæ fixa cœlo. Plorabat interdum, cum bestijs dormiebat, cum quibus forte ludebat. Quid enim faciebat? Orabat alidue, die, noctuque, & pro salute omnium Deum precabatur. Quam quidem salutem toto corde, & animo intendebat. Alia etiam de causa desertum petijt (quod est inter Hierusalem, & Hierico) vt daret locū diabolo, daretque

Quid faciebat Christ⁹ in deserto.

Cur etiam Christus desertū petijt

daretque etiam ei occasionem temptandi, quia diabolus contra Christum ire non poterat, ideo Christus processit contra ipsum. Quare subdit Euangelista: *Vt tentaretur à diabolo.* Tentare est probare, seu experientiam, vel experimentum sumere de aliqua re, vt aliquid sciatur. Est autem tentatio experimenti sumptio de eo, quod tentatur, an sciat, an possit, vel velit. Et vt in scripturis habetur, tentatio quattuor generibus personarum congruit, videlicet, Deo, Homini, Diabolo, Carni, Diuersimode autem. Temptat enim Deus, vt erudiat. Proba me Deus (inquit Psalmista) & tenta me. Tentat homo, vt sciat, diabolus, vt seducat. Tentat caro, vt homo seipsum agnoscat. Deus enim tentat non vt aliquid quasi de nouo scire possit, cum sciat omnia antequam fiant, sed ut causet notitiam in illo quem tentat. Vel ut alios scire faciat id, quod prius ignorabant. Et hoc modo Deus tentauit Abraham, propter cuius obedientiam, subdit. Nunc cognoui quòd timeas Dominum, id est cognoscere te feci, seu alios scire volui te Dominum timere. Et ita semper Deus tentando probat, & approbat, vel probatum ostendit. Necnon & hominem seipsum experimentaliter cognoscere facit. Tentauit ergo Deus Abraham, vt probaret fidem eius. Quemadmodum etiam in lege scribitur. Tentat vos dominus Deus vester, ut palam fiat, vtrum diligatis eum, an non toto corde, & tota anima vestra. Rursus: Tentauit illos Deus, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit eos. Sic Deus tentauit populum suum, quando pluit eis manna de cœlo, an in lege sua ambularet, an non. Et vt ostenderet eis cor ipsorum, ducens eos per desertum. Proinde, dereliquit Dominus Ezechiam vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius, quando venerunt ad eum nuncij Regis Babylonis. Illo modo Deus tentauit Iob, qui propter grauissimas afflictiones quas passus est, aiebat. Probauit me Deus, quasi aurum quod per ignẽ transit. Simili modo, cum Thobias esset tentatus à Deo per oculorum excæcationem, dixit ei Angelus. Quoniam acce-

Quattuor personis cõgruit tentatio.

Qũo Deus tentat.

Deut. 13.

Sapien. 3.

Exod. 16.

Deut. 8

Paral. 32

Iob. 23.

Thob. 12.

acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Fuit etiam tentatus, vt patientiæ posteris daretur exemplum. Nimirum hoc tentationis genere, fuerunt tentati omnes patres veteris testaměti, Vt Helias, Dauid, Ionas, & alij q plures. Volens etiam Christus Petrum tentare, iussit eum venire ad se super aquas. In quibus eum aliqualiter mergi permisit. Dixit insuper Philippo, tentans eum. Vnde ememus panes vt manducent hi? Patet igitur ex his qualiter Deus tentat, & tětando pbat, seu approbatũ ostendit. Cuius tentatio, est semper bona.

Matth. 14. *Ioan. 6*

Secundo, tentat homo interdum se, vt experimentum habeat de seipso. Sicut de Dauide dicitur: Qui cœpit tentare, si armatus posset incedere, an non. Aliquando homo alterum hominem tentat, vt aliquid de nouo sciat, vel de aliquo experimentum capiat. Sicut Regina Saba venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & tentare eum in enigmatibus. Sæpenumero homines Dominum tentant, qui quasi incerti, experiri volunt Dei potentiam & virtutem. Quemadmodum filij Israël multoties tentauerunt Deum in deserto, super quibus malum accidit. Superati etiam in bello à Philystæis, dixerunt. Quare percussit nos Deus coram Philysthijm? Item, tentant Deum Israëlitæ petentes aquam, & dicentes. Est ne Dominus in nobis, an non? Vnde decies tentauerunt Deum in solitudine. Rursus; Tentat Deum Gedeon, an missus esset liberator Israël, petendo signum in vellere. Præterea; Iudith locuta est presbyteris ciuitatis, qui cum Ozia trăsactis quinque diebus, si non veniret auxilium Dei, volebant se tradere Holopherni, dicens. Qui estis vos, qui tentatis Dominum? Tentant insuper Christum Pharisæi signa petentes, vt experirent eius potentiam. Et ita Christus dixit Pharisæis quærentibus an licet censum dari Cæsari vel non. Quid me tentatis hippocrytæ? Ite re quoq; corripuit Petrus Ananiam, & Saphyram eius vxorem dicens. Quid conuenit vobis tentare spiritum Domini? Non est ergo tentandus Deus, neque Christus noster, ne pereamus Iudçorũ exemplo. Ex quibus pa-

1. Reg. 17. *3. Reg. 10.* *Quomodo tentat homo.* *Exo. 14.* *Iudic. 6.* *Iudith 8.* *Matth. 16. 21.* *Act. 5.*

palam insinuatur qualiter homo non tantum se, sed alterum hominem tentat, Deum, pariter & Christum.

Tertio, tentat caro occasionaliter inquantum cognosci potest per ipsius carnis concupiscentiam pulsantem, vel mundum aduersus repellentem, vel prosperis allicientem, qualis sit homo. An, videlicet, sit virtutis constans, vel non. Ad cuius quidem carnis pulsationem, sequitur hominis approbatio vel reprobatio. Sic ergo caro tentat cum ad ipsius tintillationem probatur homo si resistit, & reprobatur consentiendo. De cuius carnis tentatione loquitur Iacobus, dicens. Vnusquisque tentatur à sua concupiscentia. Apostolus quoque. Tentatio vos non comprehendat, nisi humana. Et ad Galathas. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et ad Romanos: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, &c.

Quomodo caro tentat

Iacob. 1.

1. Cor. 10.

Galat. 5.

Rom. 7.

Quarto, tentat Diabolus vt experimentum capiat de aliquo in se. Cuius tẽtatio semper tendit in malum Tentat enim vt reprobum faciat, & ad peccandum inducat. Id autem scripturarum testimonijs constat. Dixit Petrus Ananiæ. Cur tentauit cor tuum Sathanas, mentiri te Spiritui sancto, & defraudari de precio agri? Item, tẽtauit Diabolus primam mulierem, dicens. Cur præcepit vobis Deus ne comederetis? &c. Cui respondit mulier. Ne forte moriamur. Et quia dixit, ne forte suæ dubitationis Diabolus experimentum habuit. Præterea: Sathan petiuit a Deo, vt tentaret Iob in rebus temporalibus, in liberis, & proprio corpore. Propter quod ipsius calliditas, & malignitas, nobis innotuit. Quamobrem dixit Dominus Petro. Ecce Sathan expetiuit vos vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Diabolus insuper tentauit Iudam vt traderet Dominum suum in manibus Iudæorum. Paulus quoque clamat. Ne magnitudo reuelationem extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphizet.

Act. 5.

Gen. 3.

Iob 1.

Luc. 22.

Ioan. 13.

2. Cor. 12.

Et ille

Ephes. 6. Et ille idem: Non est nobis colluctatio aduersus car-
nem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potesta-
tes aduersus mundi rectores tenebrarum harum. Et ad
2. Cor. 11. Corinthios. Ipse enim Sathanas transfigurat se in An-
1. Pet. 3. gelum lucis, tentando nos. Rursus, Petrus in Epist. Ca-
nonica dicit: Sobrij estote, & vigilate in orationibus,
quia aduersarius vester diabolus tanq. leo rugiens, &c.
Et Christus Discipulis suis aiebat: Vigilate, & orate,
Matth. 16. vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem prom-
ptus est, caro autem infirma. Sed non miremur de tali-
bus, ac tantis tentationibus hominis. Vult enim nos
Deus super terram tentari, vt vincamus, quia vincen-
dabit coronam, & manna absconditum. Et, vt inqu
Apostolus: Non coronabitur, nisi qui legitime certa-
2. Thim. 2. uerit. Et ille idem ad nostram consolationem ait: Fide-
1. Corin. 10 lis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id
quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum,
Rom. 16. possitis sustinere. Et ad Romanos: Deus autem pa
conteret Sathanam velociter sub pedibus vestris. E
nunc Christus voluit a diabolo tentari, vt nobis dare
exemplum qualiter oportet nos non solum tentari, se
tentationibus præualere. Propterea, Apostolus ai
Hebr. 4. Non enim habemus Pontificem qui non possit com-
pati infirmitatibus nostris, tentatum autem per om-
pro similitudine absque peccato, &c.

Iterum considerare continget, quòd licet in Scriptu-
ris sanctis, tentare indifferenter accipiatur, videlicet
tam in bono, quàm in malo, quia (vt diximus) etiam
Deus tentat, & non nisi vt erudiat, & probet: sæpenu-
mero tamen, tentare accipitur in malum, Iacobo di-
cente: Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo te
Iacob 1. tatur. Id autem de tentatione ad malum intelligi deb
Propter quod sequitur, Deus enim intentator malo
est. Ipse neminem tentat. Et ita accipiendo tentare, ta
1. Thess. 3. tum diabolo conuenit, iuxta illud Apost. Ne forte te
tauerit vos is qui tentat .i. diabolus, cuius proprium
ficium est tentare, vt homines ad peccandum induc
Hæc autem diabolica tentatio duplex reperiri sole

interior

interior videlicet, & exterior, quibus diabolus vtitur ad homines decipiendum. Tentatio interior est, quando inuisibiliter nobis malum intrinsecus suggeritur, & est quædam motio hominis ad peccati consensum, orta ab aliqua virtute interiori sine sensibili obiecto exteriori. Quando, scilicet imaginatiua nostra ab hoste mouetur, mouendo species vel habitus in eadem imaginatiua reseruatas. Oportet enim intelligentem phantasmata speculari. Sunt autem phantasmata imagines quædam, & species, rerumque similitudines, quæ in imaginatiua reseruantur, seu phantasia. Diabolus autem interdum huiusmodi imagines mouet, & transmutat ad organum sensus, & ita facit nos recordari repræsentando hæc rerum imagines, quas cogitando quibus ue delectando, & consentiendo, peccamus. Quodammodo diabolum dicitur immittere pessimas cogitationes in mente. Hęc autem interior, & diabolica tentatio, potest per pulcherrimum exemplum sic facile demonstrari. Quemadmodum enim in noctis obscuritate quocunque lumine semoto, homo colores aut figuras, seu imagines quas etiam ante oculos habet non intuetur. Et ratio, quia color sine lumine videri minime potest. Tamen si accendit lucernam, statim videt, & oculis suis præsentantur colores, & figuræ quæ prius occultabantur. Sic homo, licet in sua imaginatiua, seu phantasia variæ diuersæque imagines, seu species, aut naturales similitudines diuersarum rerum, puta, ciuitatum, hominum, mulierum, inimicorum, thesaurorum, conseruare existant, de his tamen non semper memoriam actu tenet, seu recordatur. Angelus autem malus qui per exteriora, interiora cognoscit, accendit lucernam, id est transmutat cogitationes, & nonnullas harum rerum imagines eas ad cor, & ad memoriam reuocando, & ita aperit cordis fenestras, vt nos intueamur, & præteritorum peccatorum memoremur. Tali igitur modo vtitur diabolus ad tentandum nos inuisibili, interiorique tentatione.

Duplex diaboli tentatio, interior, exterior

Exemplum de interiori tentatione diaboli.

Sed alia est tentatio exterior, quædam scilicet osten

Quid tentatio diaboli exterior

sio alicuius obiecti sensibilis à virtute exteriori, vt apprehendens ad peccandum alliciatur, sicque aliquando diabolus nobis extrinsecus malum visibiliter suggeritur, verbo, vel signo aliquo, vt tentatus ad consensum peccati declinet. Sed nec exterior, nec interior diaboli tentatio habet in se peccatum necessarium annexum nisi ei consentiatur. Est tamen materia exercendæ virtutis. Hac enim exteriori tentatione vsus est diabolus contra Christum, quoniam non poterat ipsum interiori tentatione tentare, propter quod sequitur. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit.* Non sine rationabili causa, Christus ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in quibus diebus nunquam comedit, aut bibit, sed etiam esuriuit. Postremo tamen esuriit. Triplici enim de causa vt ex scripturis elici potest, Christus hanc ieiunandi prouinciam assumpsit. Eo primo, quòd ieiunium ipsius fuerat in veteri testamento præfiguratum, per ieiunium, videlicet, Moysi, & Helyæ. Moyses enim ieiunauit quadraginta diebus, & totidem noctibus in monte Synai, vt mereretur accipere legem à Deo, quam populo Israël daturus erat. Sic Christus ieiunauit, & nouus tanquam nouus legislator, meruit condere legem. Ieiunauit insuper Helyas tot diebus, & noctibus, & dignus fuit ambulare vsque ad montem Dei Oreb. Christus ieiunando meruit cum omnibus Sanctis ascendere ad montem Domini ciuitatis nouę Hierusalem, scilicet, cœlestis patriæ. Et sic euidenter patet qualiter hi duo Patres, & Prophetæ ieiunarunt quadraginta diebus, & quadraginta noctib in figuram ieiunij quod assumpsit, vt daret nobis exemplum ieiunandi.

Cur Xp̃s ieiunauit.

Exod. 34.

3. Reg. 19.

Pulchra q̃o

Et si quæras an illi duo Patres, & Prophetæ aliquando esurierint in his diebus, dicendum est, quòd Moyses, & Helyas non esurierunt in illis quadraginta diebus, & noctibus, quia tunc ex prima die incepissent esurire, cum esuries semper sequatur in dies, nisi homo supernaturaliter sustentetur. Est autem esuries, vel fames pœna grauissima affligens valde. Quam si per quadrag...

draginta dies tolerassent, fuisset eis deterior morte temporali. Quemadmodum pœna Inferni in qua homines semper sufficienter cruciantur ad mortem, nunquam tamen moriuntur. Nō est autem verisimile, quòd Deus id faceret alicui homini viuenti. Præterea, Deus pascebat Helyam, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex tempore illius magnæ penuriæ, mittens ei quotidie bis panem, & carnes per coruum, ne fame affligeretur. Quanto magis, quando ex mandato Dei oportebat ipsum ambulare. Rursus, Dixit Angelus ad Helyam. Surge, comede, & bibe, grandis enim tibi restat via. Quare si fame cruciandus esset illis diebus, non dixisset ei Angelus, comede, & bibe, propter viam grandem. Helyas autem comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei, quadraginta diebus. Igitur in his diebus nunquam esuriuit, aliter non ambulasset in fortitudine cibi illius, sed debilis propter esuriem ambulare non potuisset. Igitur fortitudo cibi quam accepit in primo die, perseuerauit vsque in finem dierum. Deinde Moyses qui loquebatur cum Deo facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum, manens cum illo quadraginta diebus sustētabatur eloquio Dei. Igitur tunc temporis non esuriebat. quia non fuisset verisimile, vt Deus tantum hominem fame vellet affligere in præsentia sui. Cui ex consortio sermonis tantam contulerat excellentiam, quæ etiam in absentia perdurauit, Moyses igitur, & Helyas (vt credendum est) in illis quadraginta diebus, & noctibus non esurierunt, aliter oportuisset multiplicare miracula. Et si Chrysostomus oppositum videatur asserere, nihil refert. Differebat tamen ieiunium illorum à ieiunio Christi, eo ꝙ ipse Christus virtute propria ieiunabat, & sustentabatur. At Moyses quidē sustentabatur eloquio Dei. Helyas aūt in fortitudine cibi pāssumpti.

3. Reg. 17.

Qūo Moyses & Helyas, nōesurierūt ieiunādo xl diebus.

Ieiuniū xp̄i & prophetarum differens.

Secundo, Christus voluit obseruare ieiunium quadraginta dierum, & noctuum, ob nimiam similitudinem quam habuit cum Helya, vt alias dicetur. Propter quam multi Iudæorum, Christum esse Moysen, seu

Heliam arbitrabantur. Iccirco ipsi testes fuerunt in ipsius transfiguratione. Ieiunauit insuper Christus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt numerum quadragenarium sanctificaret. Siquidem quadraginta annis proximus fuit populo Israël in deserto. Quadraginta mensibus Christus prędicauit. Quadraginta septimanis fuit in vtero matris. Quadraginta diebus, & noctibus ieiunauit. Quadraginta horis iacuit in sepulchro. Et post resurrectionem completis quadraginta diebus ascendit in cœlum. Propter quod etiam Quadragesima quæ est decima pars totius anni solaris, de iure debetur & consecratur Deo in ieiunio vitiorum abstinentia, & alterius corporis ieiunij observatione. Sed quia ieiunium quadraginta dierum sine esurie arguebat diuinam virtutem, ita esuries eum verum hominem demonstrabat. Propterea, vt Diabolus tentandi audaciam sumeret, *Christus postea esuriit*. Hic perpulchre imaginandum est misterium incarnationis Christi Diabolum totaliter latuisse, nullamque euidentiam habuisse, an Deus factus esset homo. Considerans tamen ipsius sanctitatem, & quodammodo iam completas esse Prophetias tempore aduentus sui, dubitabat & mirabatur, intuebatur, verebatur, an igitur ipse Christus esset verus Messias in lege promissus, & vere filius Dei incarnatus. Fuit (vt facile credi potest) non modica concertatio ac subtilis disputatio inter duos dæmones principes tenebrarum, videlicet Luciferum, & Asmodęum, inter se differentes & concertantes, an ipse Iesus filius Mariæ qui quadraginta diebus & noctibus ieiunauit, esset filius Dei naturalis, an purus homo. Et de morte disputantium per ea quæ audierant & viderant & cognoscere poterant ad inuicem arguebant. Lucifer enim ipsum esse verum Deum probare nitebatur. In oppositum vero Asmodæus arguebat probans, ipsum esse purum hominem. Primo ergo Lucifer. Si enim iste est purus homo, & non Deus, cur Gabriel dixit Mariæ matri eius, concipies in vtero

De numero quadragenario consecrato.

Disputatio duorum dæmonum, an Christus esset Deus, an purus homo.

& paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, &c. Et infra subdit. Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. At contra Asmodæus. Si enim iste est Deus, cur Maria nouem mensibus in vtero portauit, & lactę nutriuit, quod non conuenit Deo. L V C. Si hic est purus homo, cur dixit Angelus pastoribus, annuntio vobis gaudium magnum, &c. Et facta fuit cum Angelo multitudo militiæ cœlestis exercitus laudantium Deum, dicentium. Gloria in altissimis Deo, &c. Ideo si non est Deus, ab Angelis & Pastoribus, quis adoratur in Præsepio? A S M. Si est Deus, cur iacet in Præsepio pannis inuolutus, plorat, patitur, & famescit? L V C. Si est homo, & non Deus, quem stella indicat, cur Magi venerunt, & adorauerunt eum cum muneribus, Bosque cognouit possessorem suum, & Asinus Pręsepe Domini sui. A S M. Si Deus, & non homo, cur more Iudæorum circunciditur, & spargit sanguinem cum fletu? L V C. Si homo, & non Deus, cur Symeon exclamat: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare tuum, &c. A S M. Si Deus, & non homo, cur trepidat, & fugit in Ægyptum, & inde defuncto Herode, reuertitur in terram Israël. L V C. Si homo, & non Deus cur idola Ægypti corruerunt, occiduntur pueri innocentes, & ipsæ puer non inuenitur, quem trepidat tyrannus Herodes. A S M. Si Deus, qui duodecim annorum quæritur, & reperitur, & cur subditus erat illis, cum omnia subiecta sint ei. L V C. Si tantum homo, quis duodecim annorum disputat in templo & legis Doctores puer vincit, & stupent omnes super prudentia, & responsis eius. A S M. Si Deus, cur a Ioanne baptizatur in Iordane, cum Deus baptismate non indigeat. L V C. Si homo, & non Deus, cur vox patri audita est, Hic est filius meus dilectus, loquens de ipso. Apparuitque Spiritus sanctus in specie columbæ qui protestabatur ipsum esse Deum. A S M. Si Deus

& non homo, cur desertum asperrimum petit, & cum fe-
ris conuersatur, cum Deus habitet in cœlis, in Angelo-
rum consortio. LVC. Si homo, & non Deus, quomo-
do quadraginta diebus, & quadraginta noctib. ieiunat,
in quibus diebus nunquam esuriuit, neq; sitiuit. ASM.
Si Deus, & non homo, cur postea esuriit. Et ita dæmo-
nes adinuicem altercabātur. Quorum vnus ipsum esse
Deū fatebatur, alter vero esse hominem arbitrabatur.
Et non miremur, ipse enim erat verus Deus, & homo,
per veram vnionem hypposticaticam. Quam quidē vnio-
nem ipsi ignorabant. Facta igitur hac concertatione ac
verborum disputatione, dixit alter ad alterum, puta L-
cifer. Vadam, & tentabo eum, vt experimentalem noti-
tiam habeā, an ipse sit Deus, an purus homo. Et si Deus
& verus Messias in lege promissus, conabor ne huma-
nam generationē redimat à seruitute nostra, & ne spo-
liemur antiqua potestate. Et si purus homo existet, ego
qui primum hominem peccare feci, propter quod expul-
sus fuit à Paradiso, & incidit in mortem spiritualem &
corporalem. Ita hominem istum diuersis tentationib.
tentando, seducam, atque peccare faciam. Ideo subdit
Euangelista. *Et accedens temptator dixit ei: Si filius Dei*
es, dic vt lapides isti panes fiant. Pro maiori, & euidentiori
notitia, non est ignorandum tentationem Christi qui-
dammodo fuisse similem tentationi primorum paren-
tum, licet dissimilis fuerit victoria. Ipsi enim victi, & su-
perati fuerunt ab antiquo Serpente, Christus autem vi-
cit eum, & superauit, vt de tyranno victoriosus ab
Fuit etiam vna, & eadē tentatio Adam, & Euæ, trāsgres-
sio vero dissimilis. Aliter enim peccauit Adam, & aliter
Eua. Quamobrem de ipsorum tētatione & peccato a-
quid loqui non erit inutile, vt (diuina fauente gratia)
Christi tentatione maiorem euidentiā habeamus. Di-
tur primorum parentum tentatio, pariter & pecca-
possunt tripliciter considerari. Primo, quantum ad ge-
nus ipsius tentationis, & peccati. Secundo, quantum
speciem. Tertio, quantum ad circunstantias. Sane
& recte intellige. Si quantum ad genus tentatio

Christus de° & hō, à dæmone non agnoscebatur.

sideretur, de inobedientia fuisse, perspicuum est. Semper enim ad hunc finem diabolus tentat, vt hominem seducat, decipiat, & ad peccandum inducat. Sed omne peccatum est contra legem Dei, iuxta illud Apostoli. Vbi nō est lex, neque præuaricatio. Et Psalmista: Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ. Præuaricatio autem est legis transgressio, quemadmodum Augustinus contra Faustum testatur. Peccatum est dictum, vel factū, vel concupitum contra legem Dei. Itaque peccare idem est, quod deobedire. Iccirco tentationem illam Serpētis ad Euam pariter, & peccatum quantum ad genus suū fuisse de inobedientia, manifeste constat, teste Apostolo. Sicut per inobedientiam, inquit, vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. Et sic principale peccatum, per quod lapsus est homo fuit inobedientia diuini præcepti.

Tentatio, et peccatū primorū parētum tripliciter considerantur. *Rom. 4.* *August. cōtra Faustū.* *Peccatum Adæ, & Euæ de inobedientia.* *Rom. 5.*

Secundo, tentatio Serpentis ad primam mulierem potest considerari quantum ad eius speciem specialissimam, & tunc dicendum est, tentationem illam de incredulitate, & infidelitate fuisse, vt ex scripturis facile deduci potest. Sathan enim in primis parentibus laborabat extorquere fidem, & obedientiam illius verbi Dei, dicentis ad Adam. Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ, boni, & mali, ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Igitur Sathan tentauit Euam de infidelitate, & per consequens ipsum Adam, dicens. Nequaquam morte moriemini, sed aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum, & malum. Voluit enim illæ Serpens antiquus decipere mulierem, & ex consequenti virū, vt non crederent verbis Dei, sed magis adhærerent fidem ei, quod est incredulitatis peccatum, & infidelitatis. Ad quod illos primos parentes inducere, conabatur. Quis igitur dubitat quin illa etiam fuerit de infidelitate tentatio? Ille quippe Sathan vsus est æquiuocationibus more odibilium Sophistarum, quibus incautos, & imprudentes circūuenit dicendo. Nequaquā moriemini

Gen. 1. *Tētatio Euæ simul et peccatū de infidelitate.*

mini,illico, ſcilicet morte corporali, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore, cum poſtea ſuperuixerint per multos annos. Cum deus dicendo in quacunque die comederis morte morieris,de morte animæ intelligere voluerit,quæ à Deo ſtatim ſecuta eſt,per gratiæ ſeparationem,& iuſtitiæ originalis priuatîonem. Et licet ſtatim anima non fuerit a corpore ſeparata per corporalem mortem,fuerunt tamen ſubiecti morti,dicente Domino ad Adam. Terra es,& in terram reuerteris,&c.Deinde,cum dixit, Aperientur oculi veſtri: ibi valde nequiter æquiuocauit.Eſt enim alia apertio oculorum, qua cognituri erant confuſibiliter ſe eſſe nudos. Et eſt alia quæ dicitur illuminatio mentis,vt nihil eos latere poſſit. Primam,& non ſecundam illuminationem intendebat illæ Serpens antiquus. Similiter æquiuoce locutus eſt,cum dixit. Eritis ſicut Dij.i.ſicut diuinæ perſonæ,vel ſicut homines,qui cum ſint fi'ij dei, Dij appellantur,iuxta illud Pſalmi. Ego dixi Dij eſtis,& filij excelſi omnes,&c. Scientes bonum,& malum,quæ quidem ſcientia dupliciter poteſt haberi. Vno modo per ſolam cognitionem infuſam à deo. Alio modo, per experientiam quam intendebat Sathan. Debebant enim ipſi peccando experiri bonum, & malum. Fuit etiam mendax.Loquebatur enim contra mentem ſuam,quia quod ore dicebat, mente oppoſitum intendebat, Ex dictis igitur palam inſinuatur tentationem Serpentis in ſpecie ſua de infidelitate fuiſſe. Et ita pariter dicendum eſt de peccato primæ mulieris de incredulitate extitiſſe. Id etiam manifeſte demonſtratur, quia quilibet qui negligit credere verbis Dei, magis adhibens fidem Diabolo proculdubio incredulus cenſendus eſt, & infidelis. At mulier illa potius credens Serpenti,id eſt Sathanę quam Deo, aperiri fieri ſicut Deus,nec amplius credidit poſſe mor.Igitur Eua per incredulitatem peccauit Adam vero minime id peccatum commiſit. Non enim credidit verbis Serpentis, & hoc eſt, quòd dicit Apoſtolus. Vir non eſt ſeductus,ſed mulier.i.Adam non commiſit,peccatus incredulitatis,quia non credidit verum

Quo diabolus vtebatur æquiuocationibus.

1.Tim.2.

rum esse quod per Serpentem, diabolus dixit. Eritis sicut Dij sicut mulier credidit. Nec excusando se coram Deo dixit. Serpens, seu mulier decepit me sed mulier, q̃ dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi de ligno, &c.

Quõ vir nõ est seductus sed mulier,

Tertio, tentatio, & peccatum primorum parentum possunt considerari quantum ad circunstantia tentationis, & peccati. Et tunc non est dubitandum tentationem illam Sathanæ habuisse quandam circunstantiam, Superbiæ, Auaritiæ, & gulæ. Mulier enim peccauit peccato superbiæ, appetendo esse sicut Deus, quia superbia est inordinatus appetitus, propriæ excellentiæ. Appetendo etiam inordinatæ scire bonum, & malum, quodammodo per auaritiam peccauit, quæ est inordinatus appetitus propriæ sufficientiæ. Peccauit insuper peccato gulæ, in experiendo suauitatem ligni vetiti. Gula enim est immoderatur appetitus cibi suauiter reficientis. Et licet Adam istis modis non peccauerit quibus mulier peccauit, fuit tamen in viro quædam superbia dum se nimis magni precij apud Deum existimauit, ita vt propter comestionem illius cibi, non incurreret grauitatem tanti supplicij, sed facile veniam consequeretur. Fuit etiam in eo quædam auaritia, dum curiosæ scire noluit quid sibi eueniret. Vidit namque mulierem gustasse cibum vetitum, & mortuam non esse. Fuit insuper in eo quædam inordinata affectio, propter quam ne contristaret vxorem suam, voluit comedere. Ex ijs omnibus euidentissimæ patet peccatum primæ mulieris in specie sua de incredulitate, & infidelitate fuisse. In genere vero, de inobedientia. Quantum autem ad circunstantias, peccatum illud fuit ex Superbia, Auaritia, & gula. Et ita simpliciter loquendo, peccatum Euæ grauius fuit peccato Adæ. Quia etiam grauiori pœna punita est, quàm vir. Quantum autem ad circunstantias dignitatis personæ ac fortitudinem resistendi, prudentiam, & vigorem, & ex sequela damni, grauius peccauit Adam quam Eua. Si enim Adam non peccasset, genus humanum non perijsset propter peccatum Euæ. Ipsæ enim Adam princi

Superbia, auaritia, gula, primi patres quodammodo peccauerũt

Quo Adam grauius peccauit, quam Eua, & econuerſo

principium fuit totius generis humani, cuius peccatum de inobedientia ſimpliciter fuit. Omnibus ergo his declaratis, merito reuertendum eſt ad principale propoſitum, videlicet, de ſingulari tentatione Chriſti. Dicit igitur iterum Euangeliſta. *Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Tentator, qui ab initio mundi dictus eſt Sathanas, ex quo cœpit aduerſari verbo Dei, & inter Angelos ſeditionem fecit turbator pacis, Deo rebellis, ſed poſtquã accepit ſententiam, & expulſus fuit de cœlo, dictus eſt diabolus, id eſt deorſum fluens. Vnde Dominus in Euãgelio: Videbam Sathanã ſicut fulgur de cœlo cadentẽ.

Luc. 10.

In eo autem quod decepit hominem, dictus eſt Serpens antiquus propter formam, quam accepit. Deinde proficiſcens in peius, vocatus eſt Draco magnus & rufus, habens capita ſeptem. Sed poſtquam auſus fuit tentare Chriſtum verum Deum, & hominem triplici tentatione, tentator merito debet appellari. Et nota, quòd in huiuſmodi Chriſti tentatione, diabolus duo intendebat. Primum, vt cognoſceret an Chriſtus eſſet vere filius Dei naturalis. Quo cognito, vlterius intendebat impedire, videlicet, redemptionem humanam. Et ſi eſſet purus homo, hoc ſecundum protendebat, ſcilicet ipſum decipere, & ad peccandum inducere, quod eſt eius tentationis finis. Propter quod dici poteſt, de gula ipſius tentationem minime fuiſſe, vt nonnulli putant. Verba enim textus ſi diligenter conſideremus, de gula nanque tentatum Dominum cognoſcere nequimus. Si eſuriebat, quid peccati ſi comediſſet? Et panes ex lapidibus fecisset ad comedendum? Cum igitur diabolus tentando, duo ſemper intendat, videlicet, callide experiri qualis ſit ille quem tentat, & ad peccandum inducere, vt ſupra dictum eſt, ſequitur manifeſte eius tentationem de gula nullatenus fuiſſe.

Apoc. 12.

Diabolus, cur Sathanas, Serpẽs, Draco, teſtator, dicitur.

Sed verius dicendum eſt (ſaluo ſemper meliori iudicio) Luciferum de incredulitate, & infidelitate Chriſti tentaſſe, de qua (vt ſupra uidimus) tentauit primos parentes, necnon Moyſen, & Aaron apud aquas contradictio

Num. 20

dictionis. Hoc peccatum denique deiecit in Iob,& Petrum,&c. De infidelitate igitur diabolus ausus fuit tentare Christum, quem videbat satis eximium esse, & nō ad grauiora peccata posse facile reduci. Conatns est nimirum eum retrahere à fide promissionis, & illius elogij patris intonantis de eo. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Huiusmodi enim verba audierat Sathan, dubitabat tamen an de filiatione naturali, seu adoptiua, vel spirituali, loqueretur illa uox. Ideo ut ab eo fidem verbi illius amoueret, vsus est occasione esuriei, quemadmodum erga primos parentes, vsus fuit arbore scientiæ boni & mali, de qua supra dictum est. Dixit quoque dæmon, in specie humana apparens. Tu Iesu videris tibi aliquid eximij esse, quia dictum fuit tibi à Deo patre in Iordane cum baptizatus fuisti à Ioanne Baptista, hic est filius meus dilectus,&c. Et quia quadraginta iam dies vixisti sine cibo, & potu, grandia nunc meditaris, scilicet conuertere totum mundum ad te, sed si vis scire an illa vox fuerit vera, vel falsa, seu vana: experientiam cape. Si filius Dei es, videlicet naturalis, dic, id est propria auctoritate iube, & dicendo effice, vt lapides isti qui corā te iacent, panes fiant. Sciebat enim dæmon, quòd licet natura possit conuertere vnam substantiam naturalem in alteram, tamen per requirit multum tempus, & materiam bene dispositam. Et licet etiam diabolus possit vnam rem conuertere in alteram, non sua tamen, sed naturali virtute. Quia scit applicare actiua passiuis. Cognoscit insuper constellationes sub quibus facile, vel statim aliquid generari potest, non virtute sua, sed virtute naturæ. Vt fecerunt Magi Pharaonis, conuertendo Virgas in Serpentes. Sed quòd vna res naturalis in instanti conuertatur in alteram rem naturalem, simul & artificialem, natura nequit id facere: puta conuertere lapidem in panem. Et quod natura nequit facere, diabolus id efficere minime valet. Si igitur Christus conuertisset lapides in panem, statim diabolus cognouisset Christum esse filium Dei naturalem, æqualem patri

Prima tētatio Christi de incredulitate

Non potest diabolus aliquid efficere, nisi virtute naturæ

Exod. 7.

patri in potestate. Sed noluit, nec decuit, & ideo non fecit. Primo, vt Diabolum eius diuinitas lateret. Secundo, vt per humilitatem, & sapientiam, magis quàm per potentiam vincere nos doceret. Tertio, vt ostentationem fugere suaderet. Quarto, vt voluntatem tentatoris contemneret, quia fas non erat Dominum voluntati eius obtemperare. Et aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur. Quinto, vt doceret nunquam esse credendum Diabolo, & nihil faciendum ad eius imperium, etiam si bonum & vtile est quod suggerit vel iubet. Ideo Christus respondens, dixit. *Scriptum est. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Scriptum est in Deuteronomio, populum Domini in deserto vixisse manna, vt Deus ostenderet Moysi, & populo suo, non in solo pane hominem viuere posse, scilicet corporali, sed in omni verbo, &c. Quod tam de spirituali, quam corporali vita verificari potest. Sicut clare liquet de Moyse, & Helya qui ieiunauerunt quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, tantum verbo Dei spiritualiter & corporaliter sustentati, vt supradictum est. Rursus. Si per verbum Dei, filium Dei intelligere volumus, quod est verbum patris æternum, clarum est quemlibet in verbo illo viuere posse. Quia verbo Domini, cœli firmati sunt. Et procedit de ore Dei, id est de substantia patris, qui dat vitam omni carni. Si autem per verbum intelligimus Dei gratiam, non minus verum esse fatemur. Voluit ergo dicere Christus. Si non in solo pane viuit homo, ad quid conuertere lapides in panem ad manducandum? Si enim voluero panes, ad homines reuertar, qui mihi ab unde humanum victum prouidebunt, &c. Ex quibus verbis, Christus à tentatore non potuit agnosci, an videlicet esse Deus, vel purus homo. Magis autem in hac prima tentatione extitit victoriosus. Quare &c. *Tunc assumpsit eũ Diabolus in sanctam ciuitatem, et statuit eũ super pinnaculum Templi, et dixit ei. Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Assumere, plura significat in scripturis.

Cur Christus nõ vertit lapides in panes.

Deut. 8.

Quomodo in verbo Dei quilibet viuere potest.

Inter

Interdum idem est, quòd vnire sibi aliquid, & isto modo filius Dei assumpsit humanam naturam, quam sibi vniuit in vnitate hyppostatica. Aliquando assumere idẽ est, quòd secum ducere. Quemadmodum assumpsit Christus Petrum, Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem excelsum. Nonnunquam vero assumere idem est, quòd aliquod opus arduum aggredi, & difficile, seu diuinum opus operari. Quonammodo Christus Pontifex ex hominibus assumptus est ad opus arduum redemptionis humanæ. Sæpenumero etiam assumere idem est quòd portare. Et ita Diabolus assumpsit Christum, id est portauit, non visibili, sed inuisibili modo, sicut Abacuch ab Angelo ductus fuit ad Danielem capillo capitis sui. Sic forte Christus ne videretur ab hominibus, quia fortasse illi nõ permisissent ipsum super pinnaculum templi ascendere. Et non est mirum, si Christus permisit se à Diabolo portari, qui permisit à membris suis crucifigi. Possumus etiam dicere, quòd duxit eum quasi manu ad manum per motum progressiuum, vt magis consonare videtur, Lucę dicẽti. Tunc duxit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, &c.

Assumere plura significat in scripturis.

Heb. 5.

Dan. 14.

Innuit igitur Euangelista Diabolum assumpsisse vel duxisse Christum secum in sanctam ciuitatem Hierusalem. Sanctam videlicet propter templum & cultum legis in eo seruari solitum. Et quoniam sacramenta Iudæorum ibidem in vsu erant, iuxta illud Isaiæ. Induere vestimentis glorię tuæ Hierusalem ciuitas sancta. Et infra. Deserta facta est Hierusalem, desolata est domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ vbi lauda verunt te patres nostri facta est in exustionem ignis. Daniel quoque sic ait. Auertatur obsecro ira tua & furor tuus à ciuitate Hierusalem, & à monte sancto tuo. Quamuis nos Christiani rationem validiorem ipsius sanctitatis afferre possumus, quoniam ibi sanctissimus sanguis sãcti sanctorum Christi Iesu effusus est: & sacratissimum in crucis ara, sacrificium cõsummatum est. Cõfundantur etiã hic recẽtiores hęretici quotquot temere affirmant locos omnes sanctos esse. Ecce enim hic

Esa. 52. 64

Dan. 9.

hic peculiariter Hieruſalem ciuitas ſancta dicitur, quẽadmodum etiam Matthæus confirmat in fine ſui Euangelij. Et ſi illi teſtes certiſſimi Hieruſalem ciuitatem ſanctam vocant, eo tantum quòd ibi Templum fuerit Deo dicatum, ſacrificijs boum, vitulorumq́ue, & columbarum, & alijs id genus, quanto ſanctiora nos templa noſtra habebimus, in quibus ſacratiſſimum Chriſti corpus conficitur, & die, noctuq́ue conſeruatur, vbi Sanctorum reliquiæ habentur, vbi ſacramenta quæ (quicquid habent virtutis, ex amariſſima Chriſti Paſſione, & Morte, habent) fidelibus adminiſtrantur.

Quõ vnus locus eſt ſanctior altero contra Lutherum.

Statuit autem diabolus Chriſtum ſuper pinnaculum Templi, id eſt ſuper locum eminentiſſimum. Pinnaculum nullius Templi erat quoddam deambulatorium, & tectum deſuper planum more Palæſtinorum ad exteriorem partem Templi politum, quod propter nimiam altitudinem Templi locus ille eminentiſſimus erat. Et tunc ibi diabolus, ſecundo, Chriſtum tentauit, non de inani gloria, vt aliquibus placet. Inanis enim gloria in huiuſce ſecundo certamine nullam veriſimilitudinem habere poteſt, ſi verba Matthæi diligenter attendimus. Sed potius, & verius dicendum eſt diabolum de præſumptione Chriſtum tentaſſe, quod eſt peccatum peccatorum enormiſſimum. Dixit ei tentator (vt facile credi poteſt) vis ſcire ò homo an illa vox Patris ad te loquentis ſuper Iordanem: Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, fuerit vera, vel falſa, ſi non primam, hanc ſaltem ſecundam experientiam cape. Poſtula tibi ſignum à Deo pro illius certitudine vocis. Et hoc erit tibi ſignum. Si filius Dei es, ſcilicet, naturalis, mitte te deorſum. Bene & congrue, & non ſine rationabili cauſa dixit diabolus, Mitte te deorſum, quia ſuperbi nunquam aſcendunt, ſemper tamen deorſum fluunt, iuxta illud Cantici. Depoſuit potentes de ſede. Superbi in cœlo habitare minime potuerunt vt Lucifer à quo expulſus fuit. Non in Paradiſo terreſtri, ut Adam, & Eua. Non in aëre, vt Simon Magus. Non in aqua, vt Pharao in qua ſubmerſus fuit.

Secunda tẽtatio Chriſti de præſumptione.

Gen. 3.
Exo. 14.
Num. 16.

fuit cum exercitu suo. Nec in terram stare potuere superbi, de qua absorti sunt, vt Chore, Dathan, & Abyron. Ergo locus superborũ est Infernus. Dicebat enim dæmon intra se. Nullum corpus naturale compositum ex materia, & forma, & elementis potest se in aëre sustentare nisi Deo auctore, aut Angelorum auxilio. Igitur &c. Et vt etiam Christus ei crederet, magisque auderet postulare signum à Deo, in suorum verborum fauorem allegat Scripturam dicens. *Scriptum est enim quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Videns diabolus prima tentatione Christum scripturæ armis se defendisse, simili nunc exemplo ad instar Simiæ adducit hunc Psalmi uersiculum. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. Quasi diceret. Nihil tibi in hac re periculi est. Angeli enim tui in manibus te ferent, ne qua vel pedem impingas. Multa hic diligenter ponderant Doctores, præcipueq. Hieronymus id contra hæreticos adducit, qui vt plurimum de allegatione Euangelij, & epistolarum Pauli gloriantur. Quando etiam hic diabolus scripturarum testimonio vtens, nihil plus apud Christum fauoris, & gratiæ meruit. Christiani insuper scripturis vtuntur ad prouocationem operum, & incitamenta virtutum. Diabolus autem ad seducendum tantum, & seminandos errores, id ipsum postea membra illius faciunt omnes .s. hæretici scripturis vtentes non ad hominum ædificationem in moribus bonis, & uita Deo digna, sed ad fidei destructionem ad honestatis, omnisque ordinationis bonæ impedimentum, & euersionem. Fideles præterea cum scripturas allegant, id faciunt iuxta sensum, & intellectum illum verum, quem etiam Spiritus sanctus intendit, testimonio Ecclesiasticorum Doctorum, ac vniuersalis Ecclesiæ approbatione. Hæretici vero scripturas inducunt pro suo defensando errore, in erroneo, & corruptissimo sensu ex arbitrio proprio flectentes eas, qn imò & laniantes Scripturam sacram, quemadmodum caput col diabolus hic fecit. Cum .n. Dauid dixisset, Ange

Hieron. cõtra hæreticos de allegatione scripturæ.

Discrimẽ inter Catholicos, & Hæreticos in allegatione scripturæ.

Angelis suis Deus mandauit de te, diabolus intellexit de te Christo, capite nostro. Prauæ autem, & peruersæ, quoniam Christus Rex Angelorum, & dominus nullum habuit suo ministerio Angelum deputatum, quam obrem Dauid illud dixerat de quolibet homine, de Christi membris non de capite eorundem, quia membra illius omnes homines, suum quisque habet Angelum in custodiam sibi datum, teste Saluatore, qui de pue-
Matth. 18. ris idem testatur, dicens. Angeli eorum vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Rursus. Catholici libros omnes vtriusque testamenti ab ecclesia approbatos humiliter acceptant, hæretici autem ea scripturarum dicta quæ causæ suæ aduersantur, reijciunt. Et præcipue quæ nimis aperte repugnant eis. Quemadmodum reiecerunt Machabeos, Thobiam, sancti Iacobi epistolam, alteram Petri, Ioannis vtranque. Illam ad Hebræos, & totum Apocalypsim. Denique omnes Christi fideles scripturas totas citant, & planè integras, & non truncatas sententias, sicut hæretici qui interdum clamant, Ecce qui dixit Christus in Euangelio: prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, reijcientes ea quæ sequuntur, scilicet docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis. Quia huiusce verba, eorum peruersitati non fauent. Ita diabolus eadem hic versutia vsus est.
Hiero. contra diabolum hæreticorum patrem. Certe enim (vt inquit Hieronymus) si diabolus vera de Saluatore illius Psalmi scriptum nouerat esse verum, debuerat, & illud dicere, quod in eodem Psalmo contra se sequitur. Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, &c. Exponitur ergo illud Psalmi dictum de quolibet homine, quoniam, Deus mandauit Angelis
Psal. 90. ... suis, vt hominem custodiam in omnibus vijs suis, in quibus ambulat per intellectum, & voluntatem, ac per affectiones, necnon, & per sensus exteriores, vt in manibus, id est in auxilijs suis tollant eum, ne forte offendat pedem, id est affectum mentis ad lapidem, id est ad occasionem peccati, & ruinæ. Vel ad lapidem, id est ad Christum, contradicendo ei, vel aliquid mali operando co-

tra ipsum dicentem in Euangelio. Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, &c. Matth. 21.

Sed pro maiori notitia scire cōtingit ad custodiam cuiuslibet viatoris deputari Angelum bonum ac principio natiuitatis vsque in finem vitæ suæ. Vnde Hieronymus. Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque ab ortu suæ natiuitatis, in sui custodiam habeat Angelum sibi deputatū. Et iste est ordo diuinę legis in suis operibus, vt extrema per media reducet ad summa Angelus .n. ratione immortalis naturæ & gratiæ mediat inter Deum & hoīem lapsum, ideo decet vt per Angelum adiuuando & custodiendo eum ad se reducat. Et si Angelus malus suapte malitia rationali creaturę aduersatur, decet Angelum bonū adiuuare & custodire ipsum in omnibus vijs suis. Multiplex autem est modus (vt sacrę testantur historiæ) quo vtitur Angelus ad homines custodiendos. Primo, Angelus custodit hominem intus illuminando, & Dei secreta reuelando, vt patet de Daniele, cui dixit Angelus. Nunc egressus sum vt docerem te, & intelligeres. Et veni vt indicarē tibi, quia vir desideriorum. Tres quoq; Angeli apparuerunt Abrahę, dicentes. Num celare potero Abrahā quæ gesturus sum, cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sit in eo oēs nationes terrę? Angelus insuper Zacharię dixit. Exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, &c. Et ille idem Mariæ Virgini. Ecce concipies in vtero, & paries filium, &c. Pastoribus proinde dixit. Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum. Et ad Ioseph. Noli timere accipere Mariam cōiugem tuā, &c. Patet etiam de illuminatione Cornelij Centurionis, & Eunuchi Candacis Reginæ per Angelum. Secundo, Angelus ante custodit ducendo nos per viam huius mundi, & a periculis liberando. Dixit enim Raphaël Archangelus ad Thobiam seniorem, loquens de filio suo. Ego educam & reducam eum ad te sanum. Item Angelus Domini præcedebat castra Isræël, ostendens viam per quam ambulare debebant. Dixit etiam

Hieron.

Multiplex Angelorum custodia erga hominē.

Dan. 9.

Gen. 18.

Luc. 1. 2.

Thob. 5.

Exo. 14.

Malac. 3. Dominus per Malachiam Prophetam. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuā, qui præparabit viam tuam ante te. Tertio, Angelus retro hominem custodit, pro delictis, & peccatis increpando. Ascendit enim
Iudic. 2. Angelus Domini de Galgala ad locum flentium, & ait. Ego eduxi vos de Aegypto. Postea subdit: Et tamen
Gen. 32. noluistis audire vocem meam. Ipsæ quoque Angelus tentationes mitigat. Nam Iacob luctatus est cum Angelo, vbi benedictione accepta confortatus est, & post luctam tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Rursus, In eadem via à peccatorum vinculis absoluit: sicut de Petro dicitur: Angelus astitit, & lumen refulsit
Act. 12 in habitaculo carceris. Deinde, ceciderunt cathenæ de manibus suis: quæ hominem à peccatorum vinculis absoluere significat. Quarto, Angelus Domini à dextris nobis auxiliatur in afflictionibus consolando, ipso dicente ad Helyam. Surge, & comede, grandis tibi re-
3. Reg. 19. stat via. Qui consurgens, ecce ad caput suum subcinericius panis & vas aquæ. Comedit igitur, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, &c. Præterea, Angelus
Dan. 3. 14 Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace. Et infra: Dixit Angelus Domini ad Abacuch: Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu Leonum. Proinde, Raphaël Archangelus locutus est ad
Thob. 5. Thobiam dicens: Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris. Quinto, Angelus a sinistris nobis patrocinatur, hostes & inimicos prosternēdo, vt clare liquet, quoniam Angelus Domini percussit primogenita Ae-
Exod. 12. gypti. Et ille idem percussit in castris Assyriorum cen-
Esa. 37. tum octoginta quinque milia virorum. Rursus: Ste-
Num. 21. tit Angelus in via contra Balaam euaginato gladio, ne iret ad maledicendum populum Domini. Sexto, Angelus infra non desistit suffragari nobis expellendo dæmones. Quemadmodum Raphaël Archangelus ap-
Thob. 8. prehendit dæmonem, & religauit illud in Deserto superioris Aegypti. Vidit insuper Ioannes, Angelum
Apoc. 10 descendentem de cœlo, habentem clauem Abyssi, & cathenam

thenam magnam in manu sua, & apprehendit Draconem, serpentem antiquum, &c. Septimo, Angelus supra nos custodit bona nostra Deo deferendo. Quemadmodum Raphaël Archangelus Thobiæ dixit. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationes, & eleæmosynas tuas Deo, &c. Thob. 12.

Ex his omnibus palàm insinuatur illud dictum Psalmi verificari de quolibet viro bono, & non de Christo, de quo & si diabolus Dauidem dixisse putauit, etiam illud, quod sequitur debuerat meminisse, scilicet, super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem, vt dictum est. Ipsæ enim diabolus est Aspis, & Basiliscus, ipsæ Leo, & Draco, propter proprietates eorum sibi conuenientes. Quem in tentationibus Christum conculcauit. Ideo partem Scripturæ: quę pro se facere videbatur tanquam superbus inducit. Partem vero quæ contra se pugnat, tanquam astutus dimittit. Et ita ipsius membra hæretici omnes idem faciunt. Nam de Angelorum auxilio quasi ad infirmum loquitur. De sui autem conculcatione, quasi tergiuersator tacet. Sed hic auctoritate scripturæ aduersarius deuincitur, & sua intentione frustratur. Optabat enim scire, an filius Dei esset. At Dominus responsionem sic temperat, vt eum ambiguum relinquat. Vnde sequitur: *Auctor propositum cõcludit.*

Ait illi Iesus rursum. Scriptum est, non tentabis dominum Deum tuum. Scriptum illud conuenientissimæ allegatum à Christo contra diabolum, habetur in Deuteronomio. Dixit enim Deus per Moysen populo Israël, Non tentabis dominum Deum tuum: sicut tentasti in loco tentationis, scilicet, in Deserto ad aquas contradictionis, vt scribitur in Exodo. Non enim erat aqua ad bibendum populo, qui iurgatus est contra Moysen, & ait: Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus respondit Moyses. Quid iurgamini contra me, & cur tentatis Dominum? Ibi enim tentauerunt Deum in hoc, q; experiri volebant vtrum Deus posset eos potare in Deserto. Vel qa volebant experiri an ex suis meritis Deus deberet eis dare potũ, & aquã ad bibendum miraculosæ. Deut. 6. Exod. 17.

Ex qua rñsione constat euidenter secundam illam ten tationem de præsumptione fuisse, vt .s. Xp̄s quæreret signum à Deo, an esset filius Dei naturalis, vel non. Sic.n.tentauit populus Israël Dominũ cũ quęreret signum, videlicet aquã de petra ad bibẽdũ. Vnde dicebat ibidem. Est ne Deus in nobis an nõ? Ideo Apostolus.

1.Cor.10 Non tentemus Deum, sicut quidam eorũ tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Odit enim Deus eos qui tentant ipsum, nisi id præcipiat. Sicut apud Isaiam scribitur. Locutus est Dñs ad Achaz, dicens. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum Inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz Non petam, & nõ tentabo Dominum. Et licet illa fuerit excusatio ficta, quia erat pessimus idolatra, ideo signũ tenuit, nolens quòd aliquid ad Dei gloriam monstraretur. Nihilominus qui quærunt signum à Deo absque euidenti necessitate, tentat ipsum, volentes experimentum sumere de illo, ex defectu fidei. Cum ergo Christus aliter potuisset descendere, & non esset aliqua vtilitas si se præcipitaret, si id fecisset, proculdubio Dominum tentasset. Quare tela Diaboli scuto Scripturę sacrę fregit, ipsumque Diabolum superauit. *Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Eodem modo quo supradiximus Diabolus assumpsit Christum, scilicet, inuisibili modo portando eum in montem excelsum valde, vel secum ducendo. Quis autem fuerit hic mons, nihil certi habetur in scripturis. Eum tamē

Quis fuerit ille mons. Doctores quidam fuisse illum dicunt qui inter Hierusalem & Hiericho positus erat, vbi iam antea in deserto Christum lapidum conuersione Diabolus tentauerat. In cuius summitate montis ostendit ei omnia regna mundi, quod duplici modo id facere potuit. Primo, non determinate, sed quodammodo extenso digito diceret. In tali parte est Asia, in tali loco Europa, in tali Africa. Hic Imperium Romanorũ positũ est, in Ægyptus illic Persia sita est, &c. Horum omnium

riam potentiam, & maiestatem ei recensebat cum ceteris temporalibus bonis. Potuit etiam Diabolus id alio modo efficere, videlicet per aliquam præstigiosam apparitionem, subijciendo oculis nonnullas imagines repræsentantes omnia regna mundi ciuitates, castra, & gloriam eorum. Sed magis verisimile est (vt arbitror) Diabolum omnia regna mundi Christo demonstrasse per modum loquēdi, q̃ per imaginariam visionē. Et dixit illi. Hæc oĩa tibi dabo, si cadens adoraueris me, &c.

Quomodo Diabolus ostendit omnia regna Christo.

Hic non immerito quæri potest, quomodo Diabolus arbitrari seu cogitare poterat quòd Christus deberet ei credere, vt, scilicet posset ei omnia regna dare cū scriptum sit, Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Et Iacobus. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descēdens à patre luminum. Cum etiam dicat Apostolus, Non est potestas nisi à Deo. Ipsę enim constituit reges & regna, vt liquet de omnibus principibus & regibus mundi. & præcipue de Nabuchodonosor, de quo Dominus per Hieremiam. Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis serui. Insuper & bestias agri dedi ei vt seruiant illi. Et seruient ei omnes gentes & reges magni. Et filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius. Dixit quoque Daniel ad ipsum. Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit det illud. Præterea, data fuit potestas Senacherib regi Assyriorum super Iudęos, dicēte Domino per Isaiam. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mādabo illi vt auferat spolia, diripiat prędam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum. Rursus dixit. Cyrus Rex Persarum, omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipsæ præcepit mihi, &c. Ex his igitur perspicuum est Deum impartiri regna, quibus vult, tam bonis quàm malis. Nam sicut iustis hoibus dat Imperia, & Regna, vt populus bene regatur, ita Deus iniustis dat regna,

Iacob. 1.
Rom. 13
Hier. 17
Dan. 4.
Isa. 10
3. Esdr. 1.

vt subditos puniant propter eorum peccata, iuxta illud Iob: Qui facit regnare hippocrytam propter peccata populi. Itaque omne Imperium, & Regnum à solo Deo est. Quo iure igitur diabolus dicere audet, Hæc omnia tibi dabo, &c. Ad hoc, dici debet diabolum per nonnulla falsa signa huius mundi se Principem ostendisse. Quemadmodum apud Ioannem Christus testatur, dicens. Venit enim Princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Et illæ idem: Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. Ibi enim mundus pro malis habitatoribus accipitur, & pro Gentilibus, à quibus diabolus erat expeliendus. Ipsæ enim ante Christi aduentum dabat responsa in Idolis, fere per vniuersum mundum. Et precipue Romæ, vbi quam plura templa erant Idolis fabricata. Inter quæ Pantheó reperiebatur, templum omnium Idolorum, in quibus dæmon homines decipiebat, & querentibus respondebat pro victoria, pro pace, & pro quacunque alia re consequenda. Videbatur insuper constituere Reges, & Regna donare, necnon infirmos curare, ac multa prælata beneficia. Optans velut Deus ab hominibus adorari siue veteris superbiæ non immemor, qua voluit æquari Deo. Infelices autem homines, & Gentiles tunc temporis ipsum adorabant, & venerabantur. Non est ergo mirum si diabolus ausus est dicere Christo, Omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Si quidem tertia hæc diaboli tentatio de blasphemia fuit, & idololatria. Volebat enim diabolus, vt Christus blasphemaret Deum, & cadens, ipsum adoraret idolatrando. Nam blasphemare est attribuere Deo, quod creaturæ conuenit, vel creaturæ dicare, quod Deo iure debetur. Soli autem Deo competit, & non alicui creaturæ super omnia regnare, cum sit ipsæ Rex Regum, & dominus dominantium. Et illi interest constituere Reges, & Regna donare. Ad eum etiam diuisiones gratiarum spectant, cum sint ab vno & eodem spiritu, qui omnia operatur diuidens singulis prout vult. Igitur si Christus credidisset diabolo, qui posset ei omnia regna dare auctoritate propria, prædui.

Omne Regnum à solo Deo.

Ioã. 14. 12

Antiqua diaboli supbia hic ostēdit.

1. Cor. 12

1. Cor. 10

dubio Deum blasphemasset. Et si procidens adorasset eum, detestabilem commisisset idololatriam. Dicebat enim dæmon, Omnia tibi dabo quia mea sunt, & quibus volo do illa. Dimitte patrem tuum, & neglige vocem eius, quam audiuisti, scilicet, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Relinque nugas, audi veritatem. Hęc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Adora ergo me, cognosce me rerum Principem, omnia obedient tibi. Ex quibus verbis manifeste apparet, quòd illa fuit in Deum patrem blasphemia, dū diabolus plurimum ex his quorum nihil omnino suum erat, se Christo daturum promisit. Sed ne videar in omnibus à ceteris scriptoribus deuiare, dicēdum est, etiam ratione circunstantiæ de auaritia tentationem illam fuisse, quæ est inordinatus appetitus circa bona fortunæ. Summoperæ enim Diabolus optabat vt inordinate Christus illa regna, ac regnorum gloriam appeteret. Sed quoniam auaritia ex origine infidelitas est, & ex obiecto idolatria, & suapte natura est Idolorum seruitus (teste Apostolo) quapropter si de auaritia hæc vltima tētatio fuit, de infidelitate, & idolatria fuisse consequēs est. Deinde sequitur responsio Christi ad Diabolum. *Tunc dicit ei Iesus. Vade Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Iam Christus volens tētationi finem imponere, dixit. Vade Sathana: Hęc enim verba, videlicet, vade, & veni in scripturis sanctis non modicum discrimen inter se habere videntur. Veni feræ semper gloriam dicit, honorē, & benedictionem. Sed per oppositum, vade opprobrium importat, ignominiam, maledictionem, & pœnam. Id autem liquet cum Christus, dicat: Venite benedicti Patris mei, loquens bonis: Sed malos alloquens, ait: Discedite à me maledicti in ignem æternum. Et rursus: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. At Petro inquit: Vade retro me Sathana, qn̄ Petrus voluit contradicere ei. Vocat enim Christus oēs electos ad se, sed malos, & reprobos expellit. Ideo diabolo dixit: Vade Sathana. scilicet in Abyssum, & in ignem

Tertia Xp̄i tentatio de blasphemia, & idolatria

Paulus.

Veni, & vade, differūt ī scripturis

Matth. 25, & 11

æternum. Sathanas idem est q aduersarius, vt supradictum est. Discede ergo à me, & recordare in quanta gloria conditus fuisti, & in quantam nunc miseriam cecidisti. Vade Sathana, quoniam solus Ioseph qui gerebat figuram Christi venturi, vidit per somnium Solem, & Lunam, & vndecim Stellas se adorare. Quia in nomine Iesu, omne genu flectetur cœlestium, terrestrium, & Infernorum, &c. Vade Sathana, quia nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. In hac tertia tentatione Christus Diabolum increpauit, & non alijs, ad ostendendum quòd hæc fuit pessima aliarum tentationum, de blasphemia, videlicet, & Idolatria. Et eo maxime quando cultus debitus Deo impenditur Diabolo. Solus enim Deus est colendus, & adorandus, ideo hanc veritatem per scripturam confirmat, dicens. Scriptum est enim, videlicet, in Deuteronomio. Dominum Deum tuum adorabis, latria, scilicet, adoratione, quæ fide, spe, & charitate perficitur. Et illi soli seruies. Nam seruire Deo summa sapientia, & summa victoria est, cuius amore omnia efficiuntur: Nec Deo seruire asperum videatur, tum quia tanto Regi cui omnia, Cœlestia, Terrestria, & Infernorum famulantur, tum quia seruire Deo regnare est, vt liquet de Angelis mouentibus corpora cœlestia, qui dominationes appellantur, & quoniam præmium illius seruitutis, est infinitum, dicente Apostolo. Bonum certamen certaui cursum consumaui, fidem seruaui, &c.

Gen. 37. *Philip. 3.* *Paulus.*

Triplex seruitus.

Nota proinde triplicem seruitutem inueniri, videlicet, Iure naturæ, Iure ciuili, Iure proprio. Prima, est illorum qui nascuntur serui. Secunda, est illorum qui in certamine iusto vincuntur, & superantur. Tertia, est illorum qui sponte seipsos seruos efficiunt. Sed his omnibus modis, Dei serui sumus, & Christi.

Primo, Iure naturæ, quia quilibet nascitur sub seruitute Dei, cum omnia sint creata ab ipso, & subijciantur ei.

Secundo, Iure ciuili, quia prius eramus serui Diaboli, Christus autem in certamine iusto nos liberauit, iuxta para

xta parabolam Christi dicentis. Cum fortis armatus custodit atrium suum: Ideo serui Christi effecti sumus.

Tertio, iure proprio quia in baptismate ab renuntiamus Diabolo, & pompis eius, & promittimus seruire Deo, eiusque obedire mandatis. Fidere soli Deo, in eo sperare, ac ipsum super omnia diligere. Hæc est igitur illa seruitus latria quæ soli Deo exhibetur. Ideo dicit, illi soli seruies, &c. Sed quemadmodum Christus celauit se esse filium Dei, ita dissimulauit in primis se Sathanam cognoscere, eo quòd tranformatus erat in effigiem alicuius magni Regis, & Principis, cum promisisset ei dare omnia regna mundi. Nunc autem Christus ostendit se eum agnoscere. Quare diabolus statim confusus discessit, tanquam notus & deprehensus.

Serui Dei sumus tribus modis

Diabolus sub forma regis Christum tentauit.

Et si quispiam quærat cur Christus voluit a Diabolo tentari, dicendum est, vt pro nobis vinceret omnes tentationes tanquam princeps, caput, & Dux noster. Nam omnes Christi victoriæ, Christi fidelium sunt, quemadmodum victoria Regis, in militum victorias redundare videtur. Omnia enim Christi opera nostra sunt, ipse caput, nos sumus membra. Quare si vincit caput, vincunt, & membra. Nullus enim mortalium tot insidiarum genera superare potuisset, nisi filius Dei Diabolo fortior vicisset. Trahimur ad omne nefas natura inclinante, quia in iniquitatibus concepti sumus. Lege irritante, quia lex iram operatur. Diabolo tentante, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Mundo alliciente, quia materialia corpora superioribus subdita sunt. Ideo diabolus primum hominem carnalem in Paradiso vicit, sed ipse à primo homine spirituali in monte fuit victus. In primo, omnes victi, In secundo, omnes victores. Quia Primus homo de terra, terrenus, Secundus, de cælo, cælestis.

Præterea, si Christi vitam in scripturis discurrere volumus, profecto inueniemus omnes eius victorias quas gloriosissimæ consecutus est.

Primo, in die Oliuarum vicit mũdum, fugiens regiã dignitatem, sedens super asinam conculcando prostra-

Prima victoria Christi.

tas

tas vestes, obuiando hostibus, voces spernendo clamantium, plorans excidium ciuitatis. Sic enim mundus vincitur à nobis contemptu, & patientia.

Secunda Secundo, Christus vicit carnem tenui vestitu, magna inedia, vigilando, orando, ieiunando, ambulando, & aduersa ferendo.

Tertia Tertio, vicit peccatum, satisfaciens in cruce pro nobis, de præteritis peccatis, vt fidei iustior, præsentia etiam peccata non imputando, iuxta illud Psalmi. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, &c. Necnon & à futuris peccatis, præseruando pœnitentes. Sic enim vincitur peccatum à nobis, confidentia, pœnitentia, absolutione, & satisfactione.

Quarta Quarto, Christus vicit mortem moriendo, & resurgendo. Ideo clamat per Prophetam: Ero mors tua, ò mors. Vbi est mors victoria tua, inquit Apostolus? &c. *1. Cor. 16.*

Quinta Quinto, vicit Infernum soluendo Patres, & liberando eos a vinculis tenebrarum., quibus etiam ostendit gloriam suam. Ideo subdit: Ero morsus tuus, ò Inferne.

Sexta Sexto, Christus vicit diabolum, quem primo expulit de cœlo. Deinde ex Idolis Gentilium. Postremo ex corporibus humanis. Vicit eum, ne nos tentationibus succumberemus. Voluit tentari, vt intelligamus vitam nostram à cruce initium habere. Carnales quippe in tentationibus semper murmurant, & maledicunt. Spirituales vero, Deum laudant, & benedicunt. Illi per Cyrenæum Simonem: isti per Nazaræum Christum sunt figurati. Illi ex impatientia puniuntur, isti ex patientia præmiantur. Vnde si recte consideremus, inueniemus in huiusce tentationibus maiora bona procurare tentantes, & nos persequentes, quam benefacientes nobis temporalibus bonis. Nunquam enim Herodes tantum profuisset pueris temporaliter, quantum eis profuit occidendo eos. Hæc est igitur illa nobilissima ratio

Tentationū sing. laris [illegible]. quare permittit nos Deus tentari, ut, scilicet vincen-

nis,

magis mereamur ab eo consolari, iuxta Apostoli sententiam. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Victoribus etiam loquitur Dominus in Apocalypsi, dicens. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Et infra: Vincenti dabo manna absconditum & nomen nouum. Rursus: Qui vicerit non lædetur à morte secunda. Proinde: Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & dabo illi stellam matutinam. Item: Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Insuper: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Tandem: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in Throno eius. Postquam autem Christus in tentationibus diaboli extitit victoriosus, abeunte diabolo, statim extant Angeli. Ideo sequitur.

Præmia uictorum.

Apoc. 2. 3

Tunc reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Quales, & quot fuerunt Angeli, qui ministrarunt Christo, non habetur in scripturis. Certissime tamen constat nouem esse Ordines, & Choros Angelorum, quorum quinque nominatim exprimit Apostolus ad Ephesios, & Colossenses, scilicet, Potestates, Virtutes, Dominationes, Principatus, & Thronos. Ad Ephesios autem loquens, quattuor Ordinum nomina, enumerat dicens. Super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursus ad Colossenses scribens, ait. Siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, &c. Quibus dum adduntur Angeli, Archangeli, Cherubin, & Seraphin, quibus plena est Scriptura sacra, nouem esse Ordines, & Choros Angelorum, perspicuum est. Qui inter se aliquo munere gratiæ assimilantur, sicut in naturalium donorum participatione conueniunt. Hi omnes Angeli semper assistunt Deo, & CHRISTO Iesu, cui obediunt, & ministrant, tan-

Nouem esse ordines Angelorũ ostẽditur ĩ scripturis.

Paulus.

Dan. 7. tanquam subiecti domino suo, iuxta illud Danielis. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.

Sed quoniam Deus in his inferioribus, Angelorum ministerio omnia efficit, & operatur, ideo ad aliqua specialia agenda, & perficienda vt sint speciales Angelorum ordines deputati opere precium est. Quoties enim Deus vult nonnulla operari quæ singularem important amorem erga homines, & naturam humanam, illa tantum efficit Seraphinorum ministerio. Seraphin enim interpretatur ardens, vel succedens. Ideo Angeli illi dicuntur Seraphin, qui præ alijs ardens charitate. Quorum ministerio descendi ignis de cœlo tempore Æliæ ad comburendum sacrificium, ad ostendendum verum Deum. Eodem quoque ministerio ascendit Ælias in curru igneo ad cœlum. Per Gabrielem Archangelum qui illius primi ordinis est caput: Deus reuelat incarnationem Filij sui, Virgini Mariæ. Deinde pastoribus Seraphin clamātibus. Gloria in altissimis Deo, &c. Et illæ idem multoties apparuit in somnis Ioseph. Monuit etiam Magos ne redirent ad Herodem. Ministerio Seraphinorum apparuit Spiritus sanctus in linguis igneis, & in specie columbæ super Apostolos, innuens nouam gratiam in eos Spiritum sanctum intus operari, nouaque linguarum genera. Quibus etiam inflammat Deus hominum corda ad diligendum ipsum super omnia.

De ministerio primi ordinis Angelorum.

3. Reg. 18 & 4. 2.

Luc. 2.

Math. 2.

Præterea, omnem scientiam, sapientiam, mentis illuminationem, reuelationem secretorum Dei per ministerium Cherubinorum Deus efficere dicitur. Cherubin enim dicuntur plenitudo scientiæ, qui præ alijs in scientia eminent. Illi nanque huiusmodi mentis illuminationem, sapientiam, ac secretorum reuelationem famministrant Deo annuente. Quorum ministerio Deus omni sapientia dotauit Adam. Exigitusque est sapientiam Salomoni. Reuelat secreta Dei, omnium scientiarum thesaurum aperit. Illorum etiam ministerio Prophetæ vaticinati sunt de præsenti præterito, & futuro,

De ministerio secundi ordinis Angelorum.

futuro, diuina secreta, enarrãtes. Sic per Cherubin fiunt reuelationes Sanctis, concionatoribus, & contemplatiuis, Sensus quoque scripturarum aperiuntur. Quibus tandem omnes in diuinis scientijs erudiuntur.

Si vero, Deus voluerit iudicia facere, & reuelare iram suam super homines ciuitates, & regna Throni ad ista sunt deputati. Quorum ministerio Deus iudicat, & punit. Dicitur enim Thronus, quasi Dei sedes iudicialis. Et vt beatus Gregorius ait, illi Angeli Throni vocantur, qui tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis sedeat Deus, & per eos iudicia decernat, atque informet. Per Thronos enim expulsit Deus diabolum de cœlo. Et subuertit aquis omnem carnem tempore Noë. Nec non, & puniuit ędificantes turrim Babel per linguarum confusionem. Item: Illi tres Angeli, qui apparuerunt Abrahę repræsentantes Deum, & Trinitatem personarum. Erant Throni, quorum ministerio Deus subuertit ciuitates Sodomorum, super quas pluit sulphur, & ignem. Submersitque Pharaonem, & exercitum eius in mari. Per quos etiam immisit pestilentiam in Israel, & occidit septuaginta milia virorum. Vidit enim Dauid Angelum cedentem populum. Et per eos tot signa ostendit in Pharaonem. Occiditque Deus primogenita Ægypti. Rursus. Per Thronos percussit exercitũ Senacherib dominum blasphemantis. Nec prætermittendum est, quod eorum ministerio ciuitas Hierusalem, & Iudęi puniti, destructumque est Regnum Chaldęorũ, Persarum, Græcorum, & Romanorum, & multa Regna cõcussa, ac ciuitates subuersæ. Quibus etiam Deus totam Italiam punit, ferro, flamma, fame. Quos Ioãnes vidit habentes phialas iræ Dei, quas fuderunt in terram, &c.

Ministerium tertij ordinis. *Gregor.* *Apoc. 12.* *Gen. 7 11.* *Gen. 19.* *Exo. 14* *2. Re. 24.* *Exo. 9.* *Esa. 36.* *Apoc. 16.*

Post Seraphin, Cherubin, & Thronos sequuntur Dominationes, quibus vult Deus omnibus dominari, scilicet Angelis, & hominibus. Et pręcipit omnia in cœlo, in terra, & sub terra. Illæ enim intelligentiæ quæ primum mobilem mouent, & inferiores orbes septem Planetarum, Dominationes appellantur. Per quas etiam Deus vult ab omnibus adorari, & timeri. Necnõ, & per domina

De ministerio quarti ordinis.

Dominationes Deus constituit Regna, Imperatores, Reges, & Principes. Quorum Angelorum ministerio, Reges, regnant: Principes, imperant: ac potentes decernunt iustitiam, &c.

Ministeriũ quinti ordinis. Inde sequuntur Potestates, quibus tyrannica potestas dæmonis, coërcetur. Quorum ministerio Deus nos à tentationibus dæmonum custodit. Per Potestates Deus, & ipse Christus verus Deus, & homo, fugat dæmones, & expellit. Necnon & liberat homines à dæmonibus vexatos, & à diaboli laqueis.

Succedunt proinde Principatus, per quos Deus, Prouincias, Ciuitates, Regna, & castra, regit, & gubernat. Cuilibet enim Prouinciæ, ac ciuitati, deputatur Angelus bonus ad custodiam, & exercitium. Et Angeli qui huiusmodi Ciuitates, & Prouincias custodiunt, Principes appellantur, eo quòd sunt de ordine Principatus. *Dan. 10.* Angelus nanque qui loquebatur Danieli dixit. Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. *De ministerio sexti ordinis Angelorum.* Per Principem autem Persarum intelligitur Angelus, quorum Rex erat Nabuchodonosor. Et non inconuenit Angelum bonum resistere alteri Angelo bono in custodiendi officio, voluntate non simpliciter contraria, sed ex condictione diuersa. Siquidem contingit interdum bona diuersarum gentium ad inuicem repugnare. Sicut bonum fuisset Persis, quòd filij Israël mansissent in Babylonia, quia per illos multi ex Persis conuertebantur ad cultum vnius Dei. Filijs autem Israël bonum erat redire in terram suam ad Templum Domini, vt separati ab Idolatris liberius Deo seruirent. Et ideo Angelus Persarum Deo ostendebat quantum bonum erat Persis vt ibi manerẽt filij Israël. Sed econtrario Angelus Danielis qui custodiebat populum Iudæorum cum Michaële Principe Sinagogæ interpellabat apud Deum, vt filij Israël reuerterentur in Hierusalem. Hæc igitur erat causa prœlij. *Quõ Angeli prœliantur ad inuicem.* Hoc modo contra se prœliari dicuntur. Optabant enim omnes bonum suæ gentis, non simpliciter, sed vt quantum erat Dei voluntas, cui se conformare volebant.

Quam

Quamobrem dicit Angelus Danieli. Nunc reuertar vt prœlier aduersus principem Persarum,&c. Et si princeps Persarum restitit principi Iudæorum viginti & vno diebus, id fuit quia Dei voluntatem ignorabat. Quam etiam Deus voluit eos latere, vt omnibus ostenderet quantam sollicitudinem, & curam habeant Principatus erga eorum populos, in quorum custodia sunt deputati,ad eos regendum, & gubernandum.

Virtutes insuper sunt Angeli, per quos Deus mirabilia operatur in nobis,ac miracula facit,sanitates quoque hominibus elargitur. Per Archangelos Deus maiora nunciat,custodit que Reges, Principes, & animarum pastores. Sicut per Angelos minora docet, per quos etiam homines inferiores custodit,&c. Hæc sunt igitur illa ministeria quibus omnes Angeli ministrant Deo,& Christo Iesu, vt ipsius diuinitas, & gloria manifestetur. Ex his omnibus palam insinuatur qualiter ministerio spirituum beatorum Deus omnia hæc inferiora regit, & gubernat. Et non solum Angelorum, sed hominum. De Angelis liquet, dicente Apostolo. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. De hominibus vero constat, per eundem dicentem. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum eius. Concludit igitur Euangelista. Et ecce Angeli accesserunt,& ministrabant ei. Sed quid est quòd Angeli ministrabant ei,nisi quòd esurienti ministrabant cibum? Qui nihil ob vehementem & vrgentem tamen remoratus fuerat, quo minus bellator fortis gloriosæ vinceret mortis tyrannum, & suis relinqueret vincendi potestatem. Qui mox Angelicis manibus vt iuxta oraculum illinc relatus putatur,ne in ipso inaccessibilis montis descensu offenderet ad lapidem pedem suum, qui iam super Aspidem, & Basiliscum ambulauerat, & ter conculcauerat Leonem, & Draconem, &c.

Dè ministerio triũ ordinum inferiorum.

Heb. 1

1. Cor. 4.

Feria

FERIA SECVNDA,

De vniuersali iudicio, super Euangelio Matthæi.

DIxit Iesus Discipulis suis. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ. Et congre-
Matth. 25. gabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inui-
cem, sicut pastor segregat oues ab hædis. Et statuet qui-
dem oues à dextris, hædos autem à sinistris.

Manifesti sunt hi duo articuli in diuinis Scripturis, scilicet, Resurrectio omnium mortuorum, & vniuersale Christi Iudicium. Et si fas est dicere, nulli sunt articuli certiores, euidentiores, & clariores his duobus in vtroque testamento. De primo loquitur Iob in legenda
Iob 19. turæ, dicens. Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, Et rursus, Circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Dominus quoque per Ezechielem. Ecce
Ezec. 37 ego aperiam tumultos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, & viuetis. Daniel insuper Et qui in terra
Dan. 12 puluere dormiunt euigilabunt, aliqui in vitam æternam, alij in obbrobrium.

Non desunt perinde testimonia nouæ legis de resurrectione mortuorum. Ait enim Dominns in Euangelio Matthæi, & Lucæ. Resurrecturi ex mortuis, neque
Matth. 22. Luc. 20. nubent neque nubentur. Et in Euãgelio Ioannis. Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic, & filius quos vult viuificat. Et infra: Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem fi-
Ioan. 5. lij Dei, & qui audierint viuent. Et paulopost subdit: Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ. Qui vero malo egerunt, in resurrectionem iudicij. Martha proinde eandem resurrectionem confessa est, dicens. Resur-
Ioan. 11. get scio frater meus in resurrectione in nouissimo die.

Rur-

Rursus Apostolus. Si Christus prædicatur, quòd resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt resurrectionem mortuorum non esset? Quoniam si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra. Ergo de necessitate fidei, esse resurrectionem mortuorum fateri necesse est. Et in eodem ad Corinthios. Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita, & in Christo omnes viuificabuntur. Item: Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, &c. Et infra, subdit. Fratres, ecce misterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Rursus ad Thessalonicenses. Nolumus vos ignorare de dormientibus vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est, &c.

Paulus. *1. Cor. 15.* *1. Cor. 16.* *1. Thess. 4.*

Resurrectio denique mortuorum potest etiam his rationibus ostendi. Primo, quoniam rationalis anima cum sit naturaliter Endelechia, seu actus, & corporis forma, parsque substantialis hominis, naturalem habet inclinationem ad corpus, nec perfectam subsistentiam habet in seipsa, sed appetit vniri corpori. Natura autem nil frustra efficit. Tandem ergo anima separata reunienda est corpori. Secundo, quoniam anima rationalis non potest perfectę felicitatem adipisci nisi corpore reassumpto, & glorificato propter naturalem affectionem quam habet ad corpus. Et quoniam vires sensitiue manent radicaliter in ea in quibus beatificari minime potest, nisi fuerit corpori sociata. Tertio, & forte melius. Si Adam non peccasset, nunquam mortem incurrisset: Sed cum anima, & corpore, gloriam adeptus fuisset. Redemptionis autem beneficium maius est lætali crimine Adæ. Igitur Christus totum hominem perfectę redemit. Quare ad illum statum reduci debet, in quo simul cum anima, & corpore glorificari pos

Prima ratio de resũrrectiõe mortuorum.

Rationes quibus ostẽditur resurrectionẽ esse necessariam

sit. Id vero fieri minime potest, nisi in vltima resurre-
ctione, Igitur: Quarto, quilibet homo adultus viuens
in carne, quidquid boni vel mali operatur, cum corpus
sit instrumentum animæ, id quippe sui corporis viribus
efficit, igitur debet simul corpore, & anima puniri vel
præmiari. Quamobrem vltimam resurrectionem
necessariam esse, manifeste constat. Quinto, & forte
clarius. Ex diuina prouidentia, mali, & qui vsque in fi-
nem in læталibus criminibus perseuerant, Simul cum
corpore, & anima puniri merentur. Sed non tantum in
hac præsenti vita puniuntur, quinimò diuitijs, & ho-
noribus fulgent, dicente Psalmista. Vidi impium su-
Hiere. 12 perexaltatum, & eleuatum. Hieremias quoque con-
queritur dicens. Quare via impiorum prosperatur,
& bene est omnibus qui operantur malum, &c. Simi-
liter boni qui ex eadem prouidentia præmiari meren-
tur, econtrario affliguntur, calumniantur, multaque di-
Optima ratio. scrimina patiuntur. Igitur vt diuina saluetur proui-
dentia, dari alteram vitam opus est, in qua homines
constent ex anima, & corpore vt ibi pro bonis, & ma-
lis retributionem accipiant. Sexto, membra debent
conformari capiti, sed caput nostrum Christus viuit in
Roma. 6. æternum in corpore, & anima, dicente Apostolo. Chri-
stus resurgens ex mortuis iam non moritur. Igitur &
nos omnes qui sumus membra eius, resurgemus, vt vi-
uamur in æternum.

De secundo articulo .s. vniuersali iudicio, loquitur
Isa. 3. 65. Isaias dicens. Dominus ad iudicium veniet cum sena-
toribus, & senibus populi sui. Et dominus per eundem
Prophetam. Ecce ego creo cœlos nouos, & terram no-
uam, & amplius non erunt in memoria priora, Rursus
Dan. 7. Daniel. Aspiciebam inquit, donec Throni positi sunt,
& antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum
quasi nix. Et paulopost subdit. Millia milium ministra-
bant ei, & decies centena millia assistebant ei. Et sedit
iudicium facere, & libri aperti sunt, Deinde reg us Pro-
pheta clamet. Iudicabit orbem terrarum in iustitia, &
Apoc. 10. populus in equitate. Ioannes præterea in Apocal.
idem

idem testatur dicens. Et vidi mortuos magnos,& pusil los stantes in cōspectu Throni,& libri aperti sunt,& iu dicati sunt mortui ex his quæ scripta erāt in libris, &c.

Non est ignorandum deinde, septem præcipue esse necessaria ad vniuersale reprobórum iudicum. Videlicet, Iudicem, Reum, vel reos, Accusatorem, seu accusa- *Iudicium* tores, Crimen vel crimina, pro quo vel quibus fit accu *quadruplex.* satio, Testes, Locum, Sententiam. Quo ad primus dici mus quadruplicem esse iudicium, scilicet, auctoritatis, *Matt. vlt.* potestatis, dignitatis, & approbationis. Primum conuenit soli Deo, qui super omnia habet plenam auctori tatem, Secundum conuenit Christo dicenti. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Et Ioannes. *Ioan. 5.* Pater omne iudicium dedit filio. Ipsæ est enim (vt *Act. 10.* in Actis scribitur Apostolorum) qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. De Christo etiam scribit Iudas Apostolus. Ecce veniet Dominus in Sanctis milibus suis facere iudicium contra om nes, & arguere impios de omnibus operibus impietatis eorum. Tertium iudicium conuenit Apostolis, & *Iuda 1.* successoribus suis, dicente Saluatore. Cum sederit filius *Matth. 19* hominis in sede maiestatis suæ, debebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Su per quibus verbis dicit Augustinos vigesimo de ciuitate Dei, cap. 5. per duodecim tribus Israel intelligitur vniuersitas iudicandorum, & per duodecim Apostolos, omnes viri perfecti designantur de quibus Sapiens. Iu *Sapien. 3.* dicabunt nationes, & dominabuntur populis. Quartum iudicium cōuenit omnibus electis, iudicium Chri sti approbantibus, iuxta illud Apocalypsis. Audiui vocem tubarum multarum cœlo dicentium, Alleluia. Laus, gloria, & virtus Deo nostro, quia vera, & iusta *Apoc. 19.* sunt iudicia eius. Dicuntur etiam minus mali peiores iudicare ratione minoris sceleris perpetrati, sicut domi nus ait in euangelio. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. *Luc. 11.*

Quo ad secundum asserendū est omnes homines de cedentes in peccato extra gratiam, & charitatem, reos

esse ad generale iudicium venturos. Et si quæras, quomodo igitur intelligitur illud Psalmi, Non resurgent impij in iudicio, dicendum est illos non resurgere vt iudicentur iudicio discussionis, quia tam horrenda erant peccata sua, quòd discussione non indigent. Tamen resurgent in iudicio punitionis. Nam in eodem sequitur Psalmo. Neque peccatores in consilio iustorum, scilicet sententiæ approbatione. Resurgent nihil ominus & apparebunt coram iudice vt puniantur. Ita quando dicitur qui non credit iam iudicatus est, quia pro iudicato habetur, & habet causam suæ damnationis, de infidelibus intelligitur quo ad discussionem. Et nota, quòd homines in iudicio in multiplici erunt differentia. Alij iudicabuntur, & peribunt, quorum mala finaliter prævaluerunt. Alij non iudicabuntur, & peribunt, videlicet qui fundamento fidei carebunt. Alij vero iudicabuntur, & saluabuntur, vt ij quorum merita bona fuerunt permixta malis, sed bona prævaluerunt, & de malis pœnitentiam egerunt. Alij non iudicabuntur & saluabuntur, vt viri perfecti, sicut virgo Maria, Ioannes Baptista, Apostoli, & Martyres, & alij quàm plures. Similiter, & paruuli sacri baptismatis vnda renati, scilicet examinationis iudicio.

Quõ non resurgẽt impij in iudicio.

Quadruplex differentia hominum in iudicio.

Quo ad tertium, scilicet de accusatoribus, tres erunt principales accusatores, vt diuinę testantur historię. Primus, conscientia propria cuiuscunque, iuxta illud Danielis. Seditque iudicium, libri aperti sunt, scilicet conscientiarum hominum, & iudicati sunt mortui, vt inquit Ioannes, ex his quæ scripta sunt in libris, id est in proprijs conscientijs. Ideo Hieremias. Arguet te malitia tua, Apostolus quoque. Testimonium reddente illis conscientia eorum. Tunc enim in conscientia vniuscuiusque patebunt omnia scelera, & qui de peccatis pœnitentiam non egerunt in conspectu totius mundi confundentur. Vnde Gregorius ait. Nullus erit accusator vbi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, liber est inter accusatores, & liber sine accusatione esse non potest, si sola conscientia accuset.

Dan. 7.

Apoc. 20.

Hiere. 2.

Rom. 2.

Conscientia quomodo accusat.

Gregor.

Deinde

Deinde scriptura sacra erit accusatrix, dicente Ioanne. *Ioan. 5.* Est qui vos accusat, Moyses, & lex Moysi. Ita lex Christi nos causaliter accusabit. Postremo cœlum cum omnibus creaturis, iuxta illud Iob. Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum. *Iob 20.*

Quo ad quartum dico, quòd in iudicio non deerunt testes. Angeli enim aderunt testificantes, vt inquit Chrysostomus, quantum administrauerunt à Deo missi. Rursus. Testis erit clamor pupillorum, orphanorum, viduarum, & oppressorum. De quibus Sapiens. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores illorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes, &c. Non deerit proinde conscientia propria testimonium reddens contra reum, dicente Augustino. Quando Deus iudex erit, nullus alius testis erit, præcipuæ inter Deum & te, nisi conscientia tua, quæ testificabitur de omnibus malis operationibus tuis. *Sapien. 5.* *Conscientia testis.*

Quo ad quintum, Euangelista fatetur accusationem & discussionem fieri de criminibus præcipuæ contra opera misericordiæ, & charitatis. Alia tamen peccata non pertransient in discussa. Imò nec hora temporis quo ad operationem, nec verbum ociosum, nec mentis vagatio sine maxima pertransibit examinatione, quemadmodum Dominus asserit in Euangelio dicens. De omni verbo ocioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Si de verbis ociosis, quid de operibus? *Matth. 12.*

Quo ad sextum, scilicet, de loco iudicij in quo congregandi sunt omnes homines, loquitur dominus per Ioëlem prophetam dicens. Adducam omnes gentes in valle Iosaphat, & disceptabo cum eis. Accipitur enim ibi pars loci pro toto. Quoniam vt fertur, vallis illa cum monte Oliueti, est quodammodo in medio terræ habitabilis situata. Erit enim tunc temporis Christus in medio cœli, & tanquam sol ibi existens ab omnibus *De loco iudicij.*

1. Theſſ. 4 videbitur. Superficies autem terræ erit tota plena hominibus malis. Electi vero, & ſancti iuxta illud Apoſtoli rapientur in nubibus obuiam Chriſto in area, ſed perfecti eminentius, & magis prope iudicem erunt. Reprobi vero in terra ſtabunt, vt dictum eſt. In valle Ioſaphat, id eſt, in loco iudicij ſecundum nominis interpretationem.

Quo ad ſeptimum, horribilem ſententiam audituri ſunt mali de ore iuſtiſſimi iudicis dicentis. Ite maledicti, &c. de qua infra dicetur.

Dicit ergo Euangeliſta. Cum autem venerit filius hominis, motu locali, & corporali deſcenſu. A cœlo empyreo ad iudicium qui ſecundum ſuam diuinitatem immenſus, & immobilis eſt. In maieſtate ſua, id eſt, in ſua magna poteſtate, corporeque glorificato. Et omnes Angeli ſancti cum eo, qui in ſua Aſcenſione dixerant apoſtolis. Viri Galilei quid aſpicitis in cęlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cęlum, ſic veniet. Siquidem Angeli ſancti tunc viſibiliter omnibus apparebunt, tum propter iudicis reuerentiam, & ad malorum terrorem, tum ad accuſationem eorum qui Angelicis monitionibus noluerunt aſſentire, tum vt exequantur ſententiam iudicis in reos, tum denique vt proijcient, & contrudent tam dæmones quàm homines perditos in inferno, iuxta Saluatoris ſententiam. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis. Tunc Iudex ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, id eſt, in ſua iudiciaria poteſtate reſidebit, vel ſuper eccleſiam in qua eſt ſedes Dei. Et congregabuntur, ſcilicet ab Angelis gentes quorumcunque temporum, graduum, conditionum, ętatum, & ſtatuum ante eum. Et ſeparabit eos ab inuicem loco, & præmio, ſicut paſtor ſegregat tempore ſerotino oues ab hędis, in diuerſis ſtabulis eos locando. In die enim ſimul paſcuntur, ſed in ſero ſegregantur. Sic durante die, & tempore gratię ſimul in eccleſia habitant, & veſcuntur electi, & reprobi ſed in veſpere, hoc eſt in conſumatione ſeculi ſecernentur, & diuidentur. Et ſtatuet quidem non humana, ſed diuina

Angeli viſibiliter apparebūt in iudicio.
Marc. 13.

viri...

virtute, oues, id est, electos qui propter innocentiam, simplicitatem, vtilitatem, & operum bonorum fęcunditatem, ouibus comparantur, iuxta illud. Nos autem populus eius, & oues pascue eius. De quibus Christus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Illos quippe statuet à dextris, id est, in potioribus bonis, prosperis, in consolatione & spe bona. Hedos autem à sinistris, id est, in aduersis & tristibus in desolatione & ignis combustione. Reprobi enim per hędos significantur, quoniam hedus est animal petulans, lasciuum, infructuosum semper feruens ad coitum. *Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Sitiui & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & cooperuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebũt iusti ei dicentes. Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autẽ te vidimus hospitem, & collegimus te aut nudum & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis. Amen dico vobis quãdiu fecistis vni de his fratrib⁹ meis minimis, mihi fecistis.*

Oues quomodo figurãt electos.

Per hædos figurantur reprobi.

Duplex perinde dicimus esse iudicium, scilicet, condemnationis & remunerationis. De primo dicetur infra, de secundo hic loqui decet, ad quod tria sunt præcipuæ necessaria. Scilicet iudex qui Christus est, deinde examinatio de operibus misericordiæ, quæ omnia opera bona complectuntur, postremo præmium quod est regnum cœlorum. Dicit ergo Euangelista. Tunc dicet rex. Ecce quomodo non amplius appellat ipsum filium hominis, sed regem, cui conuenit subditos regere, leges condere, legis transgressores punire, obseruatoresque præmiare. Nam tunc temporis non quæret Pilatus, ergo rex es tu. Non dicent Iudæi, non habemus regem nisi Cæsarem. Non amplius dicet Christus, Regnum meum non est de hoc mundo. Sed dicet inquam rex, videlicet.

Iudiciũ duplex cõdemnationis & remunerationis.

Apoc. 19. illæ qui habet in vestimento & in femore suo scriptum, Rex regum, & dominus dominantium. De quo Hieremias. Regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Et Psalmista. Deus iudicium tuum regi da. His qui à dextris eius erunt. Venite ad alta cœlorum benedicti patris mei, sanctificati, gratijsque repleti à patre meo. Possidete hereditaria perpetuaque possessione paratũ vobis regnum à cõstitutione mundi, id est cœlum empireum, ipsiusque delitias in principio mundi creatum, propter electorum habitationem. O igitur dulcissima locutio, ò, verbum iucundissimum, ò, vox suauissima Iesu Christi ad æternas delitias electos aduocantis, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere &c. Nam hic ponuntur sex opera misericordiæ, quibus septimum solet addi, scilicet, mortuorum sepelitio. Quo modo autem electi exhibuerunt hæc Christo, ipse post pauca exponit dicens. Hospes eram, & collegistis me, prout scribitur in Isaia. Egenos, vagosque induc in domum tuam. Vnde Iob. Foris, inquit, non remansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. Hinc Paulus hortatur. Hospitalitatem nolite obliuisci. Nudus eram & operuistis me vestibus, prout Ioannes Baptista nos admonet dicens. Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti. Infirmus fui, & visitastis me consolationem & necessaria exhibendo. Hinc enim in Ecclesiastico scriptum est. Non te pigeat visitare infirmum. Ex his enim in dilectione firmaberis. Dicente Iacobo. Religio munda & immaculata apud patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. In carcere eram, & venistis ad me, causa alendi, cõsolandi, seu liberandi. Vnde scriptum est. Erue eos qui ducuntur ad mortem. Et Iesus. Libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi. Tunc respondebunt ei iusti dicentes. Domine, quando te vidimus esurientem, sitientem &c. Ista interrogatio non oritur ex dubitatione, sed quadã pietate & admiratione de iudicis benignitate. Eorum quippe cõsideratione ...

Hiere. 23 · Isa. 58. · Iob 31. · Hebr. 13. · Ioan. 3. · Eccle. 7. · Proue. 24. · Eccle. 4.

proteſtabitur eis quòd vera ſint iudicis verba. Ideo reſpondens rex dicet illis. Amen dico vobis, quoties feciſtis vni de his fratribus meis minimis, id eſt, alicui inopi quantumcunque in hoc ſeculo vili & abiecto, mihi feciſtis. Iſti enim ſunt corpus meum miſticum ideo tam grata habeo bona hi facta, ac ſi mihi exhibita fuiſſent. Deinde rex Chriſtus aggreditur iudicium condemnationis contra reprobos, quemadmodum ſubdit Euangeliſta dicens. *Tunc dicet & his qui à ſiniſtris eius erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui enim, & non dediſtis mihi potum. Hoſpes eram, & non collegiſtis me. Nudus, & non cooperuiſtis me. Infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei & ipſi dicentes. Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis dicens. Amen dico vobis, quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.*

Contra impios & reprobos qui miſericordiam & charitatem non habuerunt, terribili voce clamabit ſeueriſſimus iudex dicens. Ite maledicti in ignem æternum. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare &c. O crudelis locutio, ò, infelix diſceſſio, ò terribilis ſeparatio, ò, admirabilis condemnatio. At ideo condemnabuntur, quoniam opera miſericordiæ non fecerunt. Iudicium enim ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. Vbi Gregorius inquit. Si tanta pœna illi datur qui ſua non dediſſe conuincitur, qua pœna feriendus erit qui aliena redarguitur abſtuliſſe? Et ſi propter peccata cõmiſſionis impij tot cruciatibus puniuntur, quantum cruciandi erunt qui ſcelera commiſſionis perpetrarunt?

Iudicium condemnationis.

Pulchra Gregorij ſententia.

Et nota, quòd non ſine rationabili cauſa in die iudicij fiet diſcuſſio de operibus miſericordię, quoniam huiuſmodi opera ſunt magis homini connaturalia, Nihil .n. naturalius q̃ benefacere conſorti naturę. Et quoniã opera

opera misericordiæ directe & euidenter includunt charitatem virtutum reginam, necnon & cetera opera bona pulcherrime complectuntur. Proinde vt appareat quàm iustæ negetur reprobis tunc misericordia, qui nunc proximo misericordiam non impendunt. Rursus, vt homines ex his verbis Christi incitentur ad pietatis opera. Siquidem, beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Et beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Postremo ad insinuandum, quòd vniuersa salus nostra pariter & gratia, & quicquid in nobis boni est, ex misericordia Dei procedit, depẽdet, & perficitur.

Cur in iudicio fiet mentio de operibus misericordiæ tantum.

De eodem vniuersali iudicio pulcherrime super Psalmo, centesimo nono.

D*Ixit dominus domino meo, sede à dextris mis.* Cui enim competit vniuersum iudicare, tria sunt sibi præcipuæ necessaria. Primo, vt sit summus Rex, ne aliud habeat supra se imperium aut temporale dominium. Secundo, vt sit summus Pontifex, id est, nulli spirituali dominio subijciatur. Tertio, vt sit summus Iudex, ne de ipsius sentẽtia ad alium superiorem fieri possit appellatio. Dauid autẽ Propheta in hoc Psalmo palam insinuare videtur Deum patrem tradidisse homini Christo filio suo, merito suę passionis hęc tria, scilicet, vniuersale regnum & imperium totius mundi, summamque potestatem, Sacerdotalem, siue Sacerdotium æternum, necnon & iudiciariam potestatem, vniuersaliter super omnem creaturam. Igitur Dauid Christum habere plenam auctoritatem iudicandi totũ viuersum, in hoc Psalmo clare ostendit. Ad istius autem Psalmi declarationem & euidentem notitiam, dimissis falsis Iudæorum assertionibus, dicendum est, quòd locutio Dei non est per vocis formationem, sed dicitur loqui, cum sapientia exijt ab eo, vel quando voluntatem suam alteri pandit, siue per inspirationem, siue per Angelum, quem

Iudicium vniuersale super Psalmo 109.

Locutio Dei quid.

quemadmodum scribitur. Locutus est Dominus ad Abraham, ad Moysen, &c. Deus autem pater (vt diuina pandit historia) pluries locutus est Christo filio suo. Primo, inuisibiliter ab æterno, quando produxit eundem filium suum, verbum sibi coæquale & consubstantiale, cui communicauit totam substantiam suam, essentiam, potentiam, & sapientiam. Iterum locutus est filio suo in principio temporis, cum dixit. Fiat lux, & facta est lux. Item, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Omnia enim per ipsum, cum ipso, & in ipso facta sunt. Rursus, locutus est pater filio suo in baptismate, & in transfiguratione, dicens. Hic est filius meus dilectus. Et ita locutus est etiam in die Ascensionis, quando assumpsit eum, quem sedere fecit ad dexteram suam, & tradidit sibi regnum & imperium, super omnes creaturas. Et ita dicere Dei idem est quòd facere. Dixit igitur Dominus, pater inquit Dauid, Domino meo Christo. Appellat enim ipsum Dominum secundum diuinitatem, cuius est pater secundum naturam humanam.

Pluries Deus pater locutus est filio suo.

Sede à dexteris meis. Sedere enim multipliciter sumitur in scripturis. Interdum vt dicit positionem siue situm in loco. Et sic soli animali conuenit. Nonnunquam idem est quod à labore quiescere Aliquando vero idem est, quòd residere siue possidere, vt cũ dicimus, rex residet in regno. i. possidet ipsum. Differunt etiam sedere à dextris & à sinistris ĩ Throno, in cathedra, & in iudicio. Sedere enim à dextris est in proprietatibus & in potioribus bonis Dei omnipotentis constitui. Sed opposito modo, sedere à sinistris, aduersitas æternamque damnationem designat, iuxta illud Euangelij. Statuet quidem Dominus oues, id est, electos a dextris hœdos vero, id est, reprobos à sinistris. Sedere in Throno regnare est. In cathedra vero docere, quia super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Sicut sedere in iudicio est iudicare ibi cum veneri Filius hominis in sede maiestatis suæ. Sedere igitur quinque notat in scripturis. Primo regnare, nam reges

Sedere multiplex.

sedent,

ſedent,ceteris ſtantibus. Secundo, ſacerdotium,quoniam ad pontificem, & ſummum ſacerdotem pertinet ſedere. Tertio,magiſterium.Magiſtri quippe ſedent Diſcipulis ſtantibus,& audientibus. Quarto, iudicium. Iudex nanque non poteſt ferre ſententiam niſi ſedendo. Quinto,notat quietem. Cum enim quiſpiam poſt laborem vult quieſcere,ſedet.

Sedere no- [illegible] quinque

Dextrum inſuper plura habet ſignificata in vtroque teſtamento.Interdum dicit poſitionem in loco, ſiue differentiam poſitionis,cuius oppoſitum eſt ſiniſtrum. Et ita Chriſtus non ſedet à dextris Dei, nec ſecundum diuinam aut humanam naturam. Id enim ſolis rebus corporeis competit. Aliquando dextrum dicit æqualitatem in eſſentia,&potentia,quonammodo filius Dei ſedet à dextris patris ſecundum diuinitatem.Nonnunquam etiam dicit principium vnde motus,quemadmodum oriens, pars dextera mundi,dicitur, à quo incipit primus motus. Animal quoque dexteram habet,vbi incipit operari. Rurſus,dicitur dextrum omnis proſperitas,cuius ſiniſtrum eſt aduerſa fortuna, & ita Chriſtus dicitur ſedere à dextris Dei, inquantum homo, id eſt in ſuis bonis æternis. Quid eſt ergo dicere ſede a dextris meis, niſi accipe dominum regnum, omnium creaturarum imperium tam ſpirituale quàm temporale, ſacerdotium magiſterium, iudicium, ac perpetuo tempore quieſce in omnibus bonis meis.

Dextrum plura ſignificat.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Id aduerbium donec interdum ſignificat determinatum tempus,vt cum dicitur,ſede hic donec legam.Nam poſt lectionem non oportebit te amplius ſedere. Sic intelligitur. Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt, quia poſt Aduentum Chriſti nõ erit Rex temporalis de Tribu Iuda. Aliquando,tẽpus ſignificat indeterminatum,& infinitum,vt cum dicitur, Orietur in diebus eius iuſtitia,& abundantia pacis, donec auferatur Luna. Sed quia Luna nunquam auferetur,ideo pax Chriſti nunquam ceſſabit. Et ſecundum hunc ſenſum Propheta loquitur, vbi donec ponitur pro

Donec duo tempora ſignificat.

pro quandiu. Rursus, inimici Christi sunt præcipuæ, & quinque genera personarum, scilicet, Dæmones, infideles, Iudæi, Hæretici, Impenitentes Dæmones enim fuerunt sibi subiecti in principio suæ natiuitatis, quando Idola corruerunt in Aegypto, quos etiam eiecit de corporibus obsessis. Similiter Christus subiecit dæmones inimicos suos, quando descendit ad inferos, ibíque quadraginta horis sedit tanquam iudex, & condemnauit eos, ligauitque dæmonem, & expoliauit infernum. Proinde, cum pœnitus eiecit eos ab idolis, & omnia Idolorum nomina destruxit. Rursus, subiecit sub pedibus suis omnes inimicos suos iudæos, quando abstulit ab eis hostiam, sacrificium, & sacerdotium, & eos per Romanos destruxit, captiuauit, & dispersit, necnon, & in seruitutem sub Christianis, & Saracenis redegit. Subiecit insuper sibi omnes inimicos gentiles, quosdam puniendo, & quosdam ad fidem suam conuertendo. Sed id magis apparebit in die iudicij quando omnes damnati inimici eius erunt in terra tanquam scabellum pedum eius, & condemnabit eos cum Diabolo, & Angelis eius ad pœnam æternam. Iustos autẽ secum assumet ad perpetuam felicitatem. Nam tunc temporis completa erit hæc Prophetia, scilicet, Donec ponam inimicos tuos: Iuxta illud Apostoli dicentes. Deinde finis cum tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & potestatem, & virtutẽ. Oportet aũt illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissimæ autem inimica destruetur mors.

Qui sunt inimici Christi.

Hæc Prophetia complebitur in die iudicij.

1. Cor. 15.

Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Syon, dominare in medio inimicorum tuorum.

Quadruplex memoratur potestas in literis sacris, scilicet, Regia, sacerdotalis, doctrinalis, & virtutis: quarum quælibet figuratur per virgam. Nam de potestate regia loquitur Iacob patriarcha dicens. Non auferetur sceptrum siue virga de Iuda. Ideo Reges virgam gerunt in manu in signum regiminis, & dominij. De virga autem sacerdotali, legitur in libro Numerorum. quãdo data est virga ipsi Aaron sacerdoti. Iccirco pontifex

Gene. 49.

Num. 17.

tifex fert virgam pastoralem in manu insignum regiminis spiritualis. Rursus magister scolarium cum docet gerit virgam in manu, in signum doctrinæ. De quarta autem virga, scilicet virtutis habetur in Exodo, quam Deus dedit Moysi ad signa, & prodigia, ac miracula facienda. Est ergo quadruplex virga, scilicet regia, sacerdotalis, doctrinę, & virtutis. Hanc autem quadruplicem virgam tradidit Deus pater ipsi Christo filio suo inquátum homo. Christus vero tradidit eam Discipulis suis in die Pentechostes, & Ascensionis, quando misit eos p totum vniuersum. Qua virga Apostoli subiecerunt Christo omnes inimicos suos. Siquidem vt nonnulli Doctores asserere videtur in eadem domo in qua Dauid compilauit hunc Psalmum, Christus fecit cœnam cum Discipulis suis, ibi sacramenta instituit, in eodem loco sedit in medio Discipulorum suorum post resurrectionem, & scripturarum aperuit sensum. Proinde in eodem loco, die octauo dedit potestatem Apostolis remittendi, & retinendi peccata, dicēs. Accipite Spiritum sanctum, &c. ibi acceperunt Spiritum sanctum in die Pentec. & omnia dona gratiarum, & genera linguarū. Ibi Petrus cœpit miracula facere, vt in vna die conuerterentur quatuor milia hominum. Ex quibus palam insinuatur qualiter virga virtutis Christi, & potestas eius egressa est de Syon, & per totum vniuersum magnifica. Dicit ergo Dauid. Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Syon. Inde subdit. Dominare in medio inimicorum tuorum. Id enim verificabitur in die iudicij, quando inimici Christi resuscitati cooperient vniuersam terram, & Christus cum magna potestate, & maiestate apparebit in medio cœli. Tunc enim per euidentem experientiam manifestabitur vniuersale dominium Christi super omnia. Tunc quippe ad suum imperium, cœlum, & terra mouebuntur, & mortui resuscitati omnes cognoscent vniuersale Dei regnum & omnipotentiam in punitione malorum, & retributione bonorum. Tunc perfectæ, & clare omnibus, ostendetur, qualiter Christus regnat in medio

Exod. 3.

Virga quadruplex potestatem quadrup. signat.

Virga quomodo de Syon egressa est.

Quando dominabitur in medio inimicorū.

dio inimicorum ſuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante Luciferum genui te.

Non decet inſuper eum, cui competit totum vniuerſum iudicare eſſe purum hominem, quoniam oporteret, & ipſum iudicari. Sed eſſe Deum, & hominem vnicum filium Dei, cui iure hæreditario debetur ſibi regnum mundi, & iudicium facere, vt ab omnibus adoretur, glorificetur, & veneretur. Ideo ad hoc inſinuandum ſubdit Propheta. Tecum principium, per quod intelligitur natura, ſeu eſſentia diuina primum omnium principium à quo facta ſunt omnia. Quæ quidem natura diuina ſemper fuit humanitati coniuncta in initio conceptionis eius à quo incœpit dies virtutis Chriſti. Nam in primo inſtanti ſuæ incarnationis mira incœpit operari, vt liquet de ſanctificatione Ioannis Baptiſtæ, de paſtoribus, Angelis de ſtella, & Magis, de baptiſmate. Præcipuæ autem virtutes, & miracula operatus eſt in vltimis tribus annis. Magis vero in die paſſionis, & reſurrectionis eius, quando vincens Diabolum, ſpoliauit Infernum. Dicit ergo Propheta. Tecum principium, id eſt natura diuina in die virtutis tuæ, id eſt tempore quo operatus es virtutes. Quinimò, & ſemper tecum fuit in ſplendoribus Sanctorum, hoc eſt in toto tempore poſt reſurrectionem cum accepiſti gloriam, & ſplendorem pro te, & Sanctis tuis, cuius ſplendor nunquam cognoſcet occaſum. Deinde Dauid in hac Prophetica viſione inducit patrem ſic alloquentem filium. Ex vtero ante Luciferum genui te. Id eſt ex memoria fœcunda, & de tota ſubſtantia mea ante omnem creaturam, ſtellarum, & Angelorum, genui te. Et ſignanter dicit ex vtero non ex corde vel intellectu, quia omnia ſunt in Deo per modum intellectus. Itaque ſi de corde vel intellectu diceretur genuiſſe, poſſet intelligi pro modo quo nos ſumus in Deo, & procedimus ab ipſo velut ab artifice, & conditore per voluntatem, & intellectum.

Summum iudicem oportet eſſe Deum & hominem.

Principiũ omnium natura diuina

Dixit

Vterus quod sit. Dixit tamen ex vtero, quoniam verus locus est naturalis generationis & formationis fœtus. Ideo cum dixit ex vtero genui te, nō potest intelligi nisi de filio, qui consubstantialis est patri, & per modum naturæ ab eo genitus, & non velut ab artifice factus vel creatus.

Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Quoniam supradictum est ipsum fore summum Sacerdotem cui exigit iudicare viuos & mortuos opus esse, ideo subdit Propheta, Iurauit Dominus &c. Vbi quattuor asserit de Christo. Primo, ipsum esse summum Sacerdotem, & hoc æquidem verum est. Tum quia vnctus fuit iuxta illud Psalmi. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Tum quia obtulit seipsum in sacrificium, & hostiam Deo. Tum quia septem sacramenta instituit. Tum quia dedit virtutem & efficaciam sacramentis. Tum denique, quia instituit Apostolos, Episcopos, & sacerdotes. *Christus quomodo summus Sacerdos.* Secundo, ostendit ipsum esse Sacerdotem cum iuramento. Nam iusiurandum Dei in vtroque testamento summitur pro immobilitate & certitudine propositi Dei. Quicquid enim asserit cum iuramento, notat illud fore ineuitabile & irreuocabile verbum, veluti iam factum, & esse sempiterne veritatis, & perpetuæ immutabilitatis. Ideo dixit. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. *Iusiurandum quid.* Tertio, fatetur Christum esse Sacerdotem æternum. Vbi nota, quòd non capitur hic æternum pro re quæ terminis caret, siue principio & fine, vt est Deus. Nec capitur æternum vt idem est, quòd coæuum, quemadmodum circuncisio dicitur æterna legi & pacto Abrahæ, quia quandiu durauit lex & pactum, & illa ætas, tandem circuncisio perseuerauit, scilicet, vsque ad Christum. Solet etiam dici, vir est æternus vxori, qui quandiu vixerit non potest separari ab ea per totam ætatem & vitam eius, & versauice. Sed sumitur hic æternum, cui nullum aliud tale succedit. Et *Aeternum triplex.* Euangelica lex æterna est. pariter & Sacerdotium Chr-

Chriſti dicitur æternum, quia nulla alia lex, nec ſacrificium ſuccedet. Ideo Apoſtolus. Translato ſacerdotio, neceſſe eſt vt, & legis translatio fiat Chriſtus quoque ait in cœna. Hic ex calix ſanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti. Nouum quippe, inquantum veteri ſucceſſit. Æternum autem, quia nullum aliud ſibi ſuccedet. Quarto, affirmat ipſum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Primo, ratione dignitatis. Abraham enim dignior fuit omnibus ſuis deſcendentibus, & tota tribu leui ſacerdotali. At Melchiſedech maior fuit ipſo Abraham, à quo decimas accepit, & benedixit ei. Quamobrem Melchiſedech aliorum ſacerdotum digniſſimus erat. Rurſus, Chriſti figura fuit in officio, & dignitate. Nam Melchiſedech ſicut, & Chriſtus rex, & ſacerdos erat. Proinde, Melchiſedech interpretatur rex iuſtitiæ. Ita Chriſtus, tum quia omnes nos iuſtificauit per mortem, & paſſionem, tum quia ex patre omnem poteſtatem accepit iudicandi, & ſic eſt verus rex iuſtitiæ. Et quemadmodum illæ fuit rex ſalem, ita Chriſtus fuit verus rex pacis, qui in ſanguine ſuo omnia pacificauit, & nos patri reconciliauit. Poſtremo Melchiſedech geſſit figuram eius in ſacrificio, & oblatione. Quia ſicut illæ obtulit panem, & vinum pro Abraham Deo altiſſimo, ita Chriſtus ſacrificium inſtituit Euchariſtiæ, in quo obtulit ſeipſum, ſub ſpecie panis, & vini, in memoriam paſſionis ſuæ.

Hebr. 7.

Melchiſedech figura Chriſti.

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges.

In omnibus enim proſperitatibus, inquit, Propheta miraculis, & iudicijs, Dominus tecum erit. Confregit reges in ira ſua, ſcilicet, Neronem, Domitianum, & Diocletianum, ac ceteros reges, & tyrannos, quando pœna temporali, & æterna puniuit. Omnes etiam tam reges, & principes, & prælatos, quàm falſos iudices, & impœnitentes deſtinabit ad pœnam æternam. Ideo Dauid in perſona patris ſic alloquentis filium ait. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga

ferrea, scilicet in die iudicij, & tanquam vas figuli confringes eos. Et tunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Quoniam subdit Propheta.

Iudicabit in nationibus implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

Quid est dicere, iudicabit in nationibus? nisi quia omnes nationes tunc temporis iudicabuntur, iuxta illud Apostoli. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat, vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum. Quadruplex igitur erit iudicium, Primum, infidelium, Paganorum, Turcharum, quibus dicet dominus, Discedite a me maledicti in ignem æternum, quia nunquam noui vos. Secundum erit Iudeorum contra quos iudicabunt apostoli, viri Niniuitarum, & Regina Saba, secundum domini sententiam. Tertium erit malorum Christianorum, & reproborum, dicēte domino. Ite maledicti, &c. Quartum vero prædestinatorum, & electorum, patris audient vocem sponsi dicentis. Venite benedicti patris mei, &c. Congrue ergo dicit. Iudicabit in nationibus: implebit ruinas. Triplicem enim ruinam implebit. Primo, ruinam corporum, & cadauerum mortuorum reparabit, quia mittet Angelos suos vocans omnes mortuos à quattuor ventis terræ, & congregabit eos in vallem Iosaphat, id est in locum iudicij. Et ita ruina corporum, & mortuorum, erit impleta, & reparata. Secundo, Christus implebit, reparabit, & rectificabit ruinam iudiciorum triplicem. Siquidem Christus omnia opera mala ab initio mundi quæ non fuerunt iudicata, eo quòd nullus potuit eos corrigere, nec facta eorum iudicare. Si enim Imperatores, Reges, Duces, potentissimi Principes, summi Sacerdotes, Cardinales, &c. Latrocinia, committunt, furta, homicidia, adulteria, sacrilegia, fornicationes, & alia atrociora mala, quis audet eos redarguere vel iudicare? Quo iudicio iudicabuntur, & punientur in terra? Nullo quidem tempore. Sed tunc temporis in consummatione seculi cum venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ, iudicabit lorum

2. Cor. 5.

Quadruplex iudicium.

Triplicem ruinam implebit Christus in die iudicij.

lorum mala opera non iudicata. Proinde Christus iudicabit malæ vindicata, puta ea quæ iudices huius mundi propter amorem vel odium, metum vel lucrum, malæ iudicarunt. Quæ omnia Christus rectificabit in iudicio generali. O igitur iudices, summum iudicem audite dicentem. Iudicium quærite, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me. Et alio in loco. Non accipietis personam neque munera, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Nam contra vos clamat Malachias Propheta. Iudicij dies veniet, succensa quasi caminus, & erunt omnes iudices superbi, & omnes facientes impietatem stipula. & inflammabit eos dies veniēs, quæ non relinquet eis radicem, & germen. Rursus. Iudicabit Christus facinora occulta, puta homicidia, adulteria, & alia id genus, quæ in hoc mundo non fuerunt manifesta, nec per pœnitentiam deleta. Talia quippe manifestabuntur in iudicio. Hæc igitur tria. s. non iudicata, & occulta, ruinæ iudiciorum merito dicuntur, quas in die iudicij Christus implebit, & renouabit. Tertio, ruinam Angelorum implebit, & reparabit, quia tunc erit completus numerus electorum, & implebuntur sedes de quibus corruerunt Angeli mali. Et conquassabit capita in terra multorum, scilicet, principum, & regum, & aliorum damnatorum, in terra, scilicet, in inferno qui est in inferioribus partibus terræ, quia tales non ascendunt in cœlum, sed eorum capita conquassabuntur, pœna æterna, quando dicetur eis, Ite maledicti in ignem æternum.

Ruinā iudiciorū triplicem implebit.

Isa. 1.

Deut. 1.

Malac. 4.

Quomodo conquassabit capita.

De torrente via bibit, propterea exaltauit caput.

Si quispiam quæreret quibus meritis, & quibus laboribus, & triumphis meruit Christus obtinere regnum super omnem creaturam, & sacerdotium æternum, necnon, & iudiciariam potestatem super omnes homines, & Angelos, respondet Propheta dicens. Quia de torrente in via bibit. De torrente quidem tantarum persecutionum, & laborum, & opprobriorum, passionis quoque crucis, &

Quomodo Christus de torrente in via bibit.

mortis in via huius mundi, inquantum viator erat. Ideoque in præmium tantorum laborum, tantæque humilitatis, & charitatis, quia humiliauit semetipsum vsque ad mortem crucis. Ideo exaltauit caput, honorem, & regnum suum, & potestatem super omnes creaturas vt dictum est, & pater dedit illi nomen quod est super omnem nomen, scilicet, Iesus, quod Saluator interpretatur, Quamobrem Ioannes vidit in Apocalypsi agnum stantem à dextris patris in Throno, & vigintiquattuor seniores qui ceciderunt coram agno mittentes coronas suas, & dicentes. Dignus es domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram, in sæcula sæculorum, Amen: ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.

Apoc. 5.

FERIA TERTIA PRIMAE dominicæ, super Euangelio Matthæi.

CVm intrasset Iesus Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas dicens. Quis est hic? populi autem dicebant. Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilea. Introitus iste in Hierosolymam factus est Dominica Oliuarum, quando venit, Dominus ad ipsam ciuitatem in qua passurus erat. Illuc enim veniebat caput occidendum, vbi Prophetæ membra sua fuerant interfecti. Et commota est vniuersa ciuitas à voce clamantium, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Et ex multitudine committantis turbe, cum ramis palmarum. Cuius commotio præsagium fuit commotionis proxime futuræ in mortem Christi, dicente Propheta. Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Erat igitur commotio ciuitatis, dicentis. Quis est hic? Quæ quidem quæstio est admirantium, nescientium, & contemnentium.

Quæstio, quis est hic? quid significat.

Nam

Nam admirantes, nescientes, & indignantes dicunt. Quis est hic? Admirabantur quidem omnes, nesciebāt simplices, indignabantur vero principes. Vnde Cypria nus. Hoc inquit, dicebant principes qui dedignabantur cognoscere, quem populus reuerebatur. Populi autem .s. minores, & qui cum Iesu veniebant, quattuor de Christo fatebantur. Primo, dicebant, hic est, iuxta illud Baruch. Hic est Deus noster, & non extimabitur alius Deus. Secundo, Iesus, id est Saluator. Ipse enim, inquit, Matthæus saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Tertio, Propheta, iuxta illud Ioannis. Hic est veræ Propheta, qui venturus est in mundum. Minus autem dicunt, sed plus intelligunt. Non enim magnum est Christo esse Prophetam futura prædicentem, sed magnum est ipsum esse Prophetam prophetias implentem, de quo Dominus ad Moysen Prophetam suscitabo de medio fratrū suorum similem tui, &c. Quarto, à Nazareth Galileæ in quo Christus habitauit cū matre, & Ioseph. Ideo Nazarenus appellatus est in Euangelio.

Cyprianus. *Baruch 3.* *Matth. 1.* *Ioan. 6.* *Deute. 18.* *Ioan. 6.*

Nos, itaque, & quattuor de Christo admirantes quęrimus. Primo de æterna ipsius origine, dicentes. Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi? Proinde de ipsis incarnatione vna cum Virgine quærimus, Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? Rursus, de eius incomprehensibili sapientia, Vnde huic sapientia, & virtutes? Quomodo hic litteras scit, cum non dedicerit? Postremo, quærimus de eius potentia, Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei? Sed in his omnibus, quis ipsæ sit, interrogemus eum. Tu quis es? Et respondebit. Ego principium, qui, & loquor vobis.

Quomodo quattuor quærimus de Christo. *Matth. 15.* *Ioan. 7.* *Matth. 7.* *Ioan. 8.*

Et *mirauit Iesus in Templum Dei, & eijciebat omnes vendentes de Templo, & ementes, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Et dicit eis? Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum caeci, & claudi in Templo, & sanauit eos.*

Triplicem Christi operationem distinguit Euangelista. Primo, gloriam, honorem, & reuerentiam Dei ingrediens templum tum quia in his quæ patris sui erant, oportuit eum esse, tum vt daret nobis exemplum primo intrandi in domum Dei, & quærendi regnum, gloriam, & creatoris honorem, dicente Rabano. Ingressus Christus in vrbem, statim templum adijt, formam religionis demonstrans, vt quocunque imus, primo domum orationis si adest, adeamus, & per orationes Deo commendati, postea ad agenda negocia secedamus. Tum tertio, vt in templo doceret, & errores corrigeret.

Sed quia nõ licebat nisi Sacerdotibus ingredi Templum Dei, ideo non est ignorandum quattuor fuisse atria Templi, quemadmodum Religiosorum claustra, Quorum primum Templo vicinius erat Sacerdotum, & Leuitarum, in quo erat altare holocaustorum sub diuo. Secundũ, quod basilica dicebatur, ambiebat, illud in quo orabant viri soli. In hoc, porticus Salamonis in qua reges orabant. Tertium, mulierum. Quartum vero, atrium immundorum ex populo Iudæorum commune Gentilibus. Et hæc atria nomine Templi communiter appellabantur, iuxta illud Psalmi. In domum Domini ibimus. Stantes erãt pedes nostri in atrijs tuis Hierusalẽ. Et rursus. Qui statis domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Cum ergo dicit Euangelista, Christum intrasse Templũ, & inde eiecisse negociantes non de ipsa domo Dñi, sed de atrio Templi intelligẽdũ est.

Quattuor atria Tẽpli

Deinde Christus iustitiam suam palam insinuauit, quoniam incœpit eijcere ementes & vendentes de Templo, & mensas numulariorum. Accedebat enim plerumque, vt de longe venientes victimas non haberent, neque pecuniam. Excogitauerũt ergo Sacerdotes, vt victimæ non deessent, & pecuniæ quas fœneratores sub debita cautione mutuarent. Et quia vsuras ab eorum proximis accipere, illis prohibitum fuerat, quædam munuscula diuersi generis recipiebant, vt poma, pira, mela granata, & alia id genus, putantes sine peccato vsuræ ea

recipere

recipere posse, cum tamen dicat Ezechiel. Vsuram, & superabundātiam accepisti,& auaræ proximos tuos ca lumniabaris. Proinde negociationis subuertit venalia, scilicet cathedras vendentium,& columbas euertit. Nam, vt Hieronymus ait, turtures, & pulli columbarum oblationes erant pauperum. Vnde ne ipsi sine oblatione recederent, etiam columbas Sacerdotes proponebant venales, quæ omnia Dominus subuertit. Sed heu quoniam his temporibus Christi fideles,& Sacerdotes auari in Templo & extra Templum his attrociora committunt. Cuius rei causam, subdit Dominus dicens. Scriptum est, scilicet apud Isaiam. Domus mea, domus orationis vocabitur. Quasi dicat. In Ecclesia non est negociandum, non luxuriandum, non confabulandum, sed orandum. Vos autem cupidi Sacerdotes fecistis illam speluncham latronum, dicente Hieremia. Nonne spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum? Quē admodum enim spelunca occultat latrones ad spoliandum transeūtes, ita sub specie commoditatis exhibendæ diuino cultui in domo Dei palliantur isti oppressores peregrinorum. Ecce Christus non dedignabatur manibus proprijs hæc euertere, vt monstraret non esse redeundum, nec ad illa, nec ad nostra attrociora negocia exercenda in Templo Dei.

Ezec.22.

Hieron.

Iustitia Christi ostenditur in templo.

Isa.56.

Hiere.7.

Hieronymus ideo non immerito dixit. Inter omnia signa, hoc videtur mirabilius vt vnus homo illo tēpore contemptibilis,& in tantum vilis, vt sexta die sequenti crucifigeretur, superbis, & Pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra sua destrui, potuerit vnius flagelli verbere tantam ejicere multitudinem, mensasque subuertere,& cathedras confringere,& alia facere, quę quodammodo infinitus non fecisset exercitur. Sed quare tanta multitudo non potuerit ei resistere, subdit Hieron. Igneum enim quoddam, atque sydereum radiabat ex oculis eius,& diuinitatis maiestas lucebat in facie, qua de causa omnes verebantur eum. Nec est ignorandum duabus quidem vicibus factam

Pulchra Hieronymi sententia.

fuisse hanc negociantium eiectionem de templo, propter duplex spirituale templum, misticum, scilicet, & morale, ex quibus lucra terrena sunt eijcienda. De primo Templo loquitur Apostolus ad Ephesios. In lapide Christo omnis ædificatio constructa, crescit in Templum sanctum in Domino. De altero ad Corinthios. Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Vtrunque templum est domus orationis. Nam extra Ecclesiam, & puram mētem nullus exauditur. Vtrunq; etiam Templū, cupiditas auaritiæ, efficit speluncam latronum, & abhominabile Deo.

Ephe. 2.

1. Cor. 3.

Duplex spirituale templum.

Sed mistice loquendo de Ecclesiæ cetu iusta Christi correctionem, eijciendi sunt negociatores, vsurarij, & simoniaci. Negociatores quippe sunt ementes & vendentes, ideo vilius emunt, non vt vtantur sibi, sed vt carius. Licita est enim negociatio necessitatis, illicita vero cupiditatis. Nam qui vendit, & emit propter status sui, & vitæ necessitatem, illæ bonus censendus est. Qui vero vendit, & emit simpliciter propter lucrum, illæ negociator est malus, quoniam cupiditati deseruit, quæ terminum non habet. Dicit enim Chrysostomus. Homo mercator, non potest placere Deo. Contra quos clamat Isaias. Negociatores tui ab adolescentia tua, vnusquisque in vna sua errauerunt, non est qui saluet te. Proinde eijciendi sunt de Ecclesiæ consortio vsurarij & fœneratores, qui in mensis computant pecuniam, tribuentes mutuum, & recipientes fœnus. Contra quos est regius Propheta Dauid, ita clamans ad Deum. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. Et subdit. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Scriptum est etiam in Exodo. Si pecuniam mutuo dederis populo meo, non vrgebis tamen quasi exactos, nec vsuris opprimes. Et in Leuitico. Non accipias ab eo vsuras, nec amplius quàm dedisti. Time Deum tuum, & fratri tuo non dabis pecuniam tuam ad vsuram, & frugum abundantiam non exiges. Ego Dominus istud præcipio. Quamobrem peiores sunt Christiani Iudæis.

Chrysost.

Isa. 47.

Negociatores, & fæneratores eijciendi sunt de ecclesia.

Exod. 21.

Leuit. 25.

Hi enim

Hi enim tantum ab alienis petunt vsuras, Christiani autem vsurarij nemini parcunt. Rursus, Eijciendi sunt simoniaci ab Ecclesia Dei, qui sacra emunt, & vendunt, & beneficiorum negociatores efficiūtur. Dominus enim eiecit de Templo vendentes columbas, & cathedras eorum subuertit. Nam per columbas teste Hieronymo, dona Spiritus sancti, vel Ecclesiæ sacramenta possunt intelligi. Sedentes autem in cathedra, sunt Pontifices & prelati, qui columbas, id est, gratiam spiritus sancti, dignitates, beneficia, præbendas, & sacramenta, vendunt. Contra id quod Dominus ait in Euangelio. Gratis accepistis, gratis date. Et Simoni Mago à quo ceteri simoniaci quærēti emere gratiam spiritus sancti, ait Petrus. pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, &c.

Hieron.

Contra symoniacos.

Act. 8.

Postremo, misericordiam Christus ostendit infirmos curando, quę fuit tertia ipsius operatio, quoniam per miraculorum operationem ostendit verum fuisse præconium sibi exhibitum à turba. Si quidem si totum Euangelicæ paginæ textum consideremus, inueniemus vbique doctrinę, & verbis Christi mixta fuisse miracula, quatenus supernaturalis veritas, supernaturalibus operibus comprobetur, vt fides nostra secundum Apostolum non sit in sermone, sed in ostensione spiritus, & virtute. Dicit ergo Euangelista. Et accesserunt ad eū cæci, & claudi in templo, & sanauit eos. Cęcis quidem præbuit visum, claudis vero dedit gressum, quia Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Nā tunc temporis, inquit, Isaias aperiētur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

1. Cor. 2.

Isa. 35.

Videntes, autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes, Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei. Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis. Vtique. Nunquam legistis, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam. Ibiq; docebat eos de Regno Dei.

Duplex

Duplex occasio inuidiæ Iudæorum. Duplex fuit occasio inuidię, scilicet, miracula quę fecerat Dominus, quando eiecit mercantium multitudinem, subuertit vt ensilia, deinde cœcos sanauit & claudos. Hæc sunt mirabilia quæ fecit Deus in carne, vt Deus esse cognosceretur, dicente Regio Propheta. David. Quis Deus magnus sicut Deus noster, tu es Deus qui facis mirabilia. Rursus, audierunt Principes Sacerdotum pueros clamantes, non ętate, sed puritate, non sensibus, sed malitia, iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 14. Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Hæc fuit quippe secunda occasio inuidiæ, laus, scilicet, quam ei populus exhibuit, & forte pueri ciuitatis audito clamore turbę, & ipsi secuti sunt clamantes, scilicet, Osanna filio Dauid, id est, ò Domine fili Dauid, salua nos. Osanna quomodo interpretatur. Vel Osanna, id est, Salua nos clamabant ipsi Christo filio Dauid. Vel, Salua nos Domine per filium Dauid. Et licet Dauid plures habuisset filios, vnus solus dicitur filius eius, secundùm promissionem, de quo Dominus ad Dauidem. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Angelus quoque ad Virginem. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius. Pueri ergo vocantes Christum Dauidis filium eum Messiam in lege promissum affirmant, ipsiusque regiam prædicant humanitatem, & diuinam supplicant salutem. Sed indignati sunt Scribæ, & Pharisæi. Siquidem indignatio motus est animi quo aliquis tristatur ex eo quòd quispiam indigna sibi agit, vel patitur. Indignatio quid. Indignum, ergo putabant Christum tantis laudibus. Eiectionem etiam vendentiū Christo non pertinere arbitrabantur. Ideo indignabant. Quibus Christus. Nunquid legistis, Ex ore infantium & lactentiū perfecisti laudem? Nam perfectio laudis est eam ferri ab indoctis, vbi veritas operatur, non ingenium. Simplices enim homines laudantes Christum, Scriptura infantes appellat, & lactentes. Infantes quidem, id est, non valentes loqui. Non enim est potestas naturæ, vel eloquentiæ vis, sed virtus Spiritus sancti, cuius virtute, idiotæ & simplices mirabilia dicunt, & ineffabilia loquuntur. De quibus Salamon. Sap. 10.

Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas. Lactentes vero, quia Christi humanitas mamilla regia est, nam processit ex progeniæ regum, de qua Isaias. Mamilla regum lactaberis. Huius mamillæ lac prædicatio humanitatis Christi est, quæ lac discipulis exhibuit, dicente Apostolo. Tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Lactētes igitur paruuli sunt, qui deitatis altiora misteria non capiunt, sed lacte humanitatis nutriuntur, & delectantur. At quoniam laudatores Christi ipsum Dauidis filium appellant, quod ad humanitatem pertinet, vtique lac suggentes sunt, dicente Petro. Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite, vt crescatis in salutem. Deinde relictis illis vt recedendo compesceret, quos sermonibus mitigare non potuit. Malitia enim non vincitur sermonibus, sed excitatur, Abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq. mansit cum Maria, Lazaro. & Martha. Et docebat eos pertinentia ad regnum Dei, &c.

Sapien.10. *Isa.60.* *1.Cor.3.* *Infantes, & lactenses, qui sunt.* *1.Pet.2.*

At mistice loquendo, mens rationalis Templum est diuinitatis, quemadmodum dixit Apostolus. Nescitis quia Templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis. Siquis autem Templum Dei violauerit, disperdet illum Deum. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. In quo nō est imago Dei mortua, sed viua. Non ab homine, sed à Deo facta. Quæ quidem imago ipsum est templum, scilicet, mens humana ad imaginem, & similitudinem Dei facta. Hanc imaginem nullus videre potest, sed seipsam imago ipsa intelligibiliter intuetur, & à suo videtur authore. Ex hoc quòd est imago Dei, ex eo capax ipsius est, vt sit Templum eius & domus orationis. Neque enim quispiam orare potest Deum, nisi in spiritu mentis ad seipsum reductus. Quoniam veri adoratores, inquit Ioannes, adorabunt patrem in spiritu, & veritate. Apostolus quoque. Nam si orem lingua, spiritus meus, orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu, orabo, & mente. Psallam spiritu, psallam & mente. Latrones,

1.Cor.3. *Quid templum Dei, spirituale.* *Ioan.4.* *1.Cor. 14.*

nes, dæmones sunt, qui Templum Dei speluncam habitationis suæ faciunt, illud Apocalypsis. Facta est habitatio dæmoniorum. Ibique fit negociatio, homo vendit, Diabolus emit; Res vendita, & empta, anima est, quam solam quærit Diabolus quodammodo dicens, illud Genesis. Da mihi animas, cetera tolle tibi. Pro parua delectatione, & modico lucro ingressus autem Dominus Templum mentis in feruore spiritus sui, & flagello cōminationis æternæ, eijcit dæmones emptores animarum, exactores culparum, & venditores innocentiæ. Purgato mentis templo, sanantur cœci, & claudi, quia nemo sanantur, nisi moribus expellatur. Cęcitas mentis, ignorantia est intellectus. Claudicatio impotentia ad bene operandum. Et nisi dominus suo introitu peccatorem præueniret, ad eum peccator non accederet. Ad introitum autem domini commota est vniuersa ciuitas mentis nostræ per contrictionem, & peccatorum abhominationem, dicens. Quis est hic qui iustificat animam? qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas? Dicente Psalmista. Commouisti Domine terram, & conturbasti eam, sana contrictiones eius, quia commota est. Nam Christus per gratiam veniens in animam, mouet rationem per contrictionem, & sanat per peccati expulsionem. Ratio autem redditur, quia commota est, scilicet, per peccati displicentiam, & per bonam voluntatem in Deo, quæ quidem omnia, ad iustificationem sunt necessaria. De iustificatione igitur potest fieri concio, de qua diffusæ scribitur primo Tomo. Diffusius autem Tomo 6. in quo fit singularis libet.

Quid cæcitas, & claudicatio mentis.

De iustificatione Tomo 1. & 6.

FERIA QVARTA PRIMAE dominicæ, super Euangelio Matthæi.

ACcesserunt ad Iesum, Scribæ, & Pharisæi dicentes. Magister, volumus à te signum videre.

Scribæ, id est legis Doctores, & Pharisæi viri religiosi apud

si apud Iudæos sic dicti, eo quòd sanctiori vita,& mori bus à ceteris diuisi,vel erant, vel debebant, accesserunt ad Iesum tanquam Discipuli,non vt docerentur, sed vt contradicerent ei dicentes. Magister volumus à te signum videre. Nam proprium Iudæorum erat in rebus diuinis signa quærere, quoniam diuina secreta nõ humana ratione,sed mirabilibus signis possunt agnosci. Quærebant ergo signum quo se à Deo missum Christus probaret. Siquidem,& Moysen à principio recipere noluerunt,nisi signis ostensis. Sed maiora hi signa quærebant à Christo. Moysi etenim crediderunt patres eorum per signa in inferiori substantia facta,isti vero quærebant signa de cœlo,insolitam,videlicet,immutationem in corporibus cœlestibus, quemadmodum factum est tempore Iosue, luminaribus primis, Sole,Luna stantibus in medio cœli. Vel tempore Ezechiæ redeunte Sole retrorsum. Vel signum in cœlo aëreo,scilicet,descensum ignis, vt in diebus Ælyæ, vel aliud simile. Christus nihilominus signis continuæ factis se esse Deum,& à Deo missum, palàm insinuauit: Cuius quidem opera,signa, & prodigia comparata operibus Dei,aliorumque Patriarcharum,& Prophetarum,Propheta maiora esse, & mirabiliora cernuntur. Nam licet Deus omnipotentia sua ex nihilo mundum creauerit,Christus tamen sua immensa sapientia,& bonitate,ipsum recreauit. Opus quidẽ creatione maius. Illæ insuper diluuio perdidit orbem,saluans Noë cum familia sua hic perdet impios, saluans tantum electos in extremo iudicio. Ille variauit linguas ædificantium turrim Babel,hic fecit vt varijs linguis loquerentur Apostoli. Illæ voluit nasci Isaac ex patre vetulo, matreq. sterili, Christus autem ex virgine natus. Illæ iussit asinam Balaam loqui,hic dæmonium mutum, vt loqueretur mirabiliter iussit. Erat enim Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Illæ maledictionem Balaam transmutauit in benedictionem, hic mirabilius mutauit Saulum in Paulum, Denique Deus misit Prophetas ad prædicandum, Christus vero Apostolos

Cur Iudæi signa quærebant.

Iosue. 10.
4. Reg. 20.

Maiora fecit opera Christus in carne quàm ante deus.

los suos in omnem terram, vt totum conuerterent vniuersum.

Abraham ad Domini vocem relinquens patriam peregre profectus est: Christus peregrinatus est super terram. Illæ Deo iubente voluit immolare filium suum: hic obtulit semetipsum in sacrificium pro omnium fidelium salute. Rursus: Heiyas fecit de cœlo descendere ignem, Christus misit spiritum sanctũ in linguis igneis super Apostolos. Heiyas in curru igneo eleuatus est ab Angelis in Paradiso, Christus virtute propria ascendit in cœlum. Illæ orando, mortuum suscitauit, hic imperando, tres suscitantur mortui. Iosue proinde armis prostrauit inimicos, sed ad vnicum Christi verbum Gẽtiles prostrantur, & Iudæi. Iosue firmauit Solem, Christus misit tenebras in vniuerso mundo. Dauid insuper Goliad caput amputauit, Christus Diabolum superauit. Dauid, Pastor fuit, Rex, & Propheta, Christus Pastor, Propheta, Rex Regum, & Dñs Dominantium.

Gen.12.22

4.Reg.2.
Act.1.

Collatio Christi ad patres.

Denique si fiat collatio Christi ad Moysen: Illæ induxit tenebras in Ægypto, hic in vniuerso mundo. Illæ aquam conuertit in sanguinem, hic aquam vertit in vinum Moyses transiuit mare vna cum populo, Christus super aquas maris, vna cum Petro siccis pedibus ambulauit. Illæ mare diuisit huic mare, & venti obediunt. Illæ satiauit populum manna in deserto, hic trans mare Tyberiadis ex quinque panibus, & duobus piscibus, quinque milia hominum saturauit. Moyses æneo Serpente vulneratos sanauit, Christus sua virtute multos sanauit infirmos. Illæ eduxit aquam de petra, Christus de latere suo tanquam de viua petra. Moyses loquebatur cum Deo in monte Syna, Christus in monte Tabor, cui dixit Pater. Hic est filius meus dilectus. Illę longa oratione extensis manibus vicit inimicos, hic extensis in cruce brachijs, vnico verbo omnes ad se traxit electos. Moyses, legem timoris, & iræ dedit, & seruitutis Christus, legem amoris, vitæ, pacis, & gratiæ largitus est nobis.

Collatio Christi ad Moysen.

Ex his igitur liquet quàm plura Deus operatus fi-

signa,& mirabiliora in natura,sumpta quàm antea, & quàm aliquis Patriarcharum, & Prophetarum. Cur igitur dicunt scribæ, & Pharisæi, Magister volumus à te signum videre? Cum enim dicunt, Magister, id ad humilitatem pertinere videtur. Quod vero adijciunt, volumus, superbiam denotat. Sed cum subdunt, signum videre, id ex infidelitate, & curiositate procedit. At quoniam absque fide, & humilitate petierunt, eum quem magistrum appellarunt, magis timore turbæ, quàm ex syncæritate, ideo exauditi non sunt.Propter quod subditur.

Qui respondens ait illis. Generatio mala,& adultera signum quærit & signum non dabitur ei,nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus,& tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus,& tribus noctibus. ***Cur generatio iudæorum dicitur adultera.***

Generationem Iudæorum Christus adulteram appellat,spirituali,videlicet,adulterio, recedendo à Deo, de quo Psalmista.Perdidisti omnes qui fornicātur abs te. Et in Osea.Fornicati sunt à Deo suo.Quemadmodum enim corporale adulterium est cum alter coniugum alienæ corporaliter commiscetur,sic spirituale adulterium est,cū homo,Deo relicto creaturis finaliter adheret.Sicut in Deuteronomio Dominus dixit ad Moysen. Populus iste fornicabitur post Deos alienos.Hęc igitur generatio mala,& adultera signum quærit, & signum nō dabitur ei,quo sciat me esse Christum, & verum Messiam in lege promissum. Nisi signum Ionæ. Siquidem non modica conuenientia fuit inter Ionam,&Christū. Ionas missus est à Deo tanquam verus Propheta prędicare Niniuitis pœnitentiam, & ad illam ciuitatem conuertendam: Christus Propheta magnus missus est à Deo ad totum vniuersum conuertendum dicens.Pœnitentiam agite,appropinquabit enim Regnum cœlorū. Ille ingressus est nauim,Hic ingreditur Ecclesiā.Ionas, tempestatē maris patitur, Saluator noster à Iudaico populo non modicam sustinet persecutionē,Ventus cōtra Ionā concitat mare:Et spiritus immūdus aduersus Dominum

Oseæ 4.

Deute. 16.

Conuenientia inter Ionam, & Christum.

minum incitat plebem. Ionas, in tanto maris periculo, securus dormiebat. Christus quoque, per diuinæ naturæ virtutem indubitanter accessit ad mortem. Cecidit sors super Ionam: Ita super Christum, vt pro omnibus pateretur. Ionas, ligatur ab existentibus in naui. Christus, ligatus est ad columnam. Ionas, missus est in profundum maris, vt tempestas remoueretur: Et Christus expositus est morti, vt fluctus seculi cessaret. Ionam, Cæte suscepit, Ch istum, auida mors glutiuit. Illæ orabat in ventre Cæti: Hic orabat in Cruce. Ionam, Cætus digerere non potuit, nec diu retinere: Sed illum emisit, sic, & mors consueta edere mortuos, & digerere, viuentem Dominum, & incomprehensibilem petram digerere non valens, nauseata reiecit. Omnes viderunt Ionam descendentem in Piscem, sed non exeuntem: Sic omnes viderunt Christum mori, sed non resurgere. Illæ, fluctibus agitatur. Hic, Mundi turbinibus. Ionas, stetit in ventre Cæti tribus diebus, & tribus noctibus: Ita Christus, in corde terræ.

Sed hic oritur quæstio, quomodo fuit Christus tribus diebus, & tribus noctibus, in corde terrę. De tribus diebus, non est dubium, more scripturæ, scilicet, per figuram synecdochen: Sed tres noctes, inuenire non valemus, sed tantum duas. Asserunt tamen nonnulli, Primã noctem fuisse, quando consecrauit in cœna, tunc virtute descendit ad Infernum. Secundam, inter Venerem, & diem Sabbati. Tertiam vero, inter Sabbatum, & Dominicam. Nonnulli autem fatentur. Primam noctem fuisse, quando tenebræ factæ sunt super vniuersalem terram, & Christus mortuus est, & descendit in Infernum. Secundam, veniente Sabbato, & tertiam, subsequente Dominica. Et hæc est Chrysostomi assertio. Alij arbitrantur, quòd Prima nox illa sit quando captus in horto, cœpit pro Patribus in Lymbo, existentibus pati. Secunda, quando moriens, in propria persona descendit ad Inferos. Tertia, quando liberans patres expoliauit Infernum, & Mortem occidit. Alij etiam affirmantes, diem initium habere à media nocte, more Romanorum.

quomodo Christus stetit in Infernum tribus noctibus diuersorum assertio. Chrysost.

norum,asserunt noctem inter Venerem, & Sabbatum, finem esse vnius diei, scilicet, Veneris,& alterius, scilicet Sabbati initium. Et ita de nocte inter Sabbatum,& Dominicam, dicendum esse. Quare computant tres dies,& tres noctes, per figuram Synecdochen, vt pars pro toto accipiatur.

Cor terræ Infernus merito dicitur, quia quemadmodum cor medium possidet hominis, ita Infernus situatur in centro terræ in medio mundi, vt existentes ibi, sint per maximam distantiam separati à circunferentia cœli, qui voluerunt per inordinata desideria spiritualiter separari a Deo. Deinde subdit Christus.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquam Ionas hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.

Qui habitauerunt in Niniuæ ciuitate magna tempore Ionæ surgent in iudicio, inquit Christus, id est, in die iudicij suscitabuntur cum generatione ista, & apparebunt in conspectu meo, & condemnabunt eam, id est operæ suo præterito bono ostendent eam damnatione dignam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, dicentis. Adhuc quadraginta dies,& Niniuę subuertetur. Quo audito, Rex Niniuæ surrexit de solio, in duroq; sacco sedit in cinere, similiter Principes eius, & populi. Et ecce plusquam Ionas hic, id est ego, qui à vobis contemnor,& maior sum Iona. Et hoc equidem verum est. Nam Ionas, homo simplex. Christus, Deus, & homo. Illæ Peregrinus. Hic Iudæus. Ionas, triduo solum. Christus, multo tempore prædicauit. Illę infidelibus Assyrijs. Hic fidelibus Iudæis. Ionas, nullum miraculum fecit. Christus, coràm Iudæis, multa operatus est signa. Ionam, benigne susceperunt Niniuitarum populi. Iudæi, contra Christum clamabant: Samaritanus es,& dæmonium habes. Iona prædicante, Rex conuersus est,& omnis populus. Christo concionante, Iudæi *Ionæ ad Christum collatio.*

f crucifi-

crucifixerunt eum. Ionas prædicauit iram Dei, subuersionemque ciuitatis, Christus pœnitentiam, cœlorum gloriam, & viam salutis. Itaque Iudæi Niniuitis illis peiore, duriores, & infideliores extiterunt.

Rursus. Regina Austri, hæc est Regina Saba, cuius Regio fuit in plaga Australi, respectu Hierusalem, surget in Iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam eo modo, quo supra expositum est. Quia ingenti commitatu, & aromatibus preciosissimis venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, vt legitur in libris Regum. Et ecce plusquam Salomon hic, idest Salomone maior, & sapientior ego. Mulier igitur barbara valde remota, non libidine regnandi, aut diuitiarum cupiditate venit ad Salomonem audire sapiētiam eius. Ego autem, inquit Christus, à regalibus sedibus veni docere vos sapientiam, & septem dona Spiritus sancti, ac regnum æternum, conscientiæque pacem. Nonne ideo plusquam Salomonem hic? Et quid mirum? Quis Salomon, nisi homo Christus autem Deus, & homo. Illius sapientia finita. Huius infinita. Illæ filius hominis. Hic filius Dei. Illæ idolatra. Hic Dei cultor. Ille fornicarius. Hic castissimus. Illę mortuus. Hic surrexit.

3. Reg. 10.

Christi, ac Salomonem collatio.

Sed mistice loquendo. Regina veniens ad Salomonem causa audiendi sapientiam eius, significat gentes venientes ad Christum Regem pacificum, & sapientē donantem pacem. Ideo condemnabit eos, quia ipsa venit ad Salomonem. Ipsi vero Christum respuerunt venientem ad eos, propter quod subditur.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit, reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

Id totum de populo Iudęorum ad litteram intelligi manifeste constat. Quoniam Christus finito hoc exemplo, mox addidit. Sic erit & generationi huic pessimæ.

Nam

Nam primo quidem per immolationem Agni Paschalis, & legis susceptionem, immundus idolatriæ spiritus exijt a populo Iudæorum, ambulauit per arida gentilium corda, non habentium rorem gratiæ, & sapientię aquam, quærens requiem, id est stabilem, atque perpetuam habitationem in ipsis, & non inuenit. Expulsus per prędicationem Apostolorum, & per fidem suscepti baptismatis, quare spiritus immundus redijt ad Iudęos vacantes in obseruantia Sabbati, & mundatos cerimonialibus, & exterioribus obseruantijs, quia solos se mundos iudicabat, ceteros vero immundos. Et ornatos exterioribus moribus templo, atque lege. Tunc Diabolus assumit septem alios spiritus immundos nequiores se, id est, copiam sociorum malorum. Septenario nanque numero, vniuersitas designatur. Vnde Raphael dixit, se esse vnum de septem Angelis stantibus ante Deum. Dicuntur autem hi spiritus nequiores, quia homines recidiuantes, deteriores efficiuntur. Et intrantes habitāt ibi, id est, dęmones corda Iudęorum iam vsque in finem seculi possident multo copiosius, quam antea vnquam. Et fiunt nouissima eorum peiora prioribus. Quia grauis his temporibus peccant Iudæi non credendo, sed blasphemando Christum.

Contra iudæos de spiritu immundo.

Aliter de quocunq; homine id exponi potest. Cum enim immundus spiritus, id est, diabolus qui est spiritus secundum naturam, dicente Sapiente. Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt. Et dicitur immundus propter culpam, quia culpis inquinatur, immunda suggerit, & quasi sus in luto, sic ipsæ in immundis cogitationibus voluitur. Exit ab homine in quo prius fuit immunditia, originalis, vel actualis. Et vtraque est lectus diaboli. Primam immūditiam lauat aqua baptismi. Secundam lacrymæ pęnitentiæ. Ideo diabolus exit ab homine, aut per gratiam baptismi aut remedio pœnitentiæ. De primo exitu loquitur Dominus per Ezechielem. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab oībus inquinamētis vestris, & ab vniuersis Idolis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouū.

Eccl. 39.

Ezec. 36.

Zach. 13. De ſecundo, Zacharias. Spiritum immundum auferam de terra. Ambulat diabolus per loca arida, & inaquoſa. Quattuor quippe pedibus graditur, ſcilicet, Superbia contra Deum, Inuidia contra hominem, Fallacia contra mundum, Impœnitentia, & obduratione contra ſeipſum. Per loca arida, id eſt per corda aqua miſericordiæ, & gratiarum carentia. Et inaquoſa, ſpirituales voluptates non habentia. Ambulat quippe tentando, & mala ſuggerendo, quærens requiem, & non inuenit, quia homines mali interdum reſipiſcunt, & ipſius tentationibus non acquieſcunt. Tunc dixit, cuius dictum eſt intimum propoſitum. Sed cui dixit, niſi Deo quem latere non poteſt? Dicente Iſaia. Habitationem tuã, & egreſſum tuum, & introitum tuum ego cognoui.

Cũ immundus ſpiritus de quocũq; homine pulcherrime exponitur.

Iſa. 37

Et nota, quòd quattuor modis loquitur Deus ad diabolum, vt liquet Iob. Primo, prauas eius vias redarguendo, cum dixit. Vnde venis? Et quid eſt dicere, Vnde venis: niſi prauas eius vias, quaſi iam cognitas reprobare? Deinde electorum ſuorum iuſtitiam proponendo, cum ſubdit. Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra? Rurſus, iuſtorum vitam tentari permittendo. Vnde dictum eſt ſibi. Ecce vniuerſa, quæ habet in manu tua ſunt. Quarto, eum à tentatione compeſcendo. Dixit enim illi tantum in eum ne extendas manum tuam, & animam eius ſerua. Loquitur præterea diabolus ad Deũ tribus modis. Proprias vias inſinuando, ibi. Circuiui terram, & perambulaui eam. Electorum innocentiam falſis criminibus accuſando, ſubdens. Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam eius per circuitum? Tertio, licentiam tentandi poſtulando, vnde ait. Sed extende manum tuam, & tange, cunctaque poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo diabolus. Reuertar in domum meam vnde exiui, quoniam ad eos reuertitur, qui retro aſpiciunt ad ea, quæ commiſerant peccata. Et inuenit eam vacantem, ſcilicet ab opere corporali, & ſpirituali. Hæc eſt prima diſpoſitio ad re

Iob 1

Quadrupliciter loquitur Deus diabolo.

Tripliciter diabolus Deo.

ad relapsum, scilicet, ociositas, qua sic disponitur, vt ad ipsum reuertatur diabolus. Inde scopis mundatam, & ornatam tantum per cerimonias exteriores, & ornatam simulata honestate, simulatisque virtutibus. Vnde Dominus in Euangelio. Vt vobis Scribę & Pharisæi hippocrytæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum. Tunc assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi. Quemadmodū de Maria Magdalena eiecta dicuntur septem dęmonia. Sed qui sint hi septem spiritus nequissimi, audiamus. *Matt. 23.*

Primus, dicitur spiritus indurationis, & obstinationis. Siquidem Deus hominum corda indurat suo libero arbitrio abutentium, non positiue, sed priuatiue, dū priuantur diuina gratia. Quemadmodum si quispiam remoueret ignem à plumbo, ille ad suam pristinam duritiam reuerteretur. Sic remota diuina gratia à cordibus nostris, illa indurantur à Deo, vt bona agere non valeant. *Primus spiritus.*

Secundus, spiritus excitationis appellatur, vt idem Dominus ad Moysen. In hoc excitaui illum, non effectiue, sed permissiue per diuinarum gratiarum remotionem sic interdum excitantur homines sceleratissimi ad omnia mala operanda. *Secundus.*

Tertius est spiritus excæcationis, quo peccatores interdum adeo sunt excæcati, vt videntes iram Dei imminentem, multaque mala contra impios exerceri non uideant. Et audientes non audiant Christum intus clamantem. Et intelligentes non intelligant scripturarum dicta. *Tertius.*

Quartus est spiritus soporis, ut inquit Isaias. Ita soporati, vt non capiant illuminationem, dormiāt in peccatis, nec surgant à somno, nec excitentur ad bonum. *Quartus.*

Quintus est spiritus vertiginis, vt ruant de peccato in peccatum, ex fomite, & materia trahente, necnon ob eorum malitiam, semper rapiantur ad ima. *Quintus.*

Sextus est spiritus traditionis, scilicet, vt tradantur in dissidia, in cordis affectus, in passiones operum ignomi- *Sextus.*

niosas, in reprobum sensum, male iudicantes de Deo, de se, de Christo, de fide, & de immortalitate vitæ.

Septimus. Septimus, est spiritus inductionis vt ab omni temptatione inducantur ad assentiendum diabolo sine vlla repugnantia, & regnet omne peccatū in eis, omniq. aduersitate adueniente, blasphement, & desperent.

His igitur spiritus inhabitantibus hominis corda, fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic insuper erit generationi huic pessimæ, scilicet, Iudaicæ prout de vnoquoque homine supra dictum est. Siquidem mala fuit generatio Iudæorum in Deserto, quādo vitulum adorauit, & contra Dominum murmurauit, quando Terræ Promissionis detraxit, sed peior in Terra Promissionis ante Aduentū Christi, quando filios, & filias dæmonijs imolauit. Sed pessima post Aduentū eius, quando filium Dei ad eum missum crucifixerunt.

Generatio Iudæorum mala.

Aliter, mala est generatio peccatum originale contrahens, peior peccatum actuale committens, pessima post pœnitentiam recidiuans, dicente Petro. Melius erat eis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post cognitionem retrorsum conuerti, Ideo Hieremias. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Septem autem spiritus nequiores recidiuantem occupantes sunt, Blasphemia, Desperatio, Nimia confidentia, Inuidentia fraternæ charitatis, Impugnatio agnitæ veritatis, Infidelitas, Finalis impœnitentia.

2. Pet. 2.
Hier. 30.

Adhuc eo loquente ad turbas, Ecce mater eius, & fratres stabant foris quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam. Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi ait. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in Discipulos suos, dixit. Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

Nondum sermone finito, sed adhuc Christo loquente ad turbas, ecce mater eius, scilicet, Virgo gloriosissima, & fratres.i.cognati, vel consobrini Christi, nō filij Ioseph ex eadem coniuge, vt nonnulli hęreticorm impie fa

pie fatentur, nec de alia, quia, & Ioseph virgo fuit. Sed quoniam in scripturis, consobrini, & consanguinei sæpenumero fratres appellantur. Dixit enim Abraham ad Loth, fratres sumus &c. Illi foris stabant, non valentes intrare præ turba, quærentes loqui ei, forte aliqua necessitate cogente. Dixit autem ei quidam missus à matre & fratribus, vt Marcus manifeste scribit. At ipse respondens, dicēti sibi. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Non siquidem hoc dixit, vt negare videatur matrem carnalem cognatosque, sed vt palàm insinuetur Christum, matrem & fratres tam carnales, quā spirituales habere. Ideo subditur. Et extendens manum in Discipulos suos dixit. Ecce mater mea, & fratres mei. Quæ quidem verba triplicem habent intelligentiam. Scilicet, hi mater mea, & fratres mei sunt, id est, tam dilecti, vt solent parentes, & fratres diligi. Vel tantum propinquiore sunt mihi, quanto amplius intenti sunt rebus diuinis. Seu, mater mea, & fratres mei sunt, hoc est, per contemplationem internam, spiritualiter me concipiunt, & per vocalem prædicationem generant me in cordibus aliorum, sicut Apostolus ait. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Sic ergo generant me, habitare me faciētes in aliorum præcordijs, vt idem Apostolus. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Et deniq; concludit. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei &c. In hoc enim notat se aliam habere cognationem diuinam, vnde iam tres cognationes Christi habemus. Primam, Deitatis ęternam. Secundam, Carnis. Tertiam, Spiritus. Fratres ergo, & sorores Christi sunt, qui verbum Dei audiunt, & custodiunt, vel qui fraterna dilectione proximum diligunt. Matres vero, qui nō tantum audiunt, & faciunt, sed alios docent.

Mar. 3.

Qui sunt mater, & fratres Christi.

Paulus.

Galat. 4.

Triplex cognatio Christi.

Ex his omnibus, quattuor eliciuntur Euangelica documenta.

Primum, Niniuitarum pœnitentia nobis assumenda est, & cum vita Christianorum contritio, sit nusquam dimittenda.

Secundum, recidiuum deterius est lapsu, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Tertium, custodientes præcepta Dei, ipsiusque voluntatis obseruatores matris Christi, fratrum, & sororum, sortem mirifice sortiuntur.

Quartum, signa boni Christiani hæc esse, in tribulationibus non deficere, in orationibus perseuerare, fidé confiteri, Deo obedire, sanguinem pro Christo fundere si opus esset, temporalia mundi spernendo, æterna amplecti, obseruare legem Christi, imitari in Christo obedientiam, humilitatem, patientiam, paupertatem, pacem, iniuriarum remissionem, &c.

FERIA QVINTA PRIMAE Dominicæ Quadragesimæ, super Euangelij Matthęi, & Marci.

Egressus Iesus secessit in partes Syri, & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit dicens ei. Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.

Hanc mulierem de qua est Euangelicus sermo, Matthæus Chananæam appellat. Marcus vero narrat ipsam fuisse Syrophœnissam. Sed vnus, alteri non repugnat. Dicta est enim Chananæa, quia de gente erat Chananæorum, iam olim terram Iudæorum possidentium. Pariter & Syrophœnissa genere, id est, de Syria Phœnicis. Est enim Syria regio magna, quæ sub se multas particulares complectitur regiones. Nam in Syria est tota Terra Iudæorum, Philysthinorum, Ammonitarum, Moabitarum, Idumæorum, Damascenorum, & aliorum. Vnde decem esse Syriæ dicuntur.

Matth. 15.
Marc. 7.

Prima Syria.
Gen. 29

Prima est, Syria Mesopotamiæ, & est multum Aquilonaris, in qua morabatur Abraham, antequam ad terram Chanaam proficisceretur. Simul & Laban ad quem missus est Iacob.

Secunda Syria.

Secunda Syria est coniuncta isti ad Meridionalem plagam

plagam. Et vocatur Syria Celes, de qua fit mentio in 2. lib. Regum, in qua est ciuitas Metropolis Antiochia. *2. Reg. 10*

Tertia est Syria Phœnicis, de qua nunc loquimur, eo q in ea est quædam parua regio, quæ Phœnicia vocatur, à Phœnice conditore, in qua est ciuitas Tyri præcipua & Sydon, & Anteradum, & Berithum, quod aliter dicitur Baruth & Tripolis, & aliæ vrbes quamplures, iuxta Libanum & mare. Sunt & aliæ septem Syriæ versus Meridiem, de quibus non est hic sermo. De hac igitur Syria erat mulier hæc, quam Marcus Syrophœnissam appellat, id est de Syria Phœnicis. Et erat Chananæa, quoniam Chananæi habitabant in regione illa. *Tertia Syria.*

Et si quispiam obijciat, quomodo hæc mulier poterat esse Chananæa? Nonne iusserat Dominus Israëlitis (sicut Deuteronomij narrat historia) vt occiderent omnes Chananæos? Dicendum est vniuersam regionem, quam dederat Dominus filijs Israël fuisse terram Chananæorum, quorum septem fuerunt nationes, scilicet, Amorrhæi, Iebusæi, Euæi, Ethæi, Pherezæi, Chananæi, Gergesæi. Et licet esset quædam particularis natio, quæ Chananæa speciali nomine appellabatur, erant tamen omnes Chananæi, à Chanaan. Siquidem nationes has septem Deus promisit filijs Israël eijcere ante faciem eorum. Iccirco Iudæi ingressi in terram eorum triginta vnum Reges occiderunt, vt liquet in libro Iosue. Nihilominus morabantur adhuc aliquæ gentes, & loca Chananæorum, in quibus Iudæi non habitabant. Noluit enim Deus ad introitum Iosue occidere omnes Chananæorum populos, quamobrem post mortē Iosue manserunt multa loca Chananæorum, quæ non fuerunt Iudæis tradita, ad eorum exercitium, ne superbirent. At quoniam Rex Salomon in Regno Iudæorū præ omnibus Regibus præcipue floruit iccirco omnes qui residui fuerant de populis Chananæorum seruierunt Salomoni Regi sub tributo. Nam Philysthijm, Chananæi, Tyri, & Sydonij, erant de stirpe Chananæorum. Ideo potuerunt vsq; ad tempora Christi persistere Chananæi, qui præcipuæ morabantur in terra Tyri, & Sydonis *Deut. 7.* *Terra Chananæorum terra Promißionis.* *Iosue 12.* *Iosue 13.* *Iudic. 3.* *3. Reg. 9.* *2. Paral. 8*

2. Reg. 5. 3. Reg. 5. Sydonis. Nempe contra istos non pugnauit Dauid, erantque regna confederata, & Hyram Rex Tyri, & Sydonis, erat Dauidis amicus, pariter, & Salomonis, vt liquet in libris Regum. Quo circa Tyri, & Sydonij, contra Iudæos semper secuti morabantur. Itaque tempore Christi adhuc erant Chananæi in regione illa. Et ita mulier ista erat Chananęa, & de Syria Phœnicis.

Non est ignorandum, præterea, quòd de ipsa nobilissima ciuitate Tyri mirabilia loquuntur hi duo magni Prophetæ, Isaias, & Ezechiel in exemplum omniū Regum, & Christianorum principium. In quattuor siquidem commendabatur.

Prima commendatio ciuitatis Tyri

Primo, quo ad antiquitatem. Fuit enim ædificata à Chanaam filio Cham, filij Noë. Quare dicti sunt Chananæi. Inde quidam nomine Tyrus Rex ampliauit mirifice ciuitatem, vocans eam nomine suo. In ea insuper regnauit Dido Regina, quæ fugiens tyrannidem fratris sui (qui libidine regnandi occiderat virum suum) petijt Africam, & Chartaginem ædificauit, septuaginta tribus ante ædificationem Romæ.

Secunda cō mendatio.

Secundo, commendabatur quo ad diuitiarum copiā & ciuium nobilitatem. Erat ciuitas ædificata super limpissimam petram, fundamentum stabilissimum. Turres ex lapidibus viuis, vndique contextis auro, Fulgebant antiquissima ædificia lapidibus preciosis. Aderant quoque statuæ regum ex purissimo auro. Sapientum vero rectorum, ac Senatorum, ex argento limpidissimum. A tribus lateribus, mediteraneo circundata mari, vbi confluebant omnium rerum copiosissime merces, Ditissima erat ciuitas abundans auro argento, lapidibus præciosis, omniumque lignorum generibus, ex quibus fabricatum fuit templum Domini. Nam huiusce ligna miserat Hyram Rex Tyri, Regi Salamoni. Copia insuper omnium fructuum terræ, vt diuites essent omnes ciues. Tyri, & principes terræ negociatores eius. Naues præterea ex lignis cedrinis, & cooperiebantur serico, & purpura, vela ex bysso, Sedes remigum ex ebore Orientali. Omnes Arabes, Medi, Persi, Indi, Syri, Iudæi, con

confluebant ad Tyrum.

Tertio, erat laude digna ob ipsius sapientiam. Erãt ibi eruditissimi viri. Nam Phenix Rex omnibus artibus liberalibus eam exornauit, adeo vt de Rege, diceret Dominus. Nunquid tu sapientiores Danieles. *Tertia commendatio.*

Quarto, commendabatur quo ad potentiam, quia Tyri erant potentissimi viri. Ciuitas nempe nominabatur Regina Maris, fortitudo Maris, filia Maris. De Rege loquitur Dominus per Ezechielem. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti. Omnis lapis preciosus operimentum tuum. Erat igitur velut altera Venetorum ciuitas, & forte excellentior illa. Audiant Itaque Veneti tam nobiles, & potentissimi, & discant timere Deum, quia non est abbreuiata manus eius. Duo enim mala fuerunt causa ruinæ Tyri. *Quarta cõmendatio.* *Ezec. 28.*

Primum, quia ciues plurimum lætabantur super ruinam ciuitatis Hierũsalem, quemadmodum loquitur Dominus ad Ezechielem, dicens. Fili hominis pro eo, quòd dixit Tyrus de Hierusalem, Euge confractę sunt portę populorum, conuersa est ad me, implebor, deserta est. Propterea dicit Dominus. Ecce ego super te Tyræ, ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, &c. Fuit enim primo destructa à Nabuchodonosor, & post septuaginta annos reædificata, sed ab Alexandro Magno vltimam deuastationem accepit. *Duo mala ruinæ Tyri* *Ezech. 25.*

Secundum, scelus fuit superbia sua, dicente Domino ad Regem Tyri. Eo, ꝙ eleuatum est cor tuum quasi cor Dei, iccirco ego adducam super te alienos robustissimos gentium, & nudabant gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, interficient', & detrahent te, & morieris in interitu occisorum, in corde maris. Nunc ergo Christianissimi Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, &c. *Ezech. 28.*

Dicit ergo Euangelista. Egressus Iesus, videlicet, à terra Genasar, & à conuenticulis Scribarum, & Pharisæorũ, secessit cũ Discipulis suis in partes Tyri, & Sydonis, non

non vt prædicaturus, ſed vt per fidem mulieris huius Chananeæ filiam illius curaret, & vt per id impietatem Phariſæorum declararet, qui in eum credere recuſabāt. Et cum iam in finibus gentium eſſet Dominus venit ad eum mulier Chananæa, clamans: Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea male à dæmonio vexatur.

Euangelij hiſtoria.

Mulier hæc ad Chriſtum venire ex eo mota eſt, quia fama, & nomen Chriſti iam diuulgabatur vndique, & miracula ipſius vbique clareſcebant. Vnde & ipſa credebat illum poſſe filiam ſanare. Sed quemadmodum Chananæa exiuit de finibus Tyri, ita quilibet q̃ vult à Deo exaudiri, ut à finibus peccatorum exeat, oportet, vt reconcilietur Deo. Siquidem Abraham egreſſus eſt de Hur Chaldæorum, & factus eſt pater multarum gentium. Loth, quia egreſſus eſt de Sodomis, ideo fuit ab incendio liberatus. Si Chriſtus non egreſſus fuiſſet de cœlo, nullus ſalutem adeptus eſſet. Si Magdalena non eſſet egreſſa de domo ſua, vęniam non inueniſſet. Si Petrus non fuiſſet egreſſus de domo Pilati, non fleuiſſet amare. Si peccator non egreditur de ſtatu peccati, minime exaudiri poteſt. Ita ſi hæc mulier non egreſſa fuiſſet de finibus Tyri, & Sydonis, non fuiſſet exaudita, clamans, Miſerere mei Domine fili Dauid.

Quomodo oportet egredi de ſtatu peccati.

Sed hic non eſt ignorandum, ꝙ Marcus non aduerſatur Matthæo, dum illæ mulierem ſcribit ad Chriſtum veniſſe, in domum, hic autem ſecutam eam refert Dominum in via. Nā primo ad domum in qua erat Chriſtus, mulier iſta veniens intrauit, prociditque ad pedes eius, petens vt dæmonium à filia eijceret. At Chriſtus nihil ei reſpondit, imò ſurgens egreſſus eſt. Quem illa videns abeuntem, ſecuta eſt magnis clamoribus, multis lacrymis, eiulatibus infinitis, dicens: Miſerere mei Domine fili Dauid. Nudus ſermo, modicus & ſimplex, immenſitatem tamen continet ſalutis. Vbi enim miſericordia poſtulatur, ibi vniuerſa comprehenſa ſunt bona. O præclara confeſſio, Euangeliſta efficitur hæc mulier, diuinitatem Chriſti, & eius humanitatem annuncians. Diuinitatem quidem, cum ait. Domine. Humanitatem vero

vero cum subdit. Fili Dauid. Et quid quærit, nisi misericordiam? Non sibi, sed filiæ suæ. O Domine, Miserere. Abyssus, abyssum inuocat. Absorbeat abyssus misericordiæ, abyssum miseriæ. Cõsidera, inquit Chrysostomus, huius mulieris fidem, & philosophiam, inspice animum generosum, non ad suæ gentis cucurrit idola, non perrexit ad diuinos, non vocauit Magos, non alligaturas quæsiuit, non hyppostrices mulierculas adduxit, illas quæ solent dæmones prouocare, & in incantationibus suis vulnus augere. Reliquit omnes diaboli falsitates, & venit ad animarum seruatorem. Non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, non pergit ad Petrum, non intercedit Apostolorum Chorum, sed ipsum immediate fontem pietatis petijt, quo ipsam fides tanta impulit. Cuius quidem amplissimam fidem ex duobus colligere licet. Primum, quòd non secum filiam adduxit ægrotantem, quod Iudæi facere consueuerant, non credentes Christum etiam absentem curare aliquem posse. Sic adduxerunt cæcum apud Marcum, variosque infirmos in Matthæo, paralyticum quoque apud Lucam, quem & per tectum immiserunt ante faciem Domini. Imò & duæ electæ sorores, Magdalena, & Martha, mortuo Lazaro, dixerunt Christo: Domine si fuisses hic, frater noster non fuisset mortuus. Sed hæc mulier quæ non adduxit filiam suam secum, magis credidit. Rursus, Non orauit Christum vt ad se veniret, sanaturum filiã suam. Vnde constat fidem illa habuisse tantam, vt crederet ipsum solo verbo, vel imperio curare posse filiam, ideo non petijt corporalem illius præsentiam, sed magna, fortique fide tantum clamauit, dicens: Miserere mei Domine fili Dauid &c.

Fides Chananaæ plurimum cõmendatur.
Chrysost.

Mar.8.
Matth.9.
Luc.5.

Qui non respondit ei verbum. Et accedentes Discipuli eius, rogabant eum, dicentes. Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.

Mirum quippe vt ad tam efficacissimam fidem, orationemque piam, nihil responderit Dominus. Si quidẽ tria hæc durissima, illi exhibuit Christus. Dissimulauit,

negauit, exprobrauit. Et cur causam clamoris non pe-
tijt? Clamantem non est consolatus, nec saltem compe-
scuit clamorem, nec imperauit ut taceret. O mira res, ò
noua rerũ varietas. Rogat mulier, obsecrat deprecatur
cœlum clamoribus implet, deflet casum, auget tragœ-
diam, enarrat Passionem, & misericordiarum pater ta-
cet. Fons clausus est, medicus non sanat? Vbi igitur
propitiatio? Vbi veniat? Vbi pietatis viscera? Vbi est
quod promisisti? Clamabit ad me, & ego exaudiam
eum. Sed non sine rationabili causa tacet Christus, te-
ste Chrysostomo. Primo, ne ipsæ sententiæ suæ videre-
tur esse contrarius, per quam iusserat, in viam gentium
ne abieritis. Nolebat enim occasionem calumniatori-
bus dare, perfectamque salutem gentium Passionis, &
Resurrectionis tempori reseruabat. Secundo, vt perse-
uerantiam mulieris nobis semper immutabilem demō-
straret. Quæ quo magis contempta videbatur à Domi-
no, eo ardentius ceptis instabat in precibus. Tertio,
vt Discipulorum quoque suorum, misericordes animos
ad postulandum simul cum ea prouocaret, & vt ad mise-
rationem exercitarentur.

Chrysost.

Cur Christus non respondit mulieri.

Videntes fidem mulieris tam admirabilem Discipu-
li, audientes quoque miseriam illius, & calamitatem, mi-
sericordia moti sunt. Et accesserunt ad Dominum, di-
centes. Domine, dimitte eam, adiuua, & forte im-
portunitate eius carere cupientes, vt inquit Hierony-
mus, interpellant pro illa. Respondens autem Domi-
nus Discipulis, dixit. Non sum missus nisi ad oues quæ
perierunt domus Israel. Et recte quidem, quoniam Do-
minus solus ipsæ Iudæis prædicauit, sed deinceps per
Apostolos suos vniuerso terrarum orbi ad designan-
dum Christum ipsum in propria persona Apostolum
esse Iudæorum. Ideoque vt plurimum tantum Iudæis
prædicauit, inter Iudæos miracula operatus est, cum Iu-
dæis conuersatus est. Vnde Apostoli, Paulus, & Bar-
nabas ipsis Iudæis contradicentibus veritati, dixerunt
Vobis oportebat, Primum loqui verbum Dei, sed quo-
niam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æter-
nę vitæ,

Hieron.

Apostolus Iudæorum, Christus.

vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit Dominus, qui, & in Euangelio ait. Alias adhuc oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, &c. Vel per oues filiorum, & domus Israel, Christus intelligit electos, propter quorum salutem primo venit in mundum. Act. 13. Ioan. 10.

At illa venit, & adorauit eum dicens. Domine adiuua me. Qui respondens ait. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit. Etiam domine, Nam, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorũ suorum.

Mulier Chananæa, illum quem prius verbis confessa fuerat esse Deum, nunc facto quoque exprimit accurrens, & adorans Dominum. Domine, inquit, adiuua me. Quam pauci in tota erant Iudæa, qui verum illum confitebantur esse Messiam in lege promissum, & ecce gentes eum adorant. Siquidem illa adorauit, Dominum etiam corporaliter credens in illo latere, quam non videbat oculis carnis deitatem, dicente Psalmista. Exaltate dominus Deum nostrum, & adorate scabellũ pedum eius, qm̃ sanctum est. Et quid est dicere adorate scabellum Dei sanctum, nisi illud venerabile Christi corpus scabellum de terra, iuxta illud Propheticum. Cælum mihi sedes est, & terra scabelum pedum meorum. Præcepit itaque Dauid adorari terram. Et quam terram, nisi sanctissimam carnem Christi de terra virginali assumptam, quam, & hęc mulier adorauit. Fuit igitur adoratio illa latriæ, quæ soli Deo debetur, vt liquet ex his, quoniam talia petebat ab eo, qualia non potest quis concedere, nisi Deus, scilicet, à dæmone puellam sanare. Non enim petebat, vt oraret Deum pro ea, sed vt adiuuaret eam, tanquam sufficiens dominus. Nam prius vocauerat eum filium Dauid, id est, Messiam, & nunc dominum vocat, & ad extremum mox ita Spiritu sancto, vt Deum Adorauit. Ideo vt Chrysostomus ait. Non dixit roga Deum pro me, quod opus Sanctorum est, sed adiuua me.

Quomodo Chananea Christum adorauit.

Chrysost.

Sed Dominus respondens ait. Non est bonũ sumere panem filiorũ, & mittere canibus. O sermonẽ Christi

durum,

Panis est verbũ Dei, & omne vtile nobis.

durum,& acerbum,quo illæ Iudęos filios gentes canes appellat. Nam quos iam ante loquens ad Apostolos oues dixerat,nunc cum muliere verba faciens,etiam filios vocat. Per panem autem verbum Dei intelligit, miracula quoque, & quicquid in vniuersum saluti nostræ commodum est. Et nota, quòd Iudæi dicuntur filij Dei, quia nutriti fuerunt à Deo in cultu suo, fecitque eos hæredes nationum,& terrarum. Electi quoque ex omnibus populis tanquam filij. Vnde non solum filios,quinimò primogenitum filium etiam Israël Deus vocauit,dicente Moysi Pharaoni ex parte Dei. Dimitte filium meum primogenitum Israël, vt sacrificet mihi,alioquin occidam ego primogenitum tuum. Gentiles autem erant vt canes in sordibus idolatriæ nutriti, comedentes carnes, & sacrificiorum sanguinem. Vel canes,quia reuertebantur ad vomitam, & interdum in rabiem vertebantur,de quibus Isaias.Canes impurissimi nescierunt saturitatem. Sed nos diligenter considerare debemus quantum gratiæ nobis qui ex gentibus sumus conuocati fecerit Deus per magnam misericordiam suam. Ecce, Iudæi oues erant, & filij Dei,imò & primogenitus Israël, & facti iam sunt canes. Furiunt atrociter aduersus Euangelium,mordent,latrant contra Christum, famelici in gratia, & donis cœlestibus, iuxta illud Psalmi. Conuertentur ad vesperam,& famé patientur vt canes. Vicissim maiores nostri Gentiles erant, canes ideo appellati hic à Christo. Nos tamen per gratiam, & misericordiam Dei cum maioribus, & parentibus nostris facti sumus filij Dei,sicut & verbum illud caro factum,& potestatem dedit omnibus hominibus filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Et fuit hæc mutatio dexteræ Dei excelsi. Tantum caueamus diligenter, ne rursus afficiamur canes per hæresim,vel aliam impietatem.

Cur Iudæi dicebantur fili Dei.

Exod. 4.

Christiani ex canibus affecti sunt oues.

Respondente hic Domino mulieri tam dure, & acerbe, illa nòn tantum tolerauit id patienter in ipso tanquam Iudæo, sed ipsa quoque illud magna quadam humilitate confessa est,dicens.Etiam Domine,nam & catel-

telli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Quippe Domine, canem me esse confiteor, sed Domini canes non expellunt. Et si expelluntur per vnam portam, ipsi per aliam reuertuntur. Si ergo sum canis, non debes me expellere à te. Canem me vocas, canis tuus esse nolo, ergo me canem tuum nutri, quia non possum relinquere mensam Domini mei. Catelli nanque, vt dixi, edunt de mensa dominorum suorum. Sed quia Gentilis sum, pane diuino indigna da saltem tua pietate aliquid boni paululum mihi gratiæ dona, vt sanetur filia mea.

Mulier cur se canē appellat.

Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Nunc tandem post pietatem tantam, tantæque humilitatis patientiæ, & constantiæ insignem, dominus Iesus misericordiæ suæ radium, ac fulgentissimum splendorem mulieri permisit illucescere, dicens. O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Nunc manifestat Iesus causam, propter quam, sanationem primum distulerit, nempe vt fides, & prudentia mulieris clarescceret. Propterea non statim ab initio annuit Christus. Propterea Apostolos non exaudiuit, vt fides, & mulieris prudentia, humilitas, & patientia manifestentur. Laudat eam, magna, inquiens, est fides tua. Ob quam itaque fiat tibi sicut vis. Vnde super his verbis aduersus recentiores hæreticos, Theophilatus sic ait: Fieri nonnunquam potest vt sanctis pro nobis intercedentibus non exaudiamur, ipsi autem pro nobis orantes, deinceps exaudiamur. Huius rei causam hanc assignamus. Quoniam Deus nos in orationibus nostris constanter vult perseuerare, ne torpeamus simul & tepescamus, dum omnia orantibus pro nobis sanctis Dei reciperemus.

Paulus.

Theophilatus de orationibus Sāctorum.

Et sanata est filia eius ex illa hora, ex qua, scilicet, Dominus dixit, Fiat tibi sicut vis. Dicere enim Dei est facere. Quia enim à feruore petitionis non refriguit, imò perseuerauit valde se humilians, ideo diuina pietas se amplius continere non potuit, quæ semper in oratio-

nem humilium respexit, & preces eorum non despexit. Igitur quia magnam fidem habuit, id quod petijt impetrauit, imo plus obtinuit quàm postulauit. Siquidem filiæ suæ corporis sanitatem tantum petijt, & mentis iustificationem obtinuit. Vnde Chrysostomus. O mulier, magna est fides tua, non vidisti mortuum suscitatum, nec leprosum mundatum, nec Prophetas audisti, nec legem meditata es, insuper & despecta & contempta es à me, & non recessisti, sed perseuerasti petendo. Et quia magna est fides tua, copiose effusa est gratia. Et sanata est inquit, filia eius ex illa hora. Non ex qua venit mater in domum ejus, sed ex qua Dñi sermo processit, & Chananeam magno dono impletam remisit.

Chrysost. de Chananaa

Hic potest fieri côcio de modo orandi Deum & sanctos, vt liquet tractatu quinto primi Tomi, & Tomo 3. lib. 7. cap. 6. diffuse. Sed circa ea quæ in his dicta sunt, de sanctorum suffragijs, id pulcherrimum addi potest, Omnes enim sancti qui cum Christo gaudent in cęlo, & omnes electi qui sunt in terra, etiam qui renati sunt baptismatis vnda, sunt vnum & idem corpus, cuius caput est Christus, vt clare constat ex oratione Domini, quàm post sacram cęnam aut passionem suam pro credentibus dixit. Rogo te pater vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mũdus, quia tu me misisti. Alibi quoque Christus ait. Ego sum vitis vera, & vos palmites. In quem locum ita Augustinus ait. Vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites, propter quod cum esset Deus, factus est homo, vt in illo esset vitis humana natura, cuius & nos homines palmites esse possimus.

Ioan. 17. 15.

August.

Hanc summam, & admirabilem vnionem. Apostolus pluribus in locis eximie prædicat, & ita ad Corinth os habet. Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, ita & Christus. Quo significauit caput cum corpore simul vnum appellari, sicut idem Apostolus alibi dicit. Vos estis corpus Christi, & membra eius. Qua in re cognoscitur excellentissima, & maxima, quàm Christus nobis exhibuit in eo

1. Cor. 15.

Paulus

eo, quòd voluit vnum esse nobiscum, qui est cum patre vnum, ipso dicente. Ego & patre vnum sumus. Ideo ad Ephesios. Membra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius. Et non est putandum omnia ista dicta esse de his tantum sanctis qui adhuc in hoc mortali corpore agunt. Quinetiam multoque potius de illis qui a morte temporali transierunt in vitam, suntq. cum eo pręsentes. Ita enim Christus apud Ioannem ait. Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, & volo vt ibi ego sum, sint & illi mecum. Nec etiam putandum est illos esse mortuos, dicente Domino. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Et non est Deus mortuorum, sed viuorum. Sunt igitur sancti Dei hoc pacto cum Deo in Christo vniti nobiscum, & nos cum ipsis corpus vnum in Christo. Nec est credendum sanctos esse vnum Christi corpus misticum, & nos aliud, qùia tunc duo corpora haberet vnũ caput, sed sumus omnes vnum & idem corpus, cuius caput est Christus. Et tanta est vnio vnius membri cum altero, sicut est vnio omnium membrorum cum Christo, & Christi cum Deo ipso dicente. Rogo pater vt hi quos dedisti mihi sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Et non tantum pro his rogo, sed & pro his qui credituri sunt. Quare omnes sancti sunt nobis vniti, & nos illis sicut Christo. Si igitur propter talem vnionem nos peccatores in hoc mundo constituti orationibus & precibus inuicem adiuuamur, dicente Iacobo: Orate pro inuicem vt saluemini, cur sancti per eandem vnionem nobis non patrocinantur? Sumus enim omnes vnius capitis membra, & omne membrum alteri membro indigenti auxiliatur, & est omnium bonorum totius corporis participatiuum. Si ergo Christus qui est caput nostrum inquantum homo orat pro nobis. Quem teste Ioanne aduocatum habemus apud patrem, sancti quoque conformes capiti nobis suffragari, & pro nobis orare non deficiũt. Huic rationi fauet id quod Chrysostomus ait. O rem admirandam, ò, ineffabilẽ clementiã Dei Dauid mortuus est

Ephes. 5.

Ioan. 17.

Matth. 22.

Fortissima ratio, quòd Sancti orãt pro nobis.

Chrysost. Hom. 2. Psal. 50.

ſecundùm carnem, & Ezechiæ vino patrocinatur. O iuſtorum etiam poſt conſumationem inexpugnabilis pugna virorum. Dauid mortuus eſt, & poſt mortem ſuam inuenitur viuentibus tam grande præſtitiſſe ſolatium. Certæ iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requieſcens. Quid autem dicit Scriptura? Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Dauid mortuus eſt, & merita eius urgent. Ita Moyſes ad Dominum iratum ait: Recordare Abraham, Iſaac, & Iacob ſeruorum tuorum. Et placatus factus eſt Dominus, & non niſi propter Patriarcharum merita.

Exod. 32.

FERIA SEXTA, DOMINICAE primæ Quadrageſimæ, ſuper Euangelio Ioannis.

Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraica Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, & aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini ſecundùm tempus deſcendebat in Piſcinam, & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendebat in Piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.

Ioan. 5.

Tres Iudæorum ſolẽnitates.

Tres erant præcipuæ Iudæorum feſtiuitates, in quibus tenebatur omne maſculinum apparere in conſpectu Domini, in loco quem elegerat, Prima erat ſolemnitas Azimorum, quæ vocabatur Phaſe, & fiebat annuatim in primo menſe, ſcilicet, Martio, ad commemorandum beneficium liberationis de Aegypto, quia Phaſe tranſitus interpretatur. Iſtud feſtum ſpiritualiter celebramus, quãdo iam dimiſſis vitijs ad virtutes trãſimus. Secunda erat ſolemnitas Penthecoſtes, & fiebat in memoriam Legis datæ, quæ data fuit quinquageſima die ab exitu de Aegypto. Hoc feſtum nos celebramus, cum

legibus obtemperamus. Tertia erat Tabernaculorum, hoc est Scenophegiæ, quæ fiebat ad rememorandum diuinum beneficium protectionis, & deductionis per Desertum, vbi in Tabernaculis habitauerunt, ad denotandum quòd per aridam terram Deserti eos deduxerit ad Terram Promissionis. Hoc festum etiam nos celebramus, quando per hunc mundum quasi peregrini transimus, de virtute in virtutem, quasi ad terram hæreditatis nostræ. Ad dies festos Iudæorum Dominus ascendit homo cum hominibus solemnitates celebrans, & cum eis dies festos agens, ne leg contrarius videretur, & vt populis vndique tunc confluentibus fidei doctrinam annunciaret, eosque per miracula, & signa ad se attraheret. Erat autem in Hierusalem iuxta Tēplum Probatica piscina, in qua aquæ pluuiales à Templo, & ab ædificijs Templi stillantes, colligebantur. Et dicebatur piscina, quasi aqua non habens pisces in aliqua concauitate collecta.

Quattuor piscinas Scriptura cōmemorat in Hierosolymis. Prima superior influente fonte Gyon, ex qua per canale inducebatur in ciuitatem. De hac testis est Isaias, dicens. Egredere in occursum Achaz ad extremū aquæ ductus piscinæ superioris. Secunda inferior, quæ ex congregatione aquarum superioris fiebat, de qua idem Isaias: Congregastis aquas piscinæ inferioris. Tertia, fontis Syloë, de qua Neæmias. Et muros piscinæ Syloë, in hortum Regis. Et vocabatur natatoria Syloë, vt liquet in Ioanne. Erat in radice montis Syon proueniens ex aquis fontis Syloë fluentibus in eam. Quarta, Probatica, de qua in præsenti. Vocabatur autem Probatica ex officio πρόβατα enim græcæ oues dicitur. In ipsa vero piscina oues imolandæ prius lauabantur, ideo probatica, id est peculiaris dicta. Quæ cognominabatur Hebraicæ Bethsaida, quod interpretatur domus pecudum. Vnde satis conueniunt Græca, & Hebraica locutio. Et habebat quinq; porticus in circuitu, vt per plura loca possent ministri ad aquā descendere, & inde hostias abluere. In his porticibus iacebat multitudo languen

Quattuor piscinæ.

Isa. 7. 22.

Neam. 3

guentium, cæcorum claudorum, & aridorum expectantium à quæ motum. Et subditur causa. Angelus enim domini descendebat secundum tempus, id est determinatis temporibus tamen incertis, & interruptis in piscinam, & mouebatur aqua ab ipso Angelo, motu forti ac turbulento, vt esset euidens signum id fuisse factum ab eo, non à vento, vel ab alia accidentali causa. At quoniam hora Angelicæ descensionis erat incerta, ideo languidi ibi continuo iacebant, quasi semper parati, & optantes se inuicem præuenire in ingressu piscinæ, cuius ratio subiungitur. Et qui prior descendebat in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Principaliter à Deo, cui soli competit à qualibet inualitudine propria virtute liberare, Erat enim Angelus tanquam instrumentum diuinæ voluntatis mouens, & aqua velut materia in qua sanitas acquirebatur.

Piscina pœnitentiam figurat.

Quinque peccatoris considerationes.

Sed secúdum spiritualem interpretationem, probatica piscina in qua oues lauabantur, quæ Deo in sacrificium offerebantur, pœnitentiam designat, in qua electi velut oues mundantur, & se in sacrificium offerunt Deo, quia sacrificium Deo spiritus cõtribulatus. Quinque porticus, quinque sunt cuiuscunque peccatoris considerationes. Prima sui infœlicissimi status, omniumq; suorum peccatorum præmentium eum. Secunda, seueritatis extremi iudicij. Tertia, reproborum æternę damnationis, omniumque electorum perpetuæ fœlicitatis consideratio. Quarta, certitudinis mortis, in certitudinisque horæ. Quinta, temporis opportunitatis. In his iacet multitudo cæcorum per ignorantiam veritatis. Claudorum, scilicet, hesitantium, & claudicantium in duas partes, an, scilicet, ecclesiam catholicam, & Sanctorum, patrum decreta, an falsa lutheranorum dogmata pœnitus sequi debeant. Et aridorum, qui passione, & morte Christi non emolliuntur, qui liquore deuotionis non liniuntur, qui nullas pro suis culpis lachrymas fundunt. Sed mouet magni consilij Angelus aquam, scilicet gratiarum, cum corda hominum inuitat ad gratiam

tiam capescendam. Stat quidem post parietem, & pulsat, vt moueatur homo ex gratia Dei mouentis. Preuenit enim gratia, scilicet, gratis data omnem motũ cordis, ad gratiam gratificantem capescendam. Hinc Saluator ait. sine me nihil potestis facere. Et Apostolus. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Anima enim mota per Angelum magni consilij, in sua est facultate per peccati detestationem in piscinam aquę pœnitentiæ a sordibus mũdari, subsequente diuina gratia. Ioan. 15. 1. Cor. 3.

Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia multum iam tempus haberet, dicit ei. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus. Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus. Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.

Species huius infirmitatis non explicatur in Euangelio, sed creditur fuisse paralisis. Nam homo iste iacebat in lecto. Quem cum vidisset Iesus oculo corporali, & compassionis affectu, & cognouisset quia iam multum tempus haberet in infirmitate sua. Id enim Iesus in seipso à principio suæ incarnationis cognouit futurum quod nunc vidit in præsenti, dicit ei. Vis sanus fieri? Optimæ ipsæ nouerat, nec erat aliter asserendum, quoniam tantum ob hanc causam venerat ad piscinam. Sed quærit Iesus, si vult, vt ore profiteretur malum, quæreretque salutem, & vt in ægro desiderium recipiendæ curationis prouocet, sicq; dignior sit ad beneficium sanitatis sumendum. Specialiter quoque hunc vnum alloquitur & curat, quia miserabilior fuit, & iam pro peccatis suis longissima molestia fuerat castigatus. Ideo Dominus qui vulnerauit medetur, & qui percussit, denuo sanat, dicente Thobia. Cum iratus fueris, misericordiam facies. Ideo patienter sustinenda est castigatio dei, omnemque molestiam corporis pati debemus tanquam serui qui corripiuntur Thob. 3.

ad emendationem,& non ad perditionē nostram euenisse credamus. Respondit ei languidus. Domine. Vocat eum Dominum quasi venerabilem virum. Hominē seruientem,seu adiuuantem non habeo, vt cum turbata &c. Dicit ei Iesus,cuius dicere est facere. Surge,tolle grabatum tuum,& ambula. Tria enim præcipit Christus. Primo,vt surgat,propter sanitatem iam in illo instanti acquisitam. Secundo,vt tollat grabatum suum, ad denotandum corpori suo vigorem restitutum. Tertio,vt ambulet ad operis expeditionem. Grabatū enim Cyriace dicitur à graba,quod est caput, quia est lectus portabilis,in quo tantum caput requiescit,sicut pauperes infirmi habere solent. Et statim sanus factus est homo,in quo ostenditur omnipotentia Christi tam inueteratum languorem in instanti imperiose curantis. Virtus nempe diuina cum sit infinita, operatur in instanti quod naturæ minime conuenire potest.

Grabatum quid.

Homo iste languens peccatorem designat, cuius uitium infirmitas est animæ,dicente Psalmista. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana animam meam quia peccaui tibi. Iacet peccator,dum non vult, nec cogitat pœnitere. Triginta & octo annis iacet in infirmitate, quia longo peccandi vsu inueteratus est. Et nota, quòd senarius numerus ad operis perfectionē pertinet. Numerus enim hic perfectus est,quia ex partibus suis simul sumptis efficitur. Ad operationem etiā numerus iste refertur,quia sex diebus operatus est Dominus à principio,sex quoque diebus operari mandauit. Hic vero numerus ductus in seipsum,crescit ad triginta sex. Quamobrem sicut senarius significat operis perfectionem, ita triginta sex perfectionis multiplicationem. Duo autem sunt precepta charitatis amor Dei .s. & proximi Qui si addantur huic sanctæ & fecundæ operationi, efficiunt triginta octo, in quo numero, iacens languidus, surgit & sanatur. quia charitas operit multitudinem peccatorū. Sed primo dicit ei Christus. Vis sanus fieri? Quod idem est dicere. Es ne infirmus. ore proprio confitere peccatum. Affectas sanitatē, odire te

Spiritualis sensus.

Senarius, numerus perfectus.

re te infirmitatem oportet. Vis sanus fieri? Placet ne tibi animæ sanitas? Igitur & gratia. Ergo vt infirmitas displiceat, necesse est, igitur & peccatum. Vis sanus fieri? Potuit ne peccatum te priuare liberæ uoluntatis arbitrio? Potuit ne Sathanas in illud barathrum obstinationis viuentem immergere, vt ibi malum displicere nō possit? Minime. Magnum igitur alte donum collatum est homini, vt liberum arbitrium viuens, etiam quantumcunque peccator non possit amittere. Nam displicentia mali prẹseruatur hominibus à natura, boni, optimique appetitus. Quid est ergo dicere, Vis sanus fieri, nisi tuo vtere libero arbitrio? peccator enim dum optat sanari, suam libertatem ostendit. Cum autem dicit, hominem non habeo, se indigere diuina gratia pulcherrime fatetur. Quid est ergo dicere, Vis sanus fieri, nisi illud Ezechielis asserere? Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quid est dicere, Vis sanus fieri, nisi surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus? Quid denique est dicere, Vis sanus fieri, nisi omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit? Nihil aliud ergo peccatori loquitur Christus, nisi, Vis sanus fieri? Tanquam dicat, Ego sum animæ, & corporis medicus. Fac quod in te est, monitionibus meis acquiesce, & sanabo te. Surge à ruina peccati, Tolle grabatum tuum, id est aufer delectationem peccati in qua quiescis. Fer super te cordis compunctionē, & operis satisfactionem.

Interrogatio, vis sanus fieri ostendit hominis libertatem.

Ezec. 18

Eph. 5.

Zach. 1.

Erat autem Sabbatum in illo die. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanus factus fuerat. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis. Qui me sanum fecit ille mihi dixit tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum. Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset.

Sabbatum erat, quando id miraculum operatus est Christus. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanus fuerat effectus. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Sed simpliciter falsum asserebant, quoniá opera

etiam

etiam corporalia quæ ad diuinum honorem sunt ordinata in sabbato licite fieri possunt. Quemadmodum sacerdotes, sabbatis templum ornabant, hostias aptabant, ac immolabant. Baiulatio autem lecti ab isto sanato fuit ad diuinæ potentiæ ostensionem & gloriam Christi. Velut siquis die dominica miraculosæ liberatus à carcere, deferat ad Ecclesiam vincula sua causa glorificandi Deum. Fuit quoque ex dispensatione summi dispensatoris, qui legem dedit, & ad spiritualem legis intelligentiam introduxit. Præceptum nanque de obseruantia sabbati, partim morale, partim cerimoniale est. Morale quidem, vt aliquo tempore desistant homines ab exterioribus operibus, & vacent Deo. Determinatio vero temporis, cerimonialis est. Ideo cum ceteris cerimonialibus mutata est in Dominicum diem ob memoriam resurrectionis. Ipso enim die omnia opera reparationis nostræ completa fuere. Ideo respondit ei senex. Qui me sanum fecit, illæ mihi dixit. Tolle grabatum tuum, & ambula. Ac si velit dicere. Maius est infirmitatem triginta octo annorum spacio insistentem subito depellere, inducereque salutem, quam iubere grabatum tollere. Sed sibi obediuit infirmitas fugiens, & veniens sanitas, cur non debeo etiam ego ei obedire? Diu tabuit corpus meum non valens iere meipsum, modo ab eo sanatus supra omnem artem, & naturam, vt quid eius mandata non faciam? Non me sanauit obseruantia legis sabbatique custodia, sed huius hominis virtus, sanitati me restituit. Et cum interrogaretur quis esset, ipsum nescire respondit. Cuius tantum ingratitudinem arguit, quòd non nouerat suæ sanitatis auctorem, nec ei reddidit gratiarum actiones. Sed forte perterritus nouitate factorum, aut festinans ad iussum, aut omnino detentus de sanitatis lætitia, aut forte, genus, patriam, & illius nomen ignorans, non curauit agnoscere beneficij largitorem. Ideo ad ipsorum interrogata respondere nequiuit.

Obseruãtia sabbati partim moralis, partim cerimonialis.

Optima responsio senis.

Iesus autem declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi. Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis quia Iesus esset qui fecit eum sanum.

Declinauit Iesus à turba constituta in loco, nolens de miraculo se iactare, præmittens ab ipsis id opus suum examinari, vt eo absente testimonium fieret insuspicabile. Dans quoque nobis exemplum non quærendi laudem in bonis operibus, ac interdum declinandi consortia calumniari volentium, & fugiendi oculos inuidorum in operibus nostris, ne ob id inuidia crescat in eis. Deinde propallato miraculo, & soluta turba, inuenit eum Iesus in templo, quia forte ad agendum gratias Deo de sanitate sibi collata, ibidem accesserat. Siquidem inter turbas Christum non agnouit, sed in templo inueniens eum, de ipso notitiam habere meruit. In quo mistice datur intelligi, quòd Iesus in multitudine peccatorum, & in turbine curarum temporalium facile non inuenitur, sed in spirituali secreto, & in templo cordis quod Deus inhabitare dignatur.

Quomodo Christus inuenitur in templo.

Et dixit illi Iesus instruens eum ad futurorum cautellam. Ecce sanus factus es Dei beneficio, iam noli peccare, id est, non habebis amplius propositum peccandi. Ostendens ei quàm periculosa sit in peccatum recidiuatio, dicens Ne deterius tibi aliquid contingat. Quoniam recidiuante nouissima fiunt peiora prioribus. Tum quia recidiuans grauiter peccat ob ipsius ingratitudinem, ideo à Deo grauis punitur. Tum quia diabolus fortius munit recidiuantem septem spiritibus nequioribus se, quibus ad omnia genera peccatorum trahitur. Tum tertio, quia recidiuans facilius postea in peccatum cadit ex mala quadam consuetudine peccandi. Abijt autem homo ille nuncians Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Id autem fecit simplici animo, ne esset ingratus, & vt Christum glorificaret.

Recidiuatio periculosa.

Post Euangelij enarrationem, non est ignorandum totam

totam materiam de baptismate cum suis conditionibus in hac piscina pulcherrime figurari, de qua satis abunde locuti sumus Tomo 2.cap.18.car.190. Quemadmodum enim virtus illius piscinæ per Angelum à Deo collata quibusdam in determinatis temporibus Iudæis fuerat reuelata, ita Deus baptismum in aqua quinque Prophetis dignatus est reuelare, scilicet, Moysi, Helyæ, Helyſæo, Ezechieli, & Zachariæ, ut ibidem patet. Proinde tres nobilissimæ personæ ad hanc piscinam proficiscebantur, scilicet, Ioannes sacerdotis filius, Christus, & Apostoli. Ideo triplex baptismus, scilicet Ioannis in aqua tantum, Christi in Spiritu sancto solum. & Apostolorum in aqua, & Spiritu sancto simul. Rursus, In piscina tria reperiebantur, scilicet, sanguis Hostiarum, homo triginta octo annorum, & aqua, quia est triplex adhuc baptismus, videlicet, sanguinis, flaminis, & aquæ, vt ibidem. Item, Aqua nullam virtutem habebat nisi veniente Angelo, ita baptismus nisi descendente Christo de cœlo. Quemadmodum insuper piscina sanabat omnes corporis infirmitates, ita baptismus omnes infirmitates animæ. Item, Vnus solus, & primus sanabatur, ita baptismus tantum vna vice sanat, nec ipsum reiterare opus est, dicente Apostolo: Impossibile est enim eos qui semel illuminati sunt, gustaueruntque cœleste Dei donum, &c. Præterea, piscina quinque porticus habebat, quia quinque sunt genera personarum ad baptismum accedentium. Aliqui enim ficte, vt falsi Iudæi accedunt. Alij, vt lauentur ab originali, sicut pueri. Alij, ut ab originali, & actuali purgentur, vt adulti. Alij, vt incorporentur ecclesiæ, vt virgo Maria, & Ioannes Baptista. Christus autem, vt aquam sanctificet. Rursus, Senex aiebat, hominem non habeo vt cum turbata fuerit aqua, &c. quia nullus potest à seipso baptizari, quemadmodum nullus potest seipsum generare. Postremo, vt (nonnulli asserunt) infirmiter immergebantur in aqua piscinæ, qui a in nomine Trinitatis quilibet baptizatur, vt omnia ibidem.

De baptismate multa pulcherrima.

Paulus.

SABBATO POST PRIMAM Dominicam Quadrageſimę; De Purgatorio.

DVplex Purgatorium, ſcilicet, Perfectorum, & Imperfectorum. Primum, in hoc ſeculo. Secundum, in futuro, ex diuina prouidentia palàm inſinuari poteſt. Deum nanque habere prouidentiam de omnibus hominibus non eſt dubitandum. Nam prima cauſa plus influit in effectum, quàm ſecunda, quia primo incipit operari, & eſt vltima quæ deſiſtit ab operæ, habens etiam virtutem id conſeruandi opus. Cum enim homo quiſpiam generat hominem, ipſæ non eſt prima cauſa, ſed Deus, qui excellentiori modo cuiuſcunque hominis Pater appellatur, dicente Saluatore. Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. Si ergo pater carnalis prouidentiam non modicam habet de filijs ſuis (vt nobis euidens eſt, & rationi conſentaneum) quanto magis Deus, qui primus eſt omnium pater curam gerit filiorum ſuorum, dicente Salomone. Puſillum, & magnum ipſæ fecit, diuitem, & pauperem, & eſt æqualiter illi cura de omnibus. Ideo, & prouidentia.

Duplex purgatoriū ex diuina prouidentia.

Matth. 23.

Prouerb. 6.

Prouidentia autem Dei in hoc conſiſtere videtur, vt per meliorem, breuiorem, & faciliorem viam omnes reducat electos ad ſuum deſideratum finem, ſuamque optatam felicitatem. Sed via tentationum, aduerſitatum, & tribulationum eſt omnium breuiſſima per quam tráſierunt omnes Patres, tam veteris, quam nouæ Legis clamantes, per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Igitur per eandem via cū Chriſto oportet nos ingredi in Regnum cœlorum. Nam bene viuere neceſſe eſt. At bene viuere eſt bene facere, & mala pati, & ita perſeuerare vſque in finem, vt alias dictum eſt. Hæc autem via nihil aliud eſt, niſi Purgatoriū perfectorum virorum in quo ſi extant, peccata purgantur, creſcunt virtutes, & merita augentur. Viri autem imper

In quo conſiſtit prouidentia Dei.

Act. 14

imperfecti id purgatorium contemnunt & fugiunt, noluntque pati pœnam in hoc seculo. Sed si tales in fine conuertantur in fide & gratia decedentes, necesse erit eos pati pœnam pro peccatis in futuro, vt inde purgati, vitam potiantur æternam. Aliter felicior fuisset illorum vita, quàm perfectorum virorum, quod absit dicere. Ex diuina igitur prouidentia dari purgatorium tã in hoc seculo pro viris perfectis, quàm in futuro pro hominibus imperfectis, euidens est. De hoc duplici purgatorio exactè scripsimus Tomo 1. scilicet, libro Disputationum, & Tomo 3. lib. 11. cap. 5. fol. 245. super verbis Apostoli primæ Corin. 3.

Duplex purgatorium pro viris perfectis, & imperfectis.

DOMINICA II. QVADRAGES. super Euãgelijs Matthęi, Lucę, & Marci.

Matth. 16.

Post dies sex, assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem, fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Narrat Euangelista Matthæus Christum dixisse discipulis suis. Filius n. hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo. In sequenti capite subdit Euangelista. Et post dies sex, scilicet ab huiusce promissione, assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius. Et licet Lucas videatur oppositum fateri, dicens. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, tamen non aduersatur ei, quia Lucas commemorat diem promissionis, & diem impletionis. Mattheus autem solos intermedios dies computauit. Vt siquis assereret, ab hac Dominica vsque ad alteram esse die octo. Alter vero, esse tantum sex, neuter illorum falsum diceret. Sed isti sex dies ante Christi tran-

Conciliatio Matth. & Lucæ.

transfigurationem, de quibus Matthæus possunt primo comparari ad sex dies quibus operatus est Deus, & septima die requieuit, significans requiem beatorum in visione Dei. Secundo ad sex mundi ætates, in quibus homines operantur, post quas beati cum anima & corpore in beata expectatione requiescent. Ideo post sex dies transfiguratus est Christus. Possunt insuper comparari ad sex hominis ætates, post quas datur iustis requies in cœlo. Habent præterea illi sex dies non modicam collationem ad sex visiones Dei, seu ad sex modos videndi faciem Dei & gloriam eius, de quibus Tomo 3. lib. 1. cap. 7. fol. 21.

Assumpsit ergo Iesus post sex dies commemoratus, Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius tanquam familiares, chariores, & secretarios, qui & resuscitationi puellæ interfuerunt, & nocte passionis à Christo assumpti, atque seorsum ducti fuere. Vel aliter, hos tres assumpsit, quia tres præcipuæ virtutes necessariæ sunt ad Deum videndum, scilicet fides quæ figuratur in Petro, à petra dicto, quia confessus est Christum esse filium Dei. Deinde opera bona quæ signantur in Iacobo, qui primus inter Discipulos operatus est bonum, sumendo martyrium propter Christum. Postremo gratia iuxta illud Apostoli. Gratia Dei vita æterna. Quæ signatur in Ioanne. Ioannes enim interpretatur in quo est gratia. Ideo hos Christus elegit, ad ostendendum has tres virtutes fore necessarias ad visio Dei, sicut Pater, Filius & Spiritus sanctus. Et quemadmodum ex patre generatur filius, sic ex gratia oritur fides, quia fides est donum Dei. Et sicut ex Patre, & Filio producitur Spiritus sanctus, ita ex fide, & gratia fluunt omnia opera bona. Et duxit illos in mōtem excelsum, videlicet in montem Thabor, seorsum ab alijs & transfiguratur est. Sed quomodo videamus. *Tres virtutes necessariæ ad salutem.* *Cur Christus hos tres Apostolos assumpsit.*

Trāsfigurari enim est mutari de figura, in figuram, non quantum ad liniamenta, sed quo ad colores & qualitates. Siquidem facta fuit in eo quædam mutatio, tam ex parte corporis, quàm ex parte vestimentorum, *Quid transfigurari.*

vt eo

vt color vultus eius appareret nitidior Sole. Et videbantur exire radij à facie eius, sicut de corpore Solis. Ipsius quoque vestes immutatæ sunt, non quidem in figura, sed in colore, vt dicitur in litera. Et resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius alba, velut nix. Et hoc dicitur transfigurari, quasi aliam acquirere figuram, dicente Luca. Facta est dum oraret species vultus eius altera, & vestitus eius albus refulgens. Nihilominus nō fuit vere mutatus vultus eius in aliam figuram, sed ad aliam lucis, vel fulgoris quantitatem. Quam quidem mutationem, Lucas alterationem appellat. Transfiguratus est ergo Christus, hoc est in splendidiorem formam, seu gloriosiorem figuram, & qualitatem, mutatus est, in conspectu discipulorum suorum, quibus gloriam quam ipsæ post resurrectionem fuerat habiturus, ostendere voluit, & quam dabit in resurrectione futura suis electis. Ideo tres assumpsit, vt in ore trium testium staret huius transfigurationis testimonium, & propter sanctæ Trinitatis misterium designandum, & ob ternarij numeri perfectionem. Et resplenduit facies eius sicut Sol. Et si illa claritas tanta fuit, quanta post resurrectionem erit, nullum dubium est quin facies eius incōparabiliter fuerit Sole clarior. Lux enim Solis merito comparatur gloriæ Christi, cum vtraque sit essentialis. Lux autem Lunæ, gloriæ intemeratæ Matris, & lux aliarum stellarum gloriæ Sanctorum, dicente Apostolo: Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim differt à Stella in claritate, sic & resurrectio Mortuorum. Fuit etiam differens claritas, lux, & splendor in facie Christi, & Moysi, quia hæc diuina erat, & gloriosa, ad cuius intuitum plurimum lætabantur Apostolorum oculi. Illa autem Moysi fuit de natura Solis, ideo Iudæi non poterant intendere in faciem eius, vt Exodi narrat historia, nec poterat eis loqui, nisi vellata facie.

Luc. 9.

Quomodo Christus transfiguratus est.

1. Cor. 15

Claritas Christi, & Moysi differens.

Et si quispiam dicat cum anima Christi in primo instanti suæ cōceptionis fuerit vnita verbo, & veræ beata, necnon & humanitati coniuncta, cur igitur beatitudo animæ,

animæ, & gloria eius non redundabat in corpus? Respondendum est id tantum factum esse ex diuina ordinatione. Quattuor enim sunt dotes, quæ beati omnibus conceduntur quo ad animam. Prima, in intellectu, quæ est perfecta visio, & cognitio Dei, dicente Saluatore. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Beati etiam vident Deum facie ad faciem. Secunda est, in voluntate, quia beatus habet quicquid vult, & nihil mali vult. Tertia, in memoria, quæ est securitas quædam de illa æterna beatitudine quę amitti non potest. Quarta, in corde, quæ est maxima ipsius lætitia, & omnium bonorum facietas, quia saturabuntur & inebriabuntur Sancti ab vbertate domus Dei. Has dotes habuit Christus semper actu in anima ab initio sui. Quattuor etiam alias dotes corporis commemorat Apostolus Corinthijs, scilicet, impassibilitatem, subtilitatem, agilitatem, & claritatem, quas etiam Christus habuit non actu, sed potentia. Primam, ostendit in cœna, quando dedit corpus suum impassibile Apostolis. Subtilitatem etiam ostendit, in natiuitate ægrediendo de clauso dulcissimæ Virginis vtero. Agilitatem quoque ambulando super aquarum fluenta. Claritatem insuper in hac transfiguratione palàm insinuauit. Dotes nanque dicuntur à Deo collata, animæ, & corpori, pro nuptijs spiritualibus cum Christo. ***Et ecce apparuerunt eis Moyses, & Helyas cum eo loquentes.***

Ioan. 17.

Dotes animæ rationalis.

1. Cor. 15.

Dotes corporis sanctorum.

Illi duo magni Prophetæ, astabant tanquam principales legis Iudæorum Patres, & propter quandam conformitatem quia ambo illi ieiunauerunt quadraginta diebus, & noctibus, sic & Christus. Et quemadmodum Moyses veteris, ita Christus nouæ legis collator. Helyas quoque secundum eius præcurret aduentum. Rursus, Hi duo magni Prophetæ apparuerunt ad designandum Christi perfectionem. Per Moysen enim qui mansuetus erat prę ceteris hominib9, & per Helyã rigorosissimum qui surrexit velut ignis, & tanquam diuini honoris, ac legis ęmulator, palã insinuatur Chri-

Cur apparuerunt hi duo Prophetæ.

ſtum ſimul mitiſſimum,& iuſtiſſimum fuiſſe. Intantum zelatus eſt patris honorem, vt tranſgreſſores conſtantiſſime increparet. Et propter Patrem glorificandum pro hominum ſalute vitam ſuam exponeret morti. Proinde propter imminentiam dignitatis miraculorũ, ac ſanctitatis horum duorum Prophetarum. Et ut tandem manifeſtaretur Chriſtum totius legis ſeruatorem fuiſſe, cuius oppoſitum Iudæi impie fatebantur. Et nota, quòd Moyſes,& Helyas verę,& perſonaliter aderāt, non ſecundum ſimilitudinem quandam, vel Angeli in forma eorum, vt nonnulli ſine ratione dicunt Moyſes enim in corpore aſſumpto apparuit. Helyas inſuper diuina virtute, vel forte Angelico miniſterio adductus de Paradiſo Terreſtri, ſicut ſubſiſtit in anima, & corpore ibidem apparuit. Et vterque eorum in magna claritate, dicente Luca. Et apparuerunt cũ Chriſto in maieſtate.

Prophetæ perſonaliter apparuerunt.

Luc.9. Cum eo loquentes. Et quid loquebantur, niſi ea quę idem Lucas aſſerit, ſcilicet, de exceſſu quem completurus erat in Hieruſalem. De exceſſu quidem amoris, de quo Ioannes: Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. De exceſſiuo etiam amore ipſius Patris, dicente Ioanne: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Rurſus de exceſſu Paſſionis, eo quòd Paſſio eius omnem paſſionem excederet, iuxta illud Hieremiæ. O vos omnes qui tranſitis per viam attendite,& videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus. Item, de exceſſu humilitatis, quia exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiēs. Et tandem de exceſſu iniquitatis qua Iudæi menſuram Patrum excellerunt. Nam Patres eorum tantum Prophetas occiderunt, ipſi vero Dominum Prophetarum. Inde ſubdit Euangeliſta Petri reſponſionem, dicens:

Ioan. 15.

Tren.1.

Philip.2

Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria Tabernacula tibi vnum, Moyſi vnum, & Helyæ vnum.

Diſcipuli Chriſti prius dormiebant ex prolixa Chriſti oratione, vel quia miſerat Deus ſoporem in eos, vnde transfigurationis principium minime viderunt, nec

venientes Moysen,& Helyam, quos Angelus tulerat, sicut portauit Abacuch in Babylone, sed expergefacti viderunt Christum transfiguratum in medio horum duorum Prophetarum. Voluit enim Christus ostendere Apostolis gloriam suam in Monte, Moyse, & Helya præsentibus. Primo, vt ipsis innueret qualis, sit venturus ad iudicium in nouissimo die. Secundo, vt falsam ostenderet opinionem putantium eum Helyam, aut Heremiam, aut vnum ex Prophetis. Sed Helyæ, & cæterorum Prophetarum Dominum. Tertio, vt palam insinuaret se Deum cœli, necnon viuentium, & mortuorum Dominum, qui cœlo imperauit, & dimisit Helyam, & terræ, vt Moysen resuscitaret. Quarto, vt Pater de nube vocans eum Filium doceret Apostolos, quia filius Dei erat in veritate, quemadmodum Petrus prius fuerat testificatus. Quinto, ad dandam maiorem auctoritatem verbis, & gestis suis, & vt induceret homines ad dura, & aspera toleranda ob talem gloriam adipiscendam. Nec non & propter Apostolorum consolationem, & fidei firmitatem.

Cur Christus ostēdit gloriā suā Apostolis.

At Petrus visa Domini maiestate, duorumque Prophetarum, tunc adeo delectatus est, ut cuncta temporalia obliuioni traderet, & ibi in perpetuum manere vellet, ideo Christum sic alloquens ait: Domine, bonum est nos hic esse, vt videamus te in tam admirabili gloria, & maiestate. Moysen quoque & Helyam excellentissimos viros in tanto decore. Si uis (sobriæ loquitur) faciamus hic tria Tabernacula, scilicet, ad perpetuo standum, vel ad continuo habitandum, pro te, Moyse, & Helya. Sed hic non est ignorandum quattuor esse Tabernacula, quæ Scriptura commemorat. Primum est Tabernaculum interius, quod factum est ad Dei habitationem, vt est humanitas Christi, in quo Dei filius habitauit. De quo Ioannes. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus. Et Psalmus: In Sole posuit Tabernaculum suū. Est & aliud Tabernaculū exterius, quod factum est ob bonorum fideliū militiā,

Quadruplex tabernaculum.

Apoc. 21.

sicut est Tabernaculum Eccesiæ, in quo nos omnes quandiu sumus in hac vita militamus, de quo intelligitur illud Psalmi. Vox exultationis, & salutis in Tabernaculis iustorum. Est & aliud Tabernaculum superius, quod factum est ad beatorum recreationem, de quo Psalmista. Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo? Et alibi: Introibo in locum Tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Et rursus. Quam dilecta Tabernacula tua Domine &c. Est adhuc quartum Tabernaculum manufactum, quod est quædam domus portatilis ex lignis fabricata, seu de ramis arborum, vel palmarum. Et de hoc Petrus loquebatur. Sed vt Marcus asserit, nesciebat quid diceret. Et veræ nesciebat, dicente Remigio. O Petre, non est tibi bonum vt Christus ibi moreretur, quoniam si ipsæ mansisset, nequaquam facta tibi promissio consequeretur effectum. Neque enim claues obtinuisses Regni, nec mortis potestas abolita esset. Errauit ergo Petrus putans dari gloriam in terris, quæ sola reperitur in cælis. Errauit quippe, quia arbitrabatur beatitudinem posse acquiri sine Christi passione. Errauit proinde, quia voluit ante mortem beatificari, quod nulli conceditur. Errauit insuper Petrus, quia ab hac societate felicitatis excludebat ceteros condiscipulos. Nam si in monte illo semper manerent, ipsi soli fruerentur gloria calamitatis Christi, alijs prætermissis. Id autem charitati aduersari videtur. Errauit etiam, quia Christus non venerat ad gloriam dandam, sed ad ostendendum illius imaginem, ideo Tabernacula fieri non opus erat. Errauit tandem, quia quilibet beatus suum habet Tabernaculum in cœlis, non manufactum; dicente Saluatore. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sed non est mirum, quoniam Petrus ad tam ineffabilem gloriam attractus, ex feruore deuotionis loquebatur. Et non erat improbum, sed tantum inordinatum, quod concupiscebat. Stephanus etiam dum lapidaretur, videns gloriam Dei, & cœlos apertos, summæ lætatus clamauit. O lapides dulci...

Marc. 9.

Remigio

Quomodo Petrus errauit loquēs in monte.

Contemplatio de gloria Paradisi.

Stephanus

dulciſſimi, venite frangite corpus, vt exeat ſpiritus, & detur mihi corona de lapide precioſo. Venite, faciam ex vobis altare quo me offeram Hoſtiam Domino in ſacrificium laudis. Ecce video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei. Paulus quoque raptus ad tertium cœlum, clamauit. Audiui archana Dei quæ non licet homini loqui. Ideo cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Ioannes inſuper in Apoc. raptus, audiuit Chriſtum dicentem. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt &c. Quot modis etiam merces & beatitudo capiatur in ſcripturis, liquet Tomo 3. cap. 13. car. 34. Non miremur igitur ſi Petrus dixit. Domine bonum eſt nos hic eſſe. *Adhuc eloquente ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, dicens. Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Nubes lucida apparuit, ad differentiam antiquorum miſteriorum, vbi nubes ſi quando apparuerũt miraculoſæ erant caliginoſæ, quia apparitiones illæ in timore, iſta in amore. Illorum cognitio cum velamine figurarum, noſtra ſine figuris. Erat. n. lucida pulchra, & clara, non ex groſſis vaporibus cauſata, ſed talis qualis recepit Ieſum in hora Aſcenſionis ab oculis Diſcipulorum. Et obumbrauit eos, ſcilicet, cooperuit Petrum, Iacobum, & Ioannem, ne oculi eorum claritate corporis Chriſti omnino repercuterentur, & obtunderentur. Et ecce vox Patris de nube. Hic nō eſt putandum Patrem in propria perſona locutum fuiſſe, quia ſi loqueretur Pater, etiam ſimul filius, & Spiritus ſanctus loquerentur, cum ſit vnica locutio trium, & quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & quia Deus ſpiritus eſt, nec habet organa ad vocem formandam, ideo nunquam loquitur. Sed cum dicitur Deus locutus eſt, Angelus in perſona Dei eſſe locutum ingenue fatemur. Et huius rei teſtis eſt Chriſtus loquens Iudeis in Euangelio Ioannis. Quem vos, inquit, dicitis quia Deus veſter eſt, cuius neque vocem vnquam audiſtis, neque ſpeciem vidiſtis. Et tamen ſi Deus veræ loqueretur quando Scriptura cōmemorat eum loquentem, ſæpe Hebræi audiſſent

Qualis erat nubes in transfiguratione

Ioan. 8.

Quomodo non pater, ſed Angelus in Perſona eius loquebatur.

sent verbum eius, ideo nunquam locutus est. Iccirco Angelus in persona Patris hic intonuit, dicens: Hic est Filius meus naturalis, coæternus, & vnicus, non aliunde creatus, vel adoptiuus, dilectus, in quo mihi bene complacui, id est, in quo meum, beneplacitum de redemptione mundi complere constitui. Vel secundum Chrysostomum, in quo delector, in quo requiesco, quem accepto, qui omnia quæ sunt patris diligenter exequitur, & est vna, & eadem voluntas ipsius & patris. Ipsum audire magis, quàm Moysen, & Helyam, quia Christus finis est legis, & Prophetarum. Ipsum audite tanquam supremum, & singularem magistrum, qui docebit vos omnia necessaria ad salutem. Ipsum audite, quia veritas est. Ipsum quærite, quia vita est, & via.

Chrysost.

Felices ergo Apostoli, qui non solum Domini claritatem videre meruerunt, sed & vocem Patris intonantē audierunt. Nec ab hac felicitate nos ex toto alieni erimus, si quem illi crediderunt, & nos credimus, & quem dilexerunt, totis visceribus amamus.

Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitq; eis. Surgite, & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Iesum.

Discipuli audientes vocem, quam Deus maiestatis de nube intonuit, ceciderunt in faciem suam more Prophetarum & Sanctorum. qui frequenter corruisse leguntur auditis sermonibus reuelationis diuinæ, Non ceciderunt retro sicut Iudæi tempore Passionis Christi. Et quemadmodum Hely sacerdos cecidit retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est. Cadunt ergo iusti in faciē, modo propter humilitatem, vt ibi, & procidentes adorauerunt. Interdum propter gratiarum actionem, sicut seniores ceciderunt in conspectu Throni, & adorauerunt Deum. Nonnunquam propter timorem, vt hi Discipuli qui timuerunt valde, vel quia se errasse cognouerunt, vel quia nubes lucida operuerat eos, vel cum Dei patris vocem loquentis audierant, vel quia vox ita tonitruum magnum fuit, vt terra contremuerit, ideo ta-

1. Reg. 4

Mali retro boni in faciem cadūt.

Apoc. 7.

lum

lem terribilitatem ferre minime potuerunt, quare ceciderunt. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos. Moyſe, & Helya his magnis Prophetis iam ad loca ſua vnde adducti erant reuerſis, dixitque eis. Surgite non ſolum à terra, ſed & à priſtina imperfectione. Et nolite timere, inordinato pauore propter vocem cœleſtem, ſed potius de veſtræ fidei certitudine, & mea dignitate vobis iam reuelata, quemadmodum Daniel, & Ezechiel Angelico tactu ſe leuatos, & confortatos fuiſſe teſtantur. Beati ergo illi quos tangit Ieſus. Beati quos tangit ſalus, & vita. Illi enim ſurgunt, illi ſine timore, & ſecuri fiunt. Rogemus ergo eum, vt & nos tangat, & à ſomno ſtuporis, & inſipientiæ excitet, atque ad ſe videndum nobis oculos aperiat, ſicut aperuit oculos Diſcipulorum ſuorum ad videndam ipſius transfigurationem, cuius teſtes voluit habere in cœlo, ſcilicet vocem Patris, Diſcipulos in terra, Moyſen ſub terra, Helyam in Paradiſo Terreſtri.

Cur Diſcipuli timuerunt.

Teſtes trãſfigurationis

Et deſcendentibus illis de Mõte, p̃cepit eis Ieſus, dicens. Nemini dixeritis viſionem, donec filius hoĩs à mortuis reſurgat.

Pluribus de cauſis noluit Chriſtus, vt ante mortem ſuam ipſius trãsfiguratio manifeſtaretur. Primo, vt nos doceret propriam excellentiam occultare, quouſque in præſenti viuimus ſeculo. Secundo, ne huiuſce res ob ipſius magnitudinem incredibilis putaretur. Tertio, ne tẽpore Paſſionis grauiter ſcandalizarentur, qui ex transfigurationis reuelatione ante poterant ædificari. Ideo dixit Chriſtus: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me, diuinitatis meæ fidem non amittens.

Si enim Apoſtoli in transfiguratione (vt ad alia ſpiritualia tranſeamus) ita ſummoperæ lætabantur, quãta erit ſuauitas, & dulcedo videre Regem in decore ſuo, & Angelorum choris, ac omnium Sanctorum intereſſe delicijs. Alliciat ergo hæc Chriſti transfiguratio animos noſtros ad ſe, & à terrenis ad cœleſtia eleuentur, vt contemplemur ęterna, temporalia ſpernentes. Quid ergo vagaris ò anima inquirendo hæc temporalia, corporalia, & bona fortunæ. Patrem ama, quia ipſæ ſolus bonus eſt. Filio fide, qui propter te factus eſt homo.

Spiritualis meditatio.

Circa vitam. Spiritus sancti gratiã opta. Si delectaris vita lõga, Iusti in perpetuum viuent. Si sanitate, Salus aũt iustorum à Domino. Si satietate, Clamat, Sapiens ad dominum. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Si ebrietate, Inebriabuntur ad vbertate domus tuæ. Si consonantia cantus. Cherubin, & Seraphin non cessant clamare. Sanctus, Sanctus, Sanctus. *Circa bona corporis.* Si delectaris pulchritudine, Fulgebunt iusti sicut Sol. Si velocitate, Tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Si impassibilitate, seminatur corpus animale, & resurget spirituale. Si fortitudine, Electi erunt similes, Angelis in cœlo. Si delectaris voluptate honesta, scriptum est, Torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Quo ad animam.* Si sapientia, Sapientiam Sanctorum narrabunt omnes populi. Si amicitia, Iam non dicam vos seruos, inquit Christus, sed amicos. Si concordia, Pax multa diligentibus legem tuam. Si gloria, & diuitijs, Gloria & diuitiæ in domo eius.

Insidientur ergo mihi dæmones, frangant corpus ieiunia, fames, & sitis. Tentationes sua præpararet mundus. Præmant me vestimenta sordida, & vilia. Homines me persequantur quotidie. Labores, vigiliæ, calor, & frigus corpus grauent. Inquietet me caro die, ac nocte stomacho latescente, caput, & anima, ac omnia membra langueant. In dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, vt requiescam in die tribulationis. Et tandem sim beatus in fine.

Alia spiritualis contemplatio. Boëtio. Si enim quispiam quæret à vobis, an desideretis illam æternam felicitatem, profectò omnes dicerent cum Boëtio. Omnis mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit, ad vnius tamen beatitudinis finem nititur peruenire. Et si iterum peteret, an in hoc seculo sit nostra felicitas, quilibet cum Salomone diceret. Vidi cuncta quæ sub Sole sunt, & ecce omnia vanitas, & afflictio spiritus. Si autem denuo postularet, an in Deo, & in patria sit nostra beatitudo, omnes cum propheta clamarent, Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Et si rursus innueret an

beati

beati habeant omnia bona, maiori voce dicerent. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus. Cur igitur non mouemur ad illam æternam felicitatem capescendam? Nonne omnia ad suum finem tendunt? Grauia nanque locum petunt deorsum, & leuia sursum. Curamus igitur omnes in studio hujus vitæ, vt præmium obtineamus sempiternæ fruitionis.

FER. SECVNDA DOMINICAE secundæ, super Euangelio Ioannis.

Ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. Quattuor erant ad quæ Christus proficiscebatur. Primo, quidem ad Patrem ipso dicente in Euangelio Ioannis. Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad Patrem. Et infra: Vado ad eum qui me misit. Ab eo certe missus erat, à quo non recesserat. Et ad eum ibat, cum quo erat. Quoniam in principio, id est, in Patre erat verbum, & verbum erat apud Deum. Sed tamen non credebatur esse cum Patre, ergo hoc sibi fuit iræ ad Patrem, in notitiam venire credentium, quòd æqualis esset patri. Rursus: Christus ibat ad perimendam dispositionem deitatis de salute humani generis, vnde ad effectum deduxit Sanctorum prædestinationem, iuxta illud Apostoli, Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quemadmodum ipse in Ioanne testatur. Vado vobis parare locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, &c. Profectus est præterea Christus ad domum æternitatis, ad gloriam immortalitatis, vt illuc nos adduceret, prout ibidem subdit. Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt ibi sum ego, & vos sitis. Iuit denique Christus per se, vel per Apostolos à Iudæis ad gentes. Non enim receperant eum sui ad quos primo venerat. Ideo ipse post resurrectionem

Ioã. 14. 16.
Quatuor ad quæ ibat Christus.
1. Thim. 1.
Ioan. 14.

ctionem mandauit Apostolis, dicens. Euntes docete
Matth. vlt. omnes gentes. Dicit ergo Christus. Ego vado, id est, per Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem reuertor ad Patrem secundùm naturam assumptam, cui competit iræ, atque reuerti. Et quæritis me, scilicet, capere, & occidere, & nomen meum, ac fidem extinguere. Deinde quæretis me in membris meis, quia persecuturi estis post Passionem meam Apostolos, ac ceteros primitiuæ Ecclesiæ Patres, quemadmodum ad Saulum loquebatur Christus,
Act. 9. Saule, Saule, quid me persequeris? Et in peccato vestro moriemini, id est in hac vestra infidelitate, & obstinatione. Quid est enim mori in peccato, nisi extra fidem, & gratiam? Et quo ego vado puta ad patris æqualitatem, & ad Thronum gloriæ eius, vos non potestis venire, scilicet vestra virtute, & facultate, quia nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Est enim peccatum quædam claudicatio interioris hominis, vt se solo non possit moueri ad gratiam, nisi prius clamet ad Dominum. Emitte manum
Ioan. 6. tuam de alto, &c. Vel quo ego vado vos non potestis venire, quandiu estis tales, quales nunc estis. Peccata enim vestra separant inter Deum, & vos, & ipsa prohibent bonum à vobis.

Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quo ego vado non potestis venire? Et dicebat eis. Vos de deorsum estis, Ego de superius sum. Vos de mundo hoc estis, Ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

Profectò tanquā stulti, & insani Iudæi nunc loquebatur. Quid enim consequentiæ habet, vadit quo nos nō possumus eum sequi, ego interficiet se? Imò interficientem se poterant sequi inferendo sibijpsis mortem nefariam. Prius enim (vt literam sequamur) audientes hæc eadem verba, dixerant. Nunquid in dispersionem gentium iturus est? Nunc peiora cogitant. Nunquid interficiet semetipsum? Existimantes ad omnem locum quo iret Iesus posse quoque se ire, de locis huius mundi loquendo.

quendo. Et sola morte posse iræ illæ, quo ipsi non possent sequi. Supponebant enim quòd nullus eorum se vellet interficere.

Deinde subdit Euangelista. Et dicebat eis Iesus. Vos de deorsum estis, id est de massa originali peccato infecta, de semine libidinoso, de conuersatione terrena, & infimis rebus inhæretis. Vel de deorsum estis, id est ex diabolo nati, non per creationem, sed per imitationem malitiæ suæ, dicente Ioanne. Qui peccat ex diabolo est. Ego de superius sum, id est natus à Deo patre, & per incarnationis misterium descendi à summo cœlo. Est nãque corpus meum supernaturali virtute à Spiritu sancto formatum ex purissimis virginis Matris meæ sanguinibus. Vos de hoc mundo estis, id est de numero hominum perfidorum, de generatione malorum, quorum caput diabolus est. De hoc mundo, Iacobus ait: Adulteri, an nescitis quoniam amicitia huius mundi inimica est Deo? Ioannes quoque contra hunc mundum clamat. Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo, quia qui diligit mundum, non est charitas patris in eo. Mundus enim totus in maligno positus est. Christus autem non erat de hoc mundo, quia non aliqua naturali virtute conceptus, sed de Spiritu sancto. Ceteri quoque electi de numero mundanorum, ac reproborum minime reperiuntur, quibus dixit Christus. Quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus, id est malorum, ac reproborum cœtus.

Quid sit esse de deorsum.

1. Ioan. 3

Iacob 4.

1. Ioan. 5.

Ioan. 16

Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris, quia in his perseuerabitis, atque peribitis. Si enim non credideritis quia ego sum, non dicit, nisi credideritis quia ego sum Christus, vel Messias, sed simpliciter quia ego sum, vt ostendat se illum esse qui quondam locutus est ad Moysen, dicens: Ego sum, qui sum. Sic dices filijs Israël. Qui est, misit me ad vos. Dixit etiã, ego sum in præsenti, quia quidquid mutari potest, si mutatur iam non est, quod erat. Omne autem citra Deum mutatur. Et quod futurũ est nondum est, qđ vero fuit,

Exod. 3.

Quomodo soli Deo proprium est esse.

iam non est. Solum autem præsens est. Quia vero Deus nescit futurum aut præteritum, sed præsens tantum, creatura autem omnis modicum habet præsentis, sed multum de futuro & præterito, & quod modicum est quasi nihil reputatur, ideo propter hæc omnia soli Deo conuenit esse. Et quia Christus est verus Deus & homo, ideo recte dixit, nisi credideritis quia ego sum. Et non dixit, nisi intellexeritis, quia quantum ad suum esse incomprehensibilis est. Sed nisi credideritis, quia fides supplet locum intellectus. Moriemini in peccato vestro. Peccatum enim triplicem mortem attulit nobis, scilicet corporalem, spiritualem, & æternam. De prima sic loquitur Apostolus. Per vnum hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertransijt. De secunda, illæ idem ait. Existimate vos mortuos quidem esse peccato. Et alibi. Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris in quibus aliquando ambulastis, &c. De tertia, Psalmista loquitur. Sicut oues in Inferno positi sunt, mors depascet eos. Prima mors est mala, & terribilis, quia corpus occidit. Secunda peior, quia interimit animam. Tertia pessima, quæ animam simul & corpus occidit. Ideo Psalmus. Mors peccatorum pessima. Et Dominus in Euangelio. Eum timete qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Moriuntur ergo infideles in peccatis suis, quia non credunt Christum esse Deum. Fides autem est vita animæ, quia iustus ex fide viuit. Moriuntur in peccatis suis, qui fidem habent & non opera bona. Isti enim credunt eum esse Deum, & factis negant, quia non sequuntur eum operibus bonis. *Dicebant ergo ei. Tu quis es? Dicit eis Iesus. Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare, sed qui misit me verax est. Et ego quæ audiui ab eo hæc loquar in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum.* Iudæi non vt credituri, sed calumniaturi aiebant. Tu qui es? Quibus dixit Iesus. Principium qui & loquor vobis Principij nomine Deus proprie intelligitur, quia prin-

Roma. 5. *Roma. 6.* *Ephe. 2.*

Triplicem mortem attulit peccatum.

Matth. 10.

Abach. 2.

cipium

cipium est ex quo aliud procedit, sicut ex igne calor, & ex Sole splendor. Ita Deus visibilium, & inuisibilium principium est, & omnis creaturæ Dei, & conuenit Christo inquantum est Deus, & inquantum est filius, qui cum Patre est principium Spiritus sancti. Dixit itaque Christus. Ego sum primum vniuersorum Principium secundum naturam diuinam, tanquam Creator omnipotens, qui cum Patre, & Spiritu sancto sum vnum Principium, vnus Creator, vnusque omnium rerum Finis. Ego sum α, & ω, primus, & nouissimus, qui loquor vobis per humanam naturam assumptam. Quamuis enim Pater sit principium Filij, Filius quoque principium Spiritus sancti ad intra, Pater tamen, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnum principium essentiale totius creaturæ. Quibus verbis Christus suam diuinitatem palàm insinuauit.

Quomodo Christus est principiũ.

Et quia ratione diuinitatis competit Christo iudiciaria potestas per auctoritatem, ratione vero assumptæ naturæ per potestatis executionem, ideo subdit. Multa habeo de vobis loqui, opera vestra mala increpando, & iudicare, vos ipsos reprobando sicut erit in die iudicij, quando omnes stabunt ante tribunal Christi, qui tunc illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, atque de omni verbo ocioso exiget rationem. Per id enim quod ait, multa habeo vobis iudicare, insinuat, quòd non in primo, sed in secundo aduentu veniet ad iudicandum. Et talis est sensus verborum. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed quidem vera, quia qui misit me verax est, imò veritas per essentiam. Et quæ audiui ab eo, hoc est veritatem quam ab ipso accepi, hanc loquor hominibus in mundo. Iccirco non mentior, quia ego sum Sapientia Patris. Et non cognouerunt Iudæi, quia Patrem suum dicebat esse Deum, ob illorum ruditatem, & cæcitatem. Carnales enim erant, & animales, non præcipientes ea, quæ Dei sunt. Dixit ergo eis iterum Iesus, & præcipuæ illis quos nouit conuertendos.

1. Cor. 4.

Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui miſit me, mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

Paſſio, & Mors Chriſti in cruce, quam ipſæ exaltationem appellat, quinque nos docuit. Primò, Chriſtum eſſe verum Deum, & hominem, Meſſiam quoque in lege promiſſum, ideo dixit. Cum exaltaueritis filium hominis, id eſt, poſtquam erexeritis, & confixeritis me in patibulo crucis, tũc cognoſcetis, quia ego ſum Chriſtus filius Dei. Mox enim dum Chriſtus ſpiritum tradidiſſet, viſis mirabilibus quæ tempore ſuæ ſuſpenſionis fiebant in cœlo, & in terra, ab hora ſexta vſque ad nonam, multi compuncti corde, confitebantur Ieſum eſſe verum Meſſiam. Vnde legitur in Luca. Omnis turba eorum qui aderant, viſo terræmotu, & his quæ fiebant, percutientes pectora ſua, reuertebantur. Similiter in die Penthecoſtes, & deinceps, multa milia Iudæorũ ob prædicationem Apoſtolorum conuerſa ſunt. Intantum quòd etiam multa turba Sacerdotum fidei obediebat. Secundo, eleuatio Chriſti in cruce nobis oſtendit ipſum, à ſeipſo nihil facere, quare ſubdit. Et à me ipſo facio nihil, id eſt nihil pœnitus ago, niſi per virtutem mihi à patre collatam, à quo habeo quidquid habeo ſecundùm vtranque naturam. Tertio, omnem ſcientiam habere à Patre, ideo ſubiungit. Sed ſicut docuit me Pater, id eſt ſecundùm ſapientiam mihi à Patre communicatam, hæc loquor. Pater enim dicitur eum docuiſſe, quoniam generando communicauit ei omnem ſapientiam ſuam, quæ eſt vna numero in tribus perſonis. Etiã ſecundùm naturam humanam omnem ſcientiam creatam accepit à Deo. Quarto, exaltatio Chriſti nos ingenue docuit naturam diuinam ſemper fuiſſe homini Chriſto coniunctam, iccirco ſubinfert. Et qui me miſit mecum eſt. Pater enim inſeparabiliter eſt cum Filio, ſecundùm vtranque naturam. Nam filius eſt Deus per identitatem eſſentiæ, ſed inquantum homo eſt Pater in eo per ſpecialem inhabitationem, ac inſeparabilẽ gratia

Luc. 23.

Act. 1. 4.

Exaltatio Xpi quinq; nos docuit.

tiæ vnionem, atque beatificam fruitionem. Et non reliquit me solum, quoniam inseparabiliter adest mihi.
Quinto, Christum semper fuisse obedientem Patri, propterea sequitur. Et ego quæ placita sunt ei, facio semper. Fuit enim Christus à principio suæ incarnationis obedientissimus voluntati diuinæ, sicut ipsæ in Psalmo testatur. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam. Deus meus volui. Ideo Apostolus: Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, &c. At quoniam incarnatio verbi ordinata fuit ad humani generis redemptionem, fecit Christus iugiter quæ sunt placita Patri, quoniam totum quod gessit ad nostram salutem secundùm Patris præ dispositionẽ, affectuosissimæ ordinauit, &c. *Philip.1*

Et quia dixerat Christus Iudæis, moriemini in peccatis vestris, ideo de peccato hic nonnulla sunt differenda. Primo, quo ad diuersa ipsius nomina. Peccatum enim, multas habet appellationes. Vocatur macula, & hoc quia imaginem animæ deformat. Dicitur reatus, quoniam obligat ad pœnam æternam. Item pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione. Rursus, vocatur pœna, eo quòd respicit primi hominis peccatum, in quo humana natura corrupta fuit. Proinde delictum, secundùm quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ. Vocatur etiam culpa, propter pœnam quam respicit. Item, Offensa & hoc quia contra diuinam legem, & bonitatem. Præuaricatio insuper, & hoc inquantum mandatum Dei respuitur. Vitium quoque dicitur, id est defectus bonorum naturalium. Peccatum perinde, prout est conuersio ad commutabile bonum. Vocatur scelus, propter iniuriam Dei magnam. Nefas quoque prout est illicitum personæ perpetranti. Et tandem crimen appellatur secundùm quod est accusatione dignum & pœna. Habet enim duplicem pœnam sibi annexam, scilicet temporalem, quia propter peccata veniunt aduersa, dicente Domino, ad hominem quẽ sanauerat in piscina. Noli amplius peccare, ne deterius &c. *Peccatum quomodo habet diuersa nomina.*

Et

Et æternam, qua decentes in peccato, æternaliter puniuntur. Peccatum præterea duplex habet significatum, scilicet, positiuum, prout est dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Et priuatiuum, inquantum notat priuationem diuinæ gratiæ in præsenti, & gloria in futuro.

Tria reperiuntur in peccato, temptator, caro, & ratio.

Scire etiam operæprecium est, quòd in omni peccato tria præcipuæ reperiuntur. Videlicet, Serpens, Eua, Adam. Id est temptator, voluntas carnis, & voluntas intellectiua. Et quemadmodum Eua coniuncta est Adã viro suo, & subijcitur ei, sic sensitiua voluntas coniuncta est intellectui, & rationi, & tenetur subijci ei, vt ratio dominetur sensui. Serpens temptat Euam, quæ si non consentit, nullum subsequitur peccatum, sed solus Serpens peccat. Sic diabolus temptat carnem, quæ si non assentit ei, nullum sequitur peccatum etiam veniale. Eua consentit, & non Adam, illud est peccatum tantum veniale. Sic voluntas sensitiua delectando consentit interdum.. Sed si ratio non consentit, nullum extat peccatum, nisi tantum veniale. Et quemadmodum Adam consentiendo mortaliter peccat, sic ratio, & voluntas intellectiua si consentit, lætaliter præuaricare dicitur. Ideo scribitur, peccatum cum consumatum fuerit, scilicet, per voluntatem intellectiuam, generat mortem.

August. De libero arbitrio nõ nulla notanda

At quoniam peccatum, teste Augustino, adeo voluntarium est, quòd si non esset voluntarium non esset peccatum. Et si voluntarium, ideo à libera voluntate, procedit. Liberę enim homo peccat, & libere desistit a peccato, quia à nullo cogitur. Liberæque Christum quærit, & sequitur, ideo de libero arbitrio potest hic fieri pulcherrima concio. Et primo quomodo de libero arbitrio aliter locuti sunt Philosophi triplicem operationem asserentes. s. naturalem, violentam, & liberam. Operatio enim naturalis est quæ à principio intrinseco procedit, & velocios, in fine, quàm in principio. Vt motus lapidis ad centrum terræ. Operatio vero violenta, opposito modo describitur, quoniam à principio extrinse

extrinseco deriuatur,& est tardior in fine,quàm in principio,vt motus eiusdem lapidis sursum. Operatio autem libera est quæ procedit à libera voluntate. Item de eodem libero arbitrio aliter loquuntur Theologi,& diuinarum,& scripturarum interpretes, triplicem libertatem non ignorantes,scilicet angelicam,diuinam, & humanam. Est enim diuina libertas quæ à nullo cogi potest,aut necessitudinem pati. At libertas Angelica,est quæ non potest seruire peccato. Liberi enim sunt Angeli,& Sancti ab omni miseria,& ab omni culpa,& pœna. Sed humana libertas est quæ habet velle, & nolle in cuius facultate est elicere bonum vel malum. Bonum quidem gratia assistente, malum vero gratia desistente. Deinde quomodo differt potentia naturalis à potentia libera,& vbi consistit nostra libertas. Secundo,qualiter necesse est dari liberum arbitrium quo ad naturam, quo ad gratiam,quo ad gloriam. Rursus,quid sit liberum arbitrium, & quomodo est homini connaturale vt grauitas plumbo, & an damnati habeant liberum arbitrium, & quemadmodum intellectus suapte natura potest perfecte Deum intelligere, sic voluntas potest eum perfecte amare. Deinde,quomodo scripturarum testimonijs dari liberum arbitrium tam ad bonum quàm ad malum euidentissime demonstratur. Et tandem, qualiter omnia obediunt Deo præter hominem, & non nisi ob libertatem sibi connaturalem. Tertio,de quinque libertatibus primi hominis quas peccando amisit, sed per Christum huiusce libertates fuerũt recuperate. Quæ omnia exacte diffuse habentur Tomo primo,scilicet,lib.disputationum.

Triplex libertas.

FERIA TERTIA DOMINICAE secundæ Quadragesimæ, super Euangelio Matthæi.

Locutus est Iesus ad turbas, & ad Discipulos suos, dicens eis. Super cathedram Moysi sederũt Scribæ,& Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate,& facite. Matth.23

Quadruplex cathedra. Quadruplex cathedra reperitur in Scripturis, scilicet, Pestilentiæ, Ignorantiæ, Moysi, & Christi. Super primam sedent Hæretici hæreses seminantes, & falsa dogmata docentes. Etiam iniusti iudices personarum acceptatores peruertentes iudicium, & iustitiam, necnon & mali prælati, malum exemplum præbentes, male viuentes, ac deterius operantes. De quibus Christus. Qui soluerit vnum de mandatis illis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regnum cœlorum. De hac Cathedra loquitur Dauid in Psalmo: Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentiæ non sedit. Super Cathedram ignorantiæ sedent Doctores imperiti, nescientes legem, & mandata Dei, vtrunque testamentum ignorantes. Concionatores quoque, & Confessores ignari, contra quos dixit Dominus ad Aaron, Præceptum est sempiternum in gene- *Leuit. 10. 14.* rationibus vestris, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum, docentes filios Israël omnia legitima mea. Et infra scribitur, vt Sacerdotes habeant scientiam discernendi inter lepram, & lepram. Ideo Augustinus, vt de pe. *August.* dist. 6. legitur, Qui vult, inquit, confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam coràm Deo, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur à Deo, misericorditer, dicente. *Matth. 15* Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foueam cadunt. Super cathedram Christi sedent eruditissimi viri, vita, & moribus præstantissimi, qui bene docent, & integerrime viuunt, de quibus Dominus in Euangelio: Qui fecerit, & custodierit vnum de præceptis *Matth. 5* meis, vel omnia præcepta mea, & sic docuerit homines, magnus vocabitur in Regno cœlorum. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, id est, legis doctores, & Pharisæi, viri religiosi, vt hic Dominus in Euangelio loquitur, qui tanquam fons sapientiæ, & verbum Dei in excelsis sedet ad dexteram Patris, & vt magister, & doctor loquitur, & erudit nos, quid circa inferiores legis

legis cathedram, aut magistri doceant, aut discipuli audiant. Ad turbas, & discipulos suos, ad auditores, & magistros, ad omnes sermo Christi dirigitur, dicentis. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæ.

Omnia quæcunque dixerint vobis seruate, & facite. Ex quibus verbis, & alijs scripturarum testimonijs, manifeste constat qualiter tenentur homines inferiores non tantum esse subiecti, & obedientes summis Ecclesiæ Pastoribus, quinimò & Dominis temporalibus. Et non solum propter temporalem punitionem, verumetiam, & sub lætalis criminis pœna, ne, scilicet, eorum conscientia aliqua culpa grauetur, & damnationem incurrant. Ait enim Apostolus: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Igitur lætaliter peccant. Et infra concludit. Ideoque necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Et illæ idem ad Ephesios: Serui, obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate, seruientes sicut Domino, & non hominibus. Petrus quoque in epistola Canonica, ita paulo arridet. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Et paulo post subdit: Deum timete, Regem honorificate. Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis.

Temporalibus, & spiritualibus dominis tenemur subesse.

Rom. 13.

Eph. 6.

1. Pet. 2.

Tenentur præterea inferiores non tantum esse subiecti & obedientes, sed & pro suis dominis temporalibus

Deum aſſidue rogare, quemadmodum Iudæi captiui ſcripſerunt his qui erant in Hieruſalem dicentes. Ecce miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holocauſtomata, & thus, & facite manna, & offerre pro peccato ad aram domini Dei noſtri. Et orate pro vita Nabuchodo-

Baruch 1. noſor regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram, & vt det dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & ſub vmbra Balthaſar filij eius, & ſeruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam inconſpectu eo-

1. *Thim.* 2. rum. Apoſtolus inſuper ad id idem exhortatur dicens. Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus. De ſacerdotibus, & prælatis idem aſſerit Apoſto-

1. *Thim.* 5. lus cum dixit. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximæ qui laborant in verbo,

Hebr. 13. & doctrina. Et ad Hebræos ita loquitur. Filij obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacere eis, ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri. Et hoc eſt quod præcepit dominus in lege, dicens. Qui ſuperbierit nollens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis

Deut. 17. morietur homo illæ, & auferes malum de Iſraël. Cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Dominus quoque eccleſiæ pro-

Luc. 10. poſitis ait. Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit, &c.

Si igitur ita tenemur eſſe ſubiecti, & obedientes omnibus ſuperioribus noſtris ex Chriſti, & Apoſtolorum decretis, cur ſanctorum Patrum à principio naſcentis eccleſiæ tam præclara decreta obſeruare contemnunt recentiores hæretici, qui non gerunt in manu niſi epiſtolas Pauli, quibus operibus contradicunt? Cur clamant humanas leges non obligare? Cur eccleſiaſticas ſanctiones audire negligunt? Cur eccleſiā non poſſe præcipere

cipe ieiunium,&alia id genus ita neqter asserũt?Quorsum tendunt hæc verba? Nonne diuinis scripturis veritati,& rationi aduersantur? Ecce hic Christus manifeste dicit. Omnia quæcunque dixerint vobis, scilicet, ad cathedram pertinentia,& ad vestram veritatem, corde seruate,& opere facite. Non quidem simpliciter quæcunque, sed illa tantum quæ Moysi cathedrę doctrinæque conueniunt,& quæ à vera fide non discrepant, neque diuinis repugnant mandatis. Ideo Chrysost. Omnia ait, quæ corrigunt mores,& meliorem faciunt vitæ modum,& nouo testamento concordant, sub iugo legis esse dicuntur. Ex quo patet, quòd etiam malis prælatis, & Doctoribus bona docentibus est honor obedientiæ exhibendus vt dictum est, nisi in his quæ palam Deo aduersantur. Suntque summa reuerentia honorandi quandiu tollerantur in officio, Dauidis exemplo qui Saul venerabatur, licet sciret eum esse malum,& reprobatum. Et per hoc auditoribus tollitur excusatio non bene agendi. Obediendo nanque doctoribus, & malis prælatis, Deus in eis honoratur, cuius personã gerunt. Non enim sua, sed quæ Dei sunt asserunt. Deinde Christus postquam præcepit prælatorum obedientiam, vertit folium, dicens.

Contra lutheranos.

Chrys.

Quomodo honorandi sunt pastores.

Secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.

Huiusmodi enim mali prælati,& concionatores qui bona prædicant, & non faciunt ea sunt audiendi, sed non sunt imitandi, ideo subdit. Secundum vero opera eorum quæ præter id quod oportet, nequiter faciunt, nolite facere. Audiamus, & non imitamur, dicente Chrysost. Si bene vixerint eorum est lucrum, si bene docuerint, vestrum. Accipite ergo, quòd vestrum est,& nolite discutere, quòd alienum est. Dicunt enim & non faciunt, quia vita doctrinæ non concordat. Docebunt enim bene viuere secundum legis præcepra,

Chrysost.

pta, ipsi vero per legis præuaricationem malæ operabantur, contra quos dicit Augustinus. Bene docere, & malæ viuere non est aliud, quàm se sua lingua damnare. De quibus illud Genesis verificari potest. Vox quidem, vox Iacob est, manus autem, manus Esau. Vbi Chrysostomus: Maximæ accusatione dignus est qui doctrinæ auctoritatem habens legem transgreditur. Tum quidem, quia præuaricatur, qui alios corrigere debet. Tum quia peccans maiori pœna dignus est propter honorem. Tum quia plus corrumpit velut in ordine Doctoris, excellentiorisque gradus peccans.

August.

Gen. 17.

Chrysost.

Alligant enim onera grauia, & importabilia, scilicet, suarum traditionum, & legum, & imponunt in humeros, non suos, sed aliorum hominum per coactionem obseruantiæ præceptorum, quia supra legis præcepta constituerunt ex suis traditionibus, multaque erant subditis grauia, & importabilia. Digito autem suo, idest leui motu, vel tactu, nolunt ea mouere. Siquidem non dixit, non possunt, sed nolunt. Non dicit manu, sed digito, & modico tactu. Non dicit portare, sed mouere, quod ad modicum conatum refertur. Ex quibus omnibus erudiuntur doctores, concionatores, & qui curam gerunt animarum, vt quæ docent non malis moribus impugnent, sed operibus adimpleant instar Apostoli dicentis. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipsæ reprobus efficiar. Deinde vt non imponant onera grauiora super humeros pœnitentium. Vbi enim paterfamilias largus est dispensator, non debet esse tenax. Si Deus benignus est, vt quid sacerdos est austerus? Omnia vero opera sua faciunt, inquit Christus, ea, scilicet intentione, & eo fine vt videantur ab hominibus, & sic habeant gloriam inter homines. Tales autem nullam mercedem de operibus recipiunt, quia non student vt Deus glorificetur, sed vt ipsi in his quæ agunt laudentur, & remunerentur. Itaq; non solum nullam mercedem, sed & pœnam recipiunt æternam. Inde subdit.

Contra malos prælatos, & concionatores.

1. Cor. 9

Concionatorum, & sacerdotū documentum.

Dilatant enim phylateria sua, & magnificant fimbrias. Amāt aūt primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hoibus Rabi.

Legitur in Deuteronomio. Audi Israël, dominus Deus vester, Deus vnus est. Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens. Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter oculos tuos, scribesq; ea in limine, & ostijs domus tuæ. Sed hæc verba Scribæ, & Pharisæi iuxta sonum literæ malæ interpretantes scribebant in membranis, & chartis non omnia præcepta Decalogi (vt nonnulli sine ratione fatentur) sed tantum hæc duo, scilicet, diliges dominum Deū tuum, &c. Et dominus Deus tuus, vnus est, vt enim liquet in textu hæc duo tantum ibi præcipiuntur. Et hæc fronti vice coronæ circumponebant, vt præceptorum Dei admonerentur. Dicebanturque phylatheria à phylare, quòd est seruare, & theria, quòd est lex, quasi conseruatoria legis, eo quòd quicūque ea habuissent quasi ob custodiam, & monimentum sui haberent. Pharisæi itaque phylatherijs communibus non contenti, dilatabant ea, faciendo illa latiora, vt magis apparerent. Rursus, Magnificabant fimbrias, de quibus in libro Numerorum ita scribitur. Dixit quoq; Dominus ad Moysen. Loquere filijs Israël, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos quattuor palliorum, ponentes in eis vittas hiacynthinas, quas cum viderint recordentur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini vt faciant ea, sintq; sancti Deo suo. Pharisæi ideoq; latiora phylatheria gestantes, & maiores latioresq; fimbrias quibus se (quanq̃ falso) mandata Dei iugiter in corde gestare profitebantur, apud populum religiosiores, & sanctiores haberi volebant. Et id erat hippocrysis. Sed hic non est igno-

Deut. 6.

Quid philaterium.

Num. 15.

Philateriũ & fimbria ad diuersas memorias. randum, quòd philatherium erat pro memoria specialiter mandati de vnius Dei dilectione ex toto corde &c. vt supra dictum est. Fimbriæ autem pro generali memoria mandatorum Dei.

Amabant quoque vt inquit Saluator primos accubitus insigniores que discumbendi locos in conuiuijs, primas sedes, præsidentiasque in synagogis, salutationes in foris, id est in his locis ad quæ est plurimus hominum concursus. Et vocari ab hominibus rabbi, id est magistri, quod est nomen honoris, & magnificæ sapientię. Volunt quippe appellari, & non esse (vt inquit *Crysost.* Chrysostomus) quia nomen appetunt nominisq́. honorem, & officium negligunt.

An liceat Christianis ad collum suspendere verba aliqua sacra in chartulis scripta.

PRimo considerandum est, quòd scripta in quadruplici reperiuntur differentia. Aliqua sunt pęnitus mala, vbi coniurationes nigromantica, inuocationesq́ue *scripta quadruplicia.* dæmonum inueniuntur. Characteres quoque, trianguli, quadranguli, quadrati, trigoni, pentagoni, circuli, nomina insuper dęmonum incognita, & alia quàm plura superstitiosa. Ad collum autem huiusce scripta suspendere, vel in aliqua corporis parte ferre, semper est mortale crimen, & diaboli cum opus. Alia sunt scripta in quibus reperiuntur Euangelica verba, Apostolorum & aliarum scripturarum dicta, quibus tamen connectũtur nonnulli characteres nigromantici, nomina aliqua dæmonum vel incognita, quæ omnia sunt simpliciter reijcienda. Nulla enim figura seu character, nec aliquod signum debet in scripto poni, præter crucem Christi, Alia sunt prohibita. Talia igitur ad collum suspendere quæcunque sint est euidens malum, & erroneum. Alia sunt in quibus scribuntur verba proficua, quæ tamen non eliciuntur ex diuinis scripturi. Vt sunt quædam particulares orationes, quæ ideo sunt factæ non

non vt portentur, sed vt legantur, ad Dei laudem, & sanctorum honorem. Ferre autem huiusmodi scripta non est simpliciter bonum neque malum, sed opus indifferens, potius malum quàm bonum. Quia sola illa scriptura est manifeste licita ad portãdum, quę est diuinarum scripturarum pars. Secus autem de alijs dictis, vel orationibus quæ ab hominibus fabricantur. Nam licet bona verba contineant, & nihil mali admisceatur, non licet tamen hæc ad collum habere suspensa, vel in alia parte corporis. Cuius ratio assignari potest, quia aliud est scripturam esse licitam ad legendum, & aliud ad portandum. Nam legere aliquid est propter ipsius veritatem, ideoque omne illud quod est manifeste verum, licet legere & allegare. Portare autem suspensum ad collum non est propter veritatem, sed propter efficaciam. Nã talia portamus, quasi aliquid boni efficiatur in nobis. Id autem nõ efficitur, nisi à Deo, inquantum nos reuerenter portamus illud quod ad ipsum pertinet. Sola autem diuina Scriptura est Deo pertinens, igitur tamen illam nobiscum ferre debemus. Alia sunt scripta in quibus sunt Euangelia, cruces, epistole Pauli Psalmi, oratio Dominicalis, & alia id genus quæ ad diuinam scripturam sunt pertinentia, huiusmodi tamen non habent in se nisi veritatem, quamobrem hanc diuinam scripturam ferre nobiscum, vel eam habere ad collum suspensam non est simpliciter bonum neque malum, quia nullam in se virtutem habet. Nec Euangelia, scripta fuere, nisi vt ea legamus. & eis fidẽ exhibeamus.

Sola scriptura sancta, licita est ad portandum.

Secundum non est ignorandum, quòd quadruplex reperiri potest intentio portantium huiusmodi scripta ad collum pendentia. Prima propter hippocrysim vt videantur deuotiores, & sanctiores appareant, qui ex deuotione sacrarum rerum ad talia moueantur, quod est vitium hyppocrisis. Quemadmodum scribæ, & Pharisæi dilatabant philatheria sua, vt alijs religiosiores putarentur. Secunda, vt in suis negocijs possint plura lucrari, & ad gratiam acquirendã, pariter & amicitiam coram principibus & regibus, merito, vel

Quadruplex intentio portantium scripta.

vxori, causa obtinendi quidquid velint, propter huiusmodi scripta ad collum appensa. Sed nequiter decipiuntur ab his qui decepti fuerunt. Id enim fictitium est, & malum, quia nullam talem virtutē legimus habere scripturam. Tertia, vt liberentur à periculis in bello, eundo contra inimicos, à naufragijs, à gladio, ab igne, aqua, tempestate, & fulgure, in virtute horum verborum, quæ vel ad collum, vel in rusticorum domibus sunt appensa. Isti præterea peccant, quia falsum putant esse verum. Nam verba ista neque prolata, neque scripta habent talem virtutem suaptæ natura, aut ex determinatione voluntatis Dei. Vt quandocunque portentur hoc, vel illud efficiant. Quarta intentio huiusmodi scripta portantium est, vt aliquam gratiam à Deo obtinere mereantur, sicut sanitatem, filios, vel diuitias in virtute illorum verborum, vel psalmorum, dum talia ad collum habent appensa. Sed qui talem habent intentionem etiam valde decipiuntur, vt quinque rationibus ostendi potest.

Quomodo non licet habere scripta ad collum suspēsa

Prima ratio.

Prima ratio est, quia talia scripta non sunt nisi membrana, atramentum, & figurarum protractio, seu alphabetum diuersimode dispositum. Sed nullum istorum, neque omnia simul habent huiusmodi virtutem, ut clarum, & rationi consentaneum est.

Secunda ratio.

Secunda ratio, quia Euangelium, Epistolę Pauli, Psalmi, non habent, nec in se nisi veritatem continent, nec aliam virtutem videntur habere. Omnia enim talia ad nostram doctrinam scripta sunt, vt in Ecclesijs legātur, & eis præstemus fidem tanquam vera, ex quibus venimus in cognitionē Dei, & Iesu Christi domini nostri, ac multa alia cognoscimus legendo, vel audiendo, quæ ad nostram vtilitatem, & salutem, sunt pertinentia.

Tertia ratio.

Tertia ratio ex conditione sacrorum verborum. Nā vt dictum est, ista non habent in seipsis absolutam aliquam virtutem secundùm quam aliquid efficiant, sed solum inquantum magna cum reuerentia proferuntur, vel portantur, quia tunc Deus miseretur eorum, qui reuerenter se habent, & ideo efficit aliquid circa

ces.

eos. Sed vt manifeste liquet reuerentius se habet homo proferendo, q̃ portando, igitur magis prodesse potest. Christus insuper in nomine prolato dedit potestatem faciendi virtutes, mirabilia quoque, & nunquam in nomine scripto, cum dixit, In nomine meo dæmonia eijcient, id est inuocato nomine meo. Rursus, Petrus, & Ioannes sanarunt claudum inuocato nomine Christi, cui Petrus ait. Argentũ & aurũ non est mihi, quod autẽ habeo hoc tibi do. In nomine Iesu surge, & ambula. Ergo magis prosunt verba sacra prolata, q̃ scripta.

Mar. 16.

Act. 3.

Quarta ratio. Qui profert aliqua verba, humanam operationem efficit, quæ est conformis diuinæ voluntati Dei, præcipientis nobis legere, explicare, scripturã interpretari, scrutari, prædicare. Nullibi autem reperitur portare verba sacra Deum præcepisse, quæ non possunt, nec habent virtutem per quam aliquid efficiant. Quia si sic, tunc archa, armarium, & bestiæ ferentes diuinam scripturam, multorum bonorum participes essent. Et si Euangelium pendens ad collum ita iuuat, tanto magis si quispiam totam Bibliam magnam cum omnibus commentis, ad collum appensam haberet.

Quarta ratio.

Quinta ratio, Chrysostomi arguentis eos qui talia ferunt arbitrantes aliquid melius esse, quàm dicere, vel audire. Vnde super Matth. ita ait: Quidam vero ipsam partem Euangelij scriptam circa collum portant, sed nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, & auditur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Euangelia nihil prosunt, quomodo possunt cum circa collum posita, & suspensa saluare? Deinde, ubi est virtus Euangelij in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quã circa collum suspensa, &c.

Quinta ratio Chrys.

Modus autem licite portãdi scripta, potest esse talis. Si enim quispiam consanguineum, vel amicum habeat infirmum, scribat Euangelium Ioannis, vel illud secri Symonis. Deinde legat illud super egrotum, adeo vt ægrotus intelligat. Postea querat ab illo, an illud esse ve-

firmi

firmiter credat. Et si respondeat affirmando, statim dicat amicus, vel Sacerdos. Quemadmodum Christus sanauit hanc mulierem febricitantem, sic velit sanare te ab hac febre, vel alia ægritudine, dummodo sit in salutem animæ tuæ. Et tunc poterit cum fide & reuerentia scriptum illud simpliciter ad collum infirmi suspendere, cuius fide forte sanabitur. Sed summopere cauendũ est ne scribantur verba sacra in charta virginea, vel in membrana cum aliquibus signis, vel characteribus, vel candelis, obseruando lunam, dies, & horas. Vel legatur à puero virgine cum alijs superstitionibus, quę omnia, mala & damnabilia sunt. Deinde sequitur, vt ad primũ propositum redeamus.

Modus portandi scripta.

Vos aũt nolite vocari Rabbi, vnus est.n. Magister vester. Omnes autem uos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est .n. Pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia Magister vester vnus est Christus.

Hæc verba Christi sunt summopere ꝯsideranda, qm̃ magisterium, & doctoratus duo præcipuę complectuntur, scilicet, sapientiam, & gradum honoris. Nam propter sapientiam, alicui gradus honoris merito conceditur. Et illæ gradus non solum dicit excellentiam honoris, sed etiam facultatem quandam legendi scripturam, diffiniendi, glosandi, interpretandi, quam non habent ceteri qui in hoc gradu minime reperiũtur. Quæ quidem facultas datur ab hominibus. Appetere autem primam partem doctoratus vel magisterij, videlicet sapientiam, non est nisi bonum, quoniam, sapientia est de honorabilibus bonis animæ, quam soli Deo plenæ attribuimus. Ideo si in hominibus reperitur, vt à Deo dependeat, opus est, dicente Salomone. Omnis sapientia à Domino Deo est. Itaque qui optat sapientiam petat illam à Deo, sicut Salomon qui ait. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ mecum sit, & mecum laboret. Ita Iacobus Apostolus ad eandem sapientiam petendam nos hortatur dicens. Si quis indiget sapientia postulet à Deo, & dabitur ei, qui dat omnibus affluentur, & nemini improperat. Sapientia

Magisteriũ dicit sapientiam, & gradum.

Eccl. 1.

Sapien. 9.

Iacob 1.

pientia præterea est donum Dei, & non nisi bonum, dicente Saluatore. Quis ex vobis est homo quem si petierit filius eius panem, nunquid lapidem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se. Rursus, sapientia necessaria est quam Deus exigit à nobis, iuxta illud Malachię. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legē de ore eius exquirent. Et siquis in Sacerdotio extat, & sapientia careat, Deus repellit illum, sicut per Oseam dicit. Quia tu repulisti sapientiam, ego repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi. Affectare igitur sapientiam, non est nisi bonum. Appetere insuper secundam partem doctoratus, scilicet, gradum honoris non est etiam malum, quoniam est honor vel potius testimonium honoris & sapientiæ. Et est quoque facultas data in publicam vtilitatem. Quamobrem esse aliquos habentes huiusmodi gradum, & facultatem diffiniendi, docendi, glosandi, interpretandi, est necessarium valde. Ecclesia nanque sine his, existere minime potest. Sed erunt vsque in finem seculi, & dantur à Spiritu sancto, vt semper maneant in Ecclesia, sicut ad Corinthios, & ad Ephesios testatur Apostolus. Quosdam quidem dedit Apostolus, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad ædificationem, & Ecclesiæ vtilitatem. Est ergo sapientiæ gradus, id est, magisterium cum sit ad bonum publicum honorabile valde, ideo Apostolus ad Timotheus. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, & doctrina Deus quoque iussit Moysi vt acciperet septuaginta viros de senioribus quos sciret esse populi magistros, illosque constituit Deus in iudices, & dedit eis spiritum Prophætiæ.

Luc. 11. *Malach. 2.* *Osea 4.* *Affectare magisteriū non est malum.* *1. Cor. 12.* *Ephes. 4.* *1. Thim. 5.* *Num. 11.*

Iuxta tamen intentionem Christi quonam modo ipsius verba sint intelligenda dicendum est. Quod si quispiam appetit dignitatem, seu magisteri gradum, sine doctrina, illæ superbus est ambitiosus, & malus. Et si

Et si quis optat doctrinam, & non putat eam habere à Deo, cum habet, sed suo labore, & industria, hic superbiæ crimine peccat. Et si quis præterea doctrinam affectat, quam cum habet, Deo largitori suo gratias agit, non tamen vtitur ea ad populi vtilitatem, magisterij nomen falso arrogat sibi. Nolite ergo sic vocari Rabbi appetendo magisterium sine doctrina, vel doctrinam absque populi, & Ecclesiæ vtilitate. Vnus est enim magister vester qui omnia vos docuit per se, vel per Spiritum sanctum, cum dixit. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus paracletus, docebit vos omnem veritatem. Nó vocemini igitur magistri, tantum gloriando de nomine, quia magister vester vnus est Christus, de quo in Ecclesiastico scribitur, Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Christus enim secundùm naturam diuinam est magister primus, & incomparabilis, intus illuminans, scientiamq; creando infundens, sine cuius magisterio frustra laborat doctor, seu concionator exterius. Et sm naturam humanam verus magister est, & primus doctor, de cuius sapiētia, & plenitudine omnes accepimus.

Ioan. 16.

Eccl. 1

Rursus, Nolite patrem vocare super terram, scilicet, qui det principium essendi. Vnus est enim principalis Pater, tum quia est omnium creator Deus, tum quia cómunicat nobis nobiliorem partem, scilicet, animam rationalem, qui etiam ad compositionem corporis tanquam principalissima causa concurrit, Tum quia filios conseruat quorum omnium curam, & prouidentiam gerit. Est igitur Deus Pater noster ratione creationis, gubernationis, instructionis, adoptionis, & glorificationis. Possumus tamen patres carnales vocare super terram, quos debemus honorare tanquam patres secundario, rationem paternitatis à Deo participantes, de quo ait Apostolus. Deus & pater domini nostri Iesu Christi, a quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Quemadmodum igitur (teste Hieronymo) solus Creator vocatur Deus, & dominus per essentiam, vniuersalemq; prouidentiam, ceteri autem per participatio

Qũo Deus est pater noster.

Eph. 3.

Hieron.

pationem, Dij appellantur, & domini. Sic solus Deus est pater omnium per seipsum, & solus Christus magister noster, alij autem, patres & magistri participatiuæ dicuntur. Et eadem ratione sumus omnes fratres, non quidem natura, vt Iacob, & Esau. non consanguinitate, vt Abraham, & Loth, dicẽtes. Non sit rixa inter nos, quoniam fratres sumus. Neque gente, vt omnes Iudęi, fratres inter se vocantur, dicente Domino in Lege. Nō poteris constituere super te hominem in regẽ, qui non sit frater tuus. Sed sumus fratres affectu spirituali, & adoptione, quia omnes Christi fideles, qui Christi doctrinam profitentur, fratres sunt, quorum primogenitus est Christus secundùm carnem. Sequitur deinde. *Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autẽ se exaltauerit humiliabitur, & qui se humiliauerit, exaltabitur.*

Fraternitas multiplex ĩ scripturis.

Gen. 13.

Qui maior est gradu, seu officio docendi, aut moderandi, erit minister vester, vt exhibeat se administrandū vobis, recognoscendo se in veritate accepisse hoc dignitatis officium, & magisterium ad ministrandum vobis doctrinam, bonos mores, & vniuersaliter omnia quæ sunt spiritus. Id autem adiunxit ad declarandum status, officiaque maiorum in Ecclesia sua.

Ex hoc Euangelio elicitur hoc documentum, vt non faciamus opera nostra, vt videamur ab hominibus, sed propter dominum, eiusque sanctam imitationem. Nec sunt magnificanda philateria, & fimbriæ ad ostentationem sanctimoniæ, si qui professionis Christianæ phylaterijs, & fimbrijs vtuntur. Neque sunt appetendi primi accubitus in cœnis, neque supremæ partes in congregationibus, nisi officio debeantur. Et si officio debentur procul tamen sit ambitio, & honoris cupiditas. Neque salutationes in foris affectare debemus, & uocari magistri in Theologia, & cetera id genus quæ mundi sapiunt gloriam. Quod siquid talium nobis fiat, id præter cupiditatem nostram fiat. Magisterij quoque nomen scientiam, & doctrinā demonstret, quoniam qui se exaltauerit, humiliabitur à Deo. Et qui se humiliauerit, exaltabitur ab illo. Quia humilitas alta petit, &c.

Documentũ ex Euãgelio

Feria

FERIA QVARTA SECVNDAE Dominicæ Quadragesimæ, super Euangelijs Matthæi, & Marci.

Matth. 20. Matth. 10.

ASCENDENS Iesus Hierosolymam, assumpsit duodecim Discipulos suos secreto, & ait illis. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.

Hierusalem situs.

Ciuitas Hierosolymis prouincia Palęstinæ quodam modo sita est (vt fertur) in medio mundi, cui ab oriente adiacet Arabia, quæ tempore filiorum Israël solitudo erat vastissima, idest desertum, heremus, terra inuia, & inaquosa pro maiori parte, in qua detinuit eos dominus quadraginta annis manna ad manducandum eis pluens, & aquam de rupe producens. Quam quidē Arabiam mare mortuum diuidit à Iudæa. A meridie vero adiacet Aegyptus. Et fit filijs Israël de Aegypto ad Iudæam redeuntibus magnus fuit circuitus, quia per Arabiam circunduxit eos dominus. Ab occidente quoque adiacet mare magnum, & à Septentrione Syria, & mare Cyprum, Ad hanc Rugiam ciuitatem ascēdebat Christus cum Discipulis suis, quibus se sponte ad passionem venisse palam insinuare voluit dicens. Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis, id est, Mariæ virginis. Congrue enim se filiū hominis appellat, vt intelligatur & secundum humanam naturam, & non secundum diuinam passurus erat. Deinde explicat quæ super eum ventura erant, & seriatim ordinem passionis enarrat. Tradetur enim, scilicet, à iuda principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus, & condemnabunt eum morte per falsos testes, nullo iuris ordine seruato. Et quia non habebant potestatem interficiendi, eo ꝙ iudicium sanguinis esset ablatum ab eis per Romanos, qui eis dominabantur, ideo subiungit. Et tradāt eum. s. Principes, & scribæ gentibus. i. Pilato præsidi, & suis

Descriptio passionis Christi.

ſuis militaribus Romanorum miniſtris, ad perficiendum opus. Et ipſi Gentiles illudent ei verbis, & contumelijs, & conſpuent eum oris immunditijs, & flagellabunt eum virgis, & tandem occident eum crucifigendo clauis ferreis. O igitur iniuria magna vbi falſi tradunt veritatem, fatui illudunt ſapientiam, rei flagellant innocentiam, miſeri conſpuunt gloriam mortui occidũt vitam. Et ne Apoſtoli, eius morte audita abſorberentur præ triſtitia, & turbarentur cum viderent morientem, nunciat eis reſurrectionem ſuam ad eorum conſolationem dicens. Et tertia die reſurget. Ecce tempus, & gloria reſurrectionis quam paſſioni annectit, vt tã citiſſima, & certa reſurrectio ſcãdalum crucis euacuet. Siquidem congrue paſſio, & reſurrectio coniungũtur, vt in paſſione humana natura, & in reſurrectione natura diuina comprobetur.

Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illa. Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in Regno tuo.

Mater filiorum Zebedæi Maria, ſoror fuit Mariæ matris Chriſti, & vxor Zebedæi, quæ alias in Euangelio dici ſolet Maria Salome à parẽte, Qui maritus fuit Annæ. Illa ergo acceſſit ad Dominum, quæ vidua erat (vt multi arbitrantur) & ſecuta fuerat Chriſtum cum filijs ſuis. Venit itaque ad Dominum adorans illum, & petens aliquid ab eo. Quod non ſtatim expreſſit, ſed adorando inſinuauit ſe aliquid deſiderare. In Marco autem ſcribitur, quòd ipſi filij acceſſerunt ad Ieſum, dicentes. Magiſter volumus vt quodcunque petierimus facias nobis. Veruntamen mater formauit propoſuitque petitionem. Id autem filij feciſſe ſcribuntur, quoniam matrem ſuam ad hoc induxerant, quam putabant à Chriſto honorandum, exaudiendamque tã quam materteram eius. Sed admiratur hic Hieronymus. & ait. Vnde opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi, cum tamen Dominus omnia contraria, & aduerſantia regno prædixerit, oſtendens tradendum

Marc. 10.

Pulchra Hieron. ſententia.

ſe, condemnandum morte, illudendum, & flagellandum: Et dum ignominiam Paſſionis timentibus Diſcipulis annunciaret, illa gloriam poſtulet triumphantis? Hac, vt reor, cauſa, inquit Hieronymus, quia poſt omnia dixerat Dominus, & tertia die reſurget, putauit eũ mulier poſt Reſurrectionem illico regnaturum. Et hoc quod in ſecundo Aduẽtu promittitur, in primo eſſe cõplendum, & auiditate fœminea præſentia capit, futurorum immemor, &c. Sed dixit ei Ieſus. Quid vis? Non ex ignorantia quærit, ſed vt ad eius verba congrue reſpondeat, errantesque inſtruat. Ait illi. Dic, id eſt, præcipe, impera, manda, concede, & fac, vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram, id eſt, tibi collaterales, & ſingulariter aſſiſtentes, cæterisq. maiores conſiſtant in regno tuo admirabili &c.

Hieron.

Si mater, & filij, de regno temporali loquebantur (vt nonnulli arbitrantur) putantes ipſum poſt Reſurrectionem temporaliter regnaturum in Hieruſalem quemadmodum Dauid, & Salomon, illic regnaſſe leguntur, decipiebantur valde. Siquidem ambitio, honorisque cupiditas quæ ex reſpectu ſui ipſius naſcitur, & non niſi aliquid carnis habet, hos fratres tentauerat. Vnde eos Dominus iuſtæ caſtigauit, dicens. Neſcitis quid petatis. Vbi eos tacite arguit ſimulationis, & ignorantiæ, paruæque fidei. Simulationis quidem quod ſubmiſiſſent matrem, quaſi id ipſi non peterent, ſed ſola matris ſollicitudo pro ipſis ignorantiæ vero, & paruæ fidei, vt qui putarent hanc ſubornationem Dominum latere, quem credere debebant omnia noſſe. Poterant etiam loqui de Regno ſpirituali in cœlis, eo quod Chriſtus reſpondendo ſubiunxit. Sedere ad dexteram meam, & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Ex quo manifeſte conſtat, quòd electis à Deo patre paratum ſit ſedere ad dexteram Chriſti, & ſiniſtram non vtique in Regno terreno, ſed cœleſti. Per Regnum ergo Chriſti, forte mater, & filij, Regnum cœlorum intellexerũt, de quo, & Latro dixit in cruce. Domine

Diſcipuli poterant loqui de regno ſpirituali, & temporali. Matth. 17.

ne memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Nam ex quotidiana Christi prædicatione sciuerunt ꝙ non terrænum, sed cœleste Regnum fidelibus promisit. Sic quippe exorsus est prædicare, pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum. In quo isti duo inordinate exaltari quærebant. At quoniam filij audierant futuram Christi Resurrectionem, putabant statim post illam Christum regnaturum, vt dictum est. Hac igitur de causa, matrem oratricem miserunt.

Respondens autem Iesus dixit. Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei possumus. Ait illis. Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Non matri, sed filijs loquentibus per os eius, respondit Dominus. Nescitis quid petatis. Si enim in Regno temporali cupitis exaltari, ac primos gradus habere, certe nescitis quid petatis, quia plus carnis habetis, quàm spiritus, & regnum meum non est de hoc mundo. Si in Regno cœlesti partem dextram, & sinistram optatis habere & esse mihi collaterales, ac singulariter assistentes, nescitis quid petatis, quia in tali regno non sunt illæ differentiæ positionum, sed omnes sancti sedent cum Christo à dextris Dei metaphoricæ, id est, in bonis quiescunt æternis. Rursus, nescitis quid petatis, quia coronam petitis ante victoriam, & nemo coronabitur, nisi legitime certauerit. Nescitis quid petatis, quia de carnali propinquitate confiditis. Iterum; Nescitis quid petatis, quia ex quadam præsumptione, & elatione primatum petistis optantes coapostolis anteferri, & esse primi in gloria, & honore, qui nondum prioribus sanctis similes fuistis in merito. Siquidem quantum ad hoc hi duo Apostoli typum gerebant eorum qui à magnis prælatis, & Pontificibus ad Ecclesiasticas dignitates expostulant, propter consanguinitatis lineam promoueri, vt his temporibus plurimum accidit.

Cur dicitur, nescitis quid petatis.

Deinde cum iam eos increpasset Dominus de igno

rantia, reuocat illos ad veram ſcientiam, vnde cognoſcant, quid, & quare ſi petendum, dicens. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Id eſt, paſſionem martyrij, & mortem crudelem ſuſtinere propter Deum, quam ego pro vobis, & multis ex charitate voluntariæ paſſurus ſum? quaſi velit dicere. Vos de honoribus, & coronis cogitatis, ego vero de laboribus, ſudoribus, & cruce cogito. Per calicem enim in ſcripturis diuinis paſſionem intelligimus, iuxta illud. Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et Pſalmo. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Statimque infert quis ſit ille calix. Pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. Quemadmodum etiam calix eſt vas quo bibitur ad menſuram, ſic paſſio cum menſura bibitur, eo quòd non permittit Dominus hominem tentari ſupra id quod poteſt. Tum, quia cito ſicut potus tranſit, dicente Apoſtolo. Illud enim quod in præſenti eſt, tribulationis pondus, momentaneum, & leue eſt. Tum quia tribulatio, & paſſio omnibus delectat electis, in qua gloriantur, quemadmodum Apoſtolus ait. Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini mei Ieſu Chriſti. Hanc autem paſſionem quam Matthæus calicem vocat, Marcus, & calicem, & baptiſmum appellat dicens. Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, & baptiſmo quo ego baptizor, ſcilicet, pro vobis baptizari? Nam de baptiſmate ſanguinis loquebatur. Calicem igitur, & baptiſmum crucem appellat. Calicem quidem tanquam potum dulciter ab ipſo ſuſceptum. Baptiſmum vero tanquam peccatorum noſtrorum emendatione facientem. Apoſtoli vero de calice imperiti, reſponderunt Domino, poſſumus. Hæc quidem præſumptio non diſſimilis fuit illi qua Petrus paratum ſe gloriabatur cum Chriſto in carceres, & in mortem ire, ac deinde ad vnius ancillæ vocem, negauit eum. Ita duo illi dicebant poſſe ſe bibere calicem, & tamen ipſi quoque fugerunt à Domino ſicut, & alij, volentes calicis huius hauſtum præſtolari.

Calix paſſionem ſignificat.

Matth. 26.

1. Cor. 4.

Galat. 6.

Calix, & baptiſmus idem notãt.

Accepta

Accepta tamen promissione eorum, rursus ait Dominus. Calicem quidem meum bibetis, hoc est, propter me martyrium, & passionem subibitis. Et congrue dicit calicem meum, quia martyrem non facit pęna, sed causa. Latro quidem à sinistris calicem accepit, sed non calicem Domini. Ita Lucretia Romana, & Romanus ille Curtius propter gloriam, & famam calicem mortis biberunt, sed non calicem salutis. Viri quoque sanguinum, & dolosi, & omnes vsurarij crucem quidam ferunt, sed crucem diaboli. Propheta enim fuit hic Dominus Apostolis his duobus prædicens supplicia. Nã & scriptura testatur Iacobum ab Herode decollatum, & Ioannem à Domitiano in feruentis olei dolium missum exisse inde illęsum, postea, in insulam Pathmos illæ relegatus est. Et ita non defuit Ioanni martyrij animus, qui fortiter bibit calicem confessionis, sicut pueri illi tres in fornace ignis etiam si persecutor sanguinem eius non effuderit. *Martyrium Ioannis, & Iacobi.*

Deinde subdit Dominus. Sedere ad dexteram meã, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, scilicet, in præsenti tempore, vel ratione consanguinitatis tantũ, vel non est meum dare superbis, sed quibus paratum est a patre meo, hoc est, his qui cucurrerint, & vicerint. Siquidẽ sedere super sedes nihil aliud est quàm ob virtutes glorificari. Ideo Hieronymus, Regnum, inquit, cælorum non est dantis, sed accipientis. Non enim acceptio personarum est apud Deum. Sed quicunque talem se præbuerit, vt regno celorum dignus fiat, hic accipiet. Quod non personæ, sed vitæ paratum est. Omnibus enim humilibus paratum est, iuxta illud Saluatoris. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Qui supra dixerat. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Rursus, omnibus bene operantibus, præcipiente Domino. Voca operarios, & redde illis mercedem. Et alibi. Et procedent qui bona fecerant in resurrectionem vitæ. Ideo Apostolus. Gloria, honor, & pax, omni operanti bonum. Regnum cęlorum insuper para *Regnum cælorum quibus paratum est. Matth. 18. Matth. 5. & 10. Ioan. 5. Rom. 2. Luc. 11.*

tum est obseruantibus legem Dei, dicente Saluatore. *Ioan. 1.* Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Et alibi. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Demum, omnibus diligentibus proximum per opera misericordiæ, iuxta illud. Venite benedicti patris mei, possidete vobis paratum Regnum ab origine mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.

Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait. Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis.

Alij Apostoli indignati sunt de duobus fratribus ægre ferentes quòd illi duo voluerint omnibus præferri. Et quemadmodum illi carnaliter petierunt, sic, & illi carnaliter contristati sunt. Et si indignati sunt quia isti ausi sunt hoc per matrem petere, quanto magis turbarentur si petitio eorum fuisset exaudita. Humilis autem Dominus ac pius Pater, & magister mitis cœpit eos docere de humilitate per quam honor cœlestis acquiritur, & terrenus contemnitur dicens. *Exhortatio contra temporale dominium.* Reges & principes gentium Dominantur violenta Dominatione, & potestatis ambitione eorum, id est, populorum subditorum vt sit relatio ad intellectum. Et qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, humiliantes, & angariantes eos. Quasi diceret. Apud terrenos habet locum dominatio, & dominij executio, quia desiderare primatum, & vendicare sibi honorem, gentium est. Et non tantum regere subiectos, sed violenter eis dominari. Inter vos autem qui spirituales estis non erunt hæc. Non est enim spiritualium hominum vt quis ambiat inter alios magnus fieri, & alijs dominari, sed gentium, & eorum qui mundo, & concupiscentijs eius viuunt, qui, & mortui sunt Deo, & spiritui. Quicunque autem siue nobilis, siue ignobilis voluerit in-

ter

ter vos maior fieri, honore, dignitate, & sanctitate, sit minister vester.

Non primatum ambiendo, sed humiliter ministrando, & se in obsequijs humilitatis exercendo. Et qui voluerit inter vos primus esse, id est, primatum habere, erit vester seruus in spiritualibus seruiendo, & omnium nouissimus non ex conditione sed ex charitate. Non ex pusillanimitate, sed humilitate. Quemadmodum filius hominis non venit ministrari, id est, hac de causa vt seruos haberet qui ei famularentur in corporalibus, & humanis obsequijs, sed ministrare, ipso dicente. Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et dare animam suam, id est, vitam corporalem in redemptionem, hoc est precium liberatiuum pro multis hominibus. Pro omnibus quidem sufficienter, pro solis autem electis efficienter, seu efficaciter, quoniam non omnes, sed multi fructum Dominicæ passionis consequuntur. Ideo non pro omnibus, sed pro multis dixit.

Maioritas in regno spirituali.

Luc. 22.

De discrimine non modico inter spirituale dominium quod erat in Ecclesia primitiua, & inter istud q in his miseris temporibus reperitur, sunt aliqua differenda. Principes siquidem Ecclesiæ (teste Chrysostomo) fiunt vt seruiant minoribus suis, & ministrent omnibus eis quæcunque acceperũt à Christo, vt proprias vtilitates negligant, & illorum procurent, & mori non recusent pro subditorum salute. Primatum ergo Ecclesiæ concupiscere, neque iustum est, neque vtile. Quis enim sapiens vult vltro se subijcere seruituti, & periculo tali, vt reddat rationem pro omni Ecclesia, nisi forte q non timet Dei iudicium abutat primatu suo Ecclesiastico, seculariter viuendo, ita vt spiritualem illum in sæcularem conuertat. Erat enim tunc temporis principatus Ecclesiæ secundum quod a Christo fuit institutus omni sæcularitate carens, nihil concupiscibile habens, non quidem diuitias, non quidem temporalis potestatis executionem, non honorem, & excellentiam. Habere autem decebat multam sanctitatem

Chrysost.

Spiritualis dominij differentia inter primitiuam ecclesiam, & istam.

exemplaritatis, & sollicitudinem ad prouidendum in spirituali salute. Quę omnia aperte posuit Petrus in canonica sua dicens. Seniores obsecro qui in vobis sunt, pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneæ secundum Deum. Neque turpis lucri causa, sed voluntariæ. Neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo, &c. Inquantum dixit, pascite qui in vobis est gregem, ostendit sollicitudinem pastorum in prouidendo spirituali gregi suo. Et ista est prima præsidentis condictio, scilicet vt sollicitus sit, dicente Apostolo. Qui præest in sollicitudine. Inquantum subdit, non coacte sed sponte, abstulit exercitium potestatis, scilicet, quòd non deducerent homines ad bonum per pœnas, & nolentes, credere non cogerent. Peccantes autem postquam credidissent, verberibus non castigarent, sed verbis deducerent, & pro eis Deum orarent, vt daret eis spiritum compunctionis, & pœnitentiam vt resipiscerent à laqueis Diaboli. Poterant tamen incorrigibilem excommunicare, iuxta illud Apostoli. Congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Iesu tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri. Inquantum dixit, non turpis lucri gratia, abstulit diuitias principibus ecclesiæ, scilicet, quòd non exigerent collectas à subditis, neque tributa imponerent, neque lucrum aliquid inde expectarent, sed ipsimet manibus suis laborantes victum acquirebant, quemadmodum Paulus cui ad omnia quæ erant ei necessaria prouidebant manus propriæ, nisi quando aliquid gratis dabatur propter prædicationem, & quando tantum spiritualibus erant intenti, vt doctrinis, & prædicationibus poterant pro necessitate vitæ eleæmosynas recipere. Et ita omnino inopes erant principes ecclesiæ. Inquantum subiunxit, non dominantes in clero, abstulit excellentiam eorum quantum ad nutum, & honorem, & imperium, vt, scilicet, non imperarent quasi domini, sed reficerent alios vt æquales. Ideo sola duo eis tradidit quæ laboriosa sunt, sollicitudinem

1. Pet. 5.

Rom. 12.

1. Cor. 5.

Conditiones ecclesiastici principatus.

Actu. 18.

dinem videlicet,& sanctitatem. De sollicitudine dictum est. Sanctitatem autem ostendit inquantum dixit. Forma facti gregis, id est, debebant ipsi fieri velut quædam regula actionum, siue forma exemplaris quam sequatur populus. Et hoc est, quòd actiones singulæ prælatorum tam pure, & emendate essent, quòd nihil in eis inueniretur irreprehensibile. Et tunc omnis operatio eorum poterat teneri vt regula, & exemplum, quod nimiam sanctitatem arguebat. Et hoc idem Apostolus ad prælatos pertinere scribens ad Timothęum dicit. Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse,&c. *1. Thim. 3.*

At spirituale Dominium in his miseris temporibus transmutatum est in tempore. Principes enim,& Pastores Ecclesiæ (vt in pluribus liquet) nunc fiunt vt Dominentur minoribus suis, & nulli subijciantur, vt bona temporalia Ecclesiæ possideant, & diuites fiant (bonis duntaxat exceptis) Et quæ pauperibus debentur, conuertantur in eorum redditus. Vt nutriant æquos,& canes, & venationibus studeant, amittentes bona spiritualia, Solis temporalibus inhęreant, pascentes semetipsos,& non gregem. Rursus, vt filios, & nepotes in beneficijs,& spiritualibus bonis exaltent, temporalibusque Dominijs,&vt tandem satient familiam suam muneribus sacris. Hac igitur de causa quam plurimi affectant spirituale Dominium. Sed uæ illis, quia de his omnibus reddituri sunt rationem Deo in die iudicij.

Spirituale dominium in his diebus describitur.

Super hoc Euangelio potest etiam fieri concio de gratia,& libero arbitrio, quid possit homo gentilis vel Turcha ex suo libero arbitrio sine gratia gratificante. Et quomodo triplex est opus bonum, scilicet ex genere, morale,& meritorium. Et quotuplex est gratia. Et quid gratia gratis data, & gratum faciens. Qualiterque diuina Scriptura est mare. Ideo qui ignorant nauigare interdum demerguntur, ventis spirantibus contrarijs. Ita in diuinis scripturis dictis secundum literam contradicentibus. Ideo oportet distinctionibus vti, & præcipuæ inter gratiam gratis datam,

& gratum

Concio de gratia, & libero arbitrio.

& gratum facientem, Rursus, quid possit homo suo libero arbitrio stante generali influentia Dei sine gratificante gratia, cum exemplo Cornelij Centurionis. Postremo qualiter homo suo libero arbitrio diuina assistente gratiam ęternam beatitudinem mereri potest suis bonis ac viuis operibus. Et quomodo quadruplicia sunt animalia, ita, & opera, scilicet, viua, mortua, mortificata, viuificata. Omnia habentur Tomo 1. tractatu de libero arbitrio, & in Apologia.

FERIA QVINTA SECVNDAE Dominicæ Quadragesimæ, super Euangelio Lucæ.

Luc. 16.

Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed, & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

Sententia est Chrysostomi, Ambrosij, & aliorum ea quæ in hoc Euangelio dicuntur, non parabolā esse, siue similitudinem quadam, sed historiam, & rei geste narrationem. Tum primo, quoniam in ipso Euangelij contextu, apud Lucam non exprimitur, nec in principio scribitur, quòd ita dixerit Christus per similitudinem siue parabolam, sicut in alijs Euangeliorum locis illud planæ adijcitur, & explicatur, vbi proponitur à Christo parabola. Tum secundo quia in parabola non explicantur singularia aliquorum nomina de quibus agitur, & fit mentio. Nec particulares actionum circunstantiæ referuntur in parabolico sermone. In præsenti autem Euangelio nominatur Lazarus, & Abraham, & Moyses suis assignantur nominibus, & exprimuntur. Circunstantiæ itidem particulares ad rem gestam attinentes ad vnguem, suis ad narrationem accōmodis locis explanantur. Non igitur parabola existimari debet quod

Quomodo hæc nō fuit parabola sed historia.

quod in toto hoc Euangelio continetur, ſed vera rei prius geſte narratio à Chriſto facta. Vt hi clariſſimi Doctores ingenue fatentur. Deinde nomen diuitis, à Chriſto, hic non explicatur, vt deſignetur ipſæ de numero eſſe reproborum, qui ſunt tanquam Deo incogniti, de quibus dicit in parabola de fatuis illis virginibus. Amen dico vobis, neſcio vos. Et alibi. Nunquam noui vos. Quoniam non inueniuntur illorum nomina ſcripta in libro vitæ, iuxta illud Prophetæ verbum in Pſalmo. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Et alio in loco. Non memor ero nominum eorum per labia mea. Dominus igitur nomina impiorum ignorat, Lazarus autem Deo probe erat notus, ideo etiam nomen eius exprimitur. Iuſtorum enim nomina in libro vitæ ſunt deſcripta. Sicut Moyſi, & Apoſtoli Pauli, in negocio fidei cooperatores, quemadmodum ipſæ in epiſtola ad Philippenſes fatetur. *Cur nomen diuitis non explicatur* *Mat. 15. 7.* *Phlip. 4.*

Rurſus, non eſt ignorandum quattuor diuites in Euangelio reperiri, qui minime ſaluari poſſunt, vel maxima cum difficultate [illegible]

Primus eſt, qui diuitias ex vſuris, & rapinis acquirit, Sicut illæ villicus qui diffamatus eſt apud dominum ſuum quaſi diſſipaſſet bona illius. Quid autem ſi vſura, & quantum deteſtabilis ſit, ſex rationibus oſtenditur. Tomo 3. libro 5. cap. 7. fol. 107. *Quattuor diuites mali.* *Luc. 16.*

Secundus eſt, qui dimittit omnia ſpiritualia bona, & die noctuque circa temporalia laborare non deſiſtit. Quemadmodum de illo diuite ſcribitur in Euangelio, qui cum multa ſollicitudine congregaſſet bona temporalia, intra ſe cœpit cogitare dicens. Anima mea multa bona habes poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. In nocte autem fuit ei dictum. Stultæ hac noctæ animam tuam dæmones reperent, quæ autem paraſti, cuius erunt? Hic aſſimilatur viro cui dedit Deus diuitias & ſubſtantiam, & honorem vt inquit Salomon, & nihil d fuit animæ ſuæ ex omnibus quæ deſiderauit, nec tribuit ei poteſtatem Deus vt comedat ex eo, ſed homo extraneus vorabit illud. *Luc. 12.* *Eccl. 6.*

Et hoc eſt vanitas,& miſeria magna.

Tertius diues eſt qui ardenti animo amat diuitias, & colit,de quo loquitur dominus in Euangelio dicens. Et ecce vnus accedens ait illi.Magiſter bone,quid boni faciam vt habeam vitam æternam? Cui poſt multam

Matth. 19. diſputationem de lege ait. Si vis perfectus eſſe, vade,& vende omnia quæ habes,& da pauperibus,& habebitis theſaurum in cœlo. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum abijt triſtis.Erat enim habens multas poſſeſſiones. Ieſus autem dixit Diſcipulis ſuis. Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis,facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. At contra hos auaros ſunt quamplurima ſcripturarum teſtimonia, vt Tomo tertio libro primo cap. 2. fol. 8.

Quartus diues eſt de quo loquitur hic Dominus in Euangelio dicens. Homo quidam erat diues ſcilicet in exterioribus, pauper autem in anima virtutibus carẽs. Et induebatur purpura, quæ eſt veſtis regij ornatus, rubeique coloris, qua veſtiebatur exterius ad inanem o-

Luc. 16. ſtentationem, Et byſſo. Eſt enim byſſus genus candidiſſimi atque molliſſimi lini, quod tantum naſcitur in Aegypto. Byſſo ergo interius induebatur ad carnem propter ipſius mollitiem. Et quia Chriſtus damnat eũ in nimio veſtium ornatu, ideo circa illorum vſum multa iuſta reprehenduntur. Primum eſt precioſitas. Indignum nanque videtur vile corpus, cadauerq́ue putridum veſtibus immoderanter precioſis ornari,vnde quã plurimi Chriſti pauperes poſſent refici,& veſtiri.Præcipuæ autem quando fit citra ordinem,& conditionem

Contra ſuperfluum veſtrum ornatum. perſonarum. Hinc familiæ,& ciues pauperes efficiuntur. Secundum eſt multiplicitas veſtimentorum iuxta varietatem dierum,temporum,aut feſtorum,vnde multis, preſertimq́ue clericis, & mulieribus iam dici po-

Iacob. vlt. teſt. Veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Tertium eſt curioſitas,quæ reſpicit ſtudium exterioris ornatus. Aliqui enim hominum, multæque mulieres plus ſtudent

dent ad ornatum vestium vt hominibus placeant, quam virtutum, vt sint Deo grati. Ideo Salomon. Ne glorieris vnquam in vestitu, & in die honoris tui non extollaris. Quartum est indecentia respiciens personæ statum, gradum, & ordinem. Quia non decet clericum vt histrionem, aut militem vestiri. Quamobrem Dominus per Sophoniam cominatur. Visitabo inquit, super omnes qui induti sunt veste peregrina. Denique superfluus vestium cultus tam in viris quam in mulieribus, valde damnabilis est, quia ad libidinem prouocat, ex quo multi lætali crimine lædunt animam suam. Deinde subdit. Et epulabatur quotidie splendide. Hoc est delicate, crapulose, superflue, pompose, excedendo in ciborum, & potuum multiplici varietate, exquisita præparatione, preciosa consumptione, vasorumque ornatu, & splendido. Atque in his assiduus fuit, indulgendo ventri, & gulæ. Vnde Luxuria, Accidia, & alia varia consequuntur peccata. At contra hos crapulatores instat Iacobus. Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda vestra. Ideo ita scribit. Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et Christus in Euangelio. Attendite ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.

Sopho. 1.

Iacob. 5.

Rom. 8.

Ex opposito vero erat quidam mendicus nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam diuitis, vt diues per ignorantiam se excusare non posset, quoniam intrans, & exiens illum aspiciebat. Vlceribus plenus tanquam alter Iob. Et sic miserabilior fuit magisque impium ei non subuenire. Cupiens saturari de micis, hoc est fragmentis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Minima postulabat, & non solum diues ille, sed, & ministri detestabiliores, infirmo egeno, famelicoque tam parua negabant, vt verificetur illud Salomonis in Prouerbijs. Rex impius, omnes ministros habet iniustos. Et in ecclesiastico. Secundum

Prouer. 2.

Eccl. 10. dum iudicem populi, sic, & ministri eius. Sed, & canes diuitis veniebant, & lingebant vlcera eius. Sicque canes benigniores fuerunt pauperi huic, quàm diues. Canes quippe magisterio naturali suę linguæ vlceribus pauperis medebantur, quem diues contempsit contra ius naturæ. *Quartus diues qui non saluatur.* Ecce quartus diues qui maxima cum difficultate saluari potest, qui diuitijs abundat quas habet à Deo, non tamen vt debet aut eas applicat ad opera pietatis, & misericordiæ, & ad vsum virtutum, sed ad pompam huius mundi, & luxum. At modo finem respiciamus.

Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem, & diues, & sepultus est in Inferno.

Metaphoricæ loquitur Christus ad similitudinem portantium mortuum ad sepeliendum. Significatur autem per hoc meritorum Lazari oblatio coram diuino iudicio. Rationabile siquidem est Angelorum officium merita iustorum colligi in morte, cum hic nesciamus qui actus nostri, vel quæ opera nostra fuerint meritoria. Congregatio itaque meritorum Lazari Angelico ministerio producta, portatio est Lazari in quietis locum, id est in sinum Abrahæ. *Quid sinus Abrahæ.* Sinus Abrahæ tunc temporis erat Lymbus Patrũ, qui ideo Abrahæ sinus dicitur, eo, quòd merito fidei Iesu Christi qui primo promissus est Abrahæ quietem illam iusti assequebantur. Sed modo transmutatus est in regnum cœlorum, in quo Sancti constituuntur in mansionibus à Christo sibi paratis. Ille quippe sinus amplissimus, & capacissimus est, quoniam omnes tum Angelos, tum homines Sanctos recipit, teste Propheta. O Israël quam magna est domus domini, & magnus locus possessionis eius. Esseque iam sinum Abrahæ regnum cœlorum, patet ex illis verbis Domini. Multi venient ab ortu, & occasu Solis, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.

Mortuus est autem diues, & sepultus est in Inferno. Ecce mortui sunt ambo, sed alterum suscipiunt Angeli

Angeli alterum tormenta. Alter defertur manibus Angelorum in sinum Abrahę, alter nil pręter cruciatus expectat. Mendicus portatur ad lætitiam Angelorum, diues in Infernum detruditur. O igitur mors inæqualis. O quàm inæqualis exitus. O quàm dissimile vtrunque diuertiorum. Mortuus est diues, mortuus est inquam quo ad animam per mortale peccatum. Mortuus est naturaliter separata anima à corpore. Et forte propter peccatum ante decursum verum naturæ spacium, dicente Dauide. Viri sanguinum, & dolosi, non dimidiabunt dies suos. Mortuus est morte Infernali, æternis iam deputatus supplicijs. Hæc est enim triplex mors dānatorum, scilicet gratiæ, naturæ, & gloriæ. Diues ergo sepultus est in Inferno. Non quòd ibi sit diues vbi pauperior, & miserior est quàm vnquam fuerit Lazarus super terram. Diues enim, inquit Iob, cum dormierit nihil secum affert, aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Cui fauet regius Propheta dicens. Dormierunt omnes somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum suarum in manibus suis. Iste igitur qui in summo rerum omniū vixit affluxu, iam miserrimus est in locum tormentorum. Laute vixit semper, vestitus est splendide, sed respice finem, ecce sepultus est in Inferno. Congrue igitur de his malis ita loquitur Iob. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad Inferna descendunt. Hic est finis atque exitus fastuosorum, & superbiētium diuitum, iuxta illud Isaiæ. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Sub te sternetur tinea, & operimentum tum erunt vermes. Ecce quanta rerum vicissitudo quàm mirabilis commutatio purpuræ, & byssi in flammas, & tormenta. Ideo mors peccatorum pessima, & qui oderunt iustum delinquent. Nam ex opposito, Lazarus in sinum Abrahæ deportatus est comitatu Angelorum.

Triplex mors damnatorum.

Iob. 17.

Iob. 21.

Isa. 24.

Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. Et ipse clamans dixit. Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt

intingat

intingat extremum digiti sui in aqua, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Diues eleuat oculos suos in tormentis, vt videret Lazarum à longe, quem cum viueret videre noluit, præ foribus iacentem. Et hæc est communis peccatorum infelicitas, vt quandiu peccant nihil videant, & post peccatum denique aperiantur oculi eorum. Quemadmodum in primis parentibus nostris, facile est videre. Qui cum comedissent de ligno vetito, aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt nuditatem suam. Ita plane contigerat huic diuiti, cui oculos quos clauserat peccatum, aperuit pœna. Sic igitur in maximis tormentis constitutus diues, aperuit oculos mentis vt inspicere posset sanctorum gaudium in maiorem sui pœnam. Et hac de causa Deus permittit etiam damnatos electos videre, & in die iudicij aspicient Christum, sed ad immensam quam inde colligent maioris pœnæ acerbitatem. Et quemadmodum diues illæ tristatus est conspiciens Lazarum in tanto gaudio, ita vicissim Lazarus gauisus est videns tormenta diuitis. Ecce maxima vicissitudo, & commutatio status diuitis, & pauperis. Erat Lazarus in sublimi, & diues in imò constitutus, qui prius in hac vita sedebat in sublimi aula, & sella magnifica. Pauper autem præ foribus iacebat contemptus omnibus. Diues hic in summa voluptate vixit, Lazarus vero in extremis doloribus. Sed mutata vice, diues in tormentis cruciatur, Lazarus in sinu Abrahæ lætus exultat, sicut Dominus asserit per Isaiam. Serui mei comedent, vos autem esurietis. Et serui mei bibentur, & vos sitietis. Et serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Et serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & contritione spiritus vlulabitis, &c. Lazarus insuper in hac vita mendicabat ex diuite micas panis, modo diues mendico petijt ex Lazaro gutam aquæ. At quia in hoc seculo diues Lazarum non exaudiuit, ita illæ mendicus in sublimi, diuitem exaudiri minime voluit, iuxta illud Salo

Communis peccatorum infelicitas.

Comparatio statuum diuitis, & pauperis.

Isa.65.

Salomonis. Quicunque obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, iterum clamabit etiam illæ, & non exaudietur. Moueant igitur hæc diuites omnes, vt misericordes sint pauperibus. *Prouer. 21.*

Clamat itaque diues dicens, pater Abraham miserere mei. Pœnitentiam vult agere eo in loco constitutus, vbi non est pœnitentiæ locus, dicente Dauide. In inferno, quis confitebitur tibi? Miserere mihi. Ecce misericordiam clamat, qui noluit pauperum misereri. Verum, iudicium sine misericordia, inquit Iacobus, erit illi, qui non fecit misericordiam. Vocat in *Iacob. 2.* super Abraham patrem, cuius virtutes imitari neglexit. Iccirco indignus fuit eum patrem vocare, quanuis carnalem ab eo sumpsit originem. Vnde apud Ioannem ita Christus Iudæis loquebatur. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Vos ex patre diabolo estis. *Ioan. 8.* Itaque si diues iste in pauperes pius ac liberalis fuisset, Abraham rite patrem vocasset. Deinde addit. Mitte Lazarum, id est, dirige eum ad me, vt intingat extremum digiti sui in aquam, id est, aliquid saltem modicum refrigerij, vel subuentionis mihi impendant. Christus enim hoc loco per corporalia metaphoricæ spiritualia exprimit, vt communitas hominum magis intelligat, quæ spiritualia in sua simplicitate non capit. Vt refrigeret linguam meam. In qua magis peccauit tam per delectationes gustus in cibis, & potibus, quàm per verba inania, quę in crapulis abũdant. Per quæ enim quis grauius peccat, per hæc, & in his magis punitur. Causam insuper qua cupit refrigerari in lingua, subdit dicens. Quia crucior in hac flamma. Ignis nanque in quantum est instrumentum diuinę iustitiæ spiritus condẽmnatos affligit, quemadmodum aqua baptismi aliquid spiritualiter efficit in animam, inquantum est diuinæ misericordiæ instrumentum. *Quomodo ignis agit in animam.*

Et dixit illi Abrahã. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc aũt hic consolatur, te vero cruciaris. Et in his oĩbus inter vos, et nos Chaos

magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possunt, neque inde huc transmeare.

Ex verbis illius magni viri Abrahæ dicentis, recordare fili quia bona recepisti in vita tua, quasi manifeste cóstat, vt inquit Gregorius, hunc diuitem aliquid boni habuisse, ex quo in hac vita, bona receperit. Vsque adeo etenim mitis, & misericors est Deus, vt etiam opera bona peccatorum quæ bona sunt moraliter, vel saltem ex genere irremunerata nó sinat. Hinc est, quòd sępenumero mali aliquid felicitatis habent in hac vita. Nam cum aliquid boni faciant, recipiunt mercedem, iuxta illud Euangelicum. Receperunt mercem suam. Sic Augustinus lib. 5. cap. 12. & 15. ait. Deum Romanis tantum dedisse potestatis, & dominij atque adeo vniuersi orbis Monarchiam, propter virtutes eorum. Quoniam in lumine naturæ bone moribus, & virtutibus semper studuerunt. Idem nobis etiam scriptura testatur de Nabuchodonosore, eo, quòd ipsæ mandatum Domini adimpleuit aduersus Tyrum, & exercitum suum, nec aliquam inde accepisset mercedem, dixit dominus ad Ezechielem Prophetam. Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & depredabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius, & operi quo seruiuit aduersus eam, scilicet ciuitatem Tyri, Falsissimum est igitur illud lutheranorum dictum omnia opera infidelium sunt peccata mortalia. Vt clarius etiam liquet in Apologia. Nam Dominus promittit Nabuchodonosori pro mercede operis sui victoriam aduersus regem Aegypti. Hac etiam de causa princeps Turcharum licet alienus à fide, tot Imperia, tot Regna, & Prouincias possidet, tot victorias aduersus Christianos consequitur Deo sic permittente, quia iustitiam polyticam diligit mandatque in omnibus seruare iustitiam, vt detur vnicuique quod suum est, & nulli noceatur iniustæ. Non permitti blasphemari nomen domini, cuius sacratissimi nominis ita Christiani sunt acerrimi blasphematores.

Gregor.

Opera bona malorum etiam remunerantur.

August. lib. 5. cap. 12. & 15. de ciuit. Dei.

Ezec. 29.

Cur Turcha tot regna possidet.

res, quos tamen Deus velut inimicos punit, suorum inimicorum armis.

Est tamen malorum hæc infelix felicitas temporalis, breui potiri voluptate, & hinc damnari in perpetuum. Nec quisquam ex hac fortuna est odio prosequendus, qui propter temporale gaudium pœnas inde luet æternas. Et hæc est magna ratio qua boni murmurare non debeant aduersus malos, cum vident illis feliciter omnia, sibi vero nihil ex voto succedere. Quis enim cognoscit Archana iudicia Dei? Quis scit rationem reddere, cur hoc vel illud faciat Deus? Cur illum faciat pauperem, & illum diuitem? Omnia enim iustæ facit Deus. Dicit ergo Abraham. Recordare fili quia recepisti bona temporalia, diuitias, delitias, & honores, in vita tua, Lazarus vero similiter mala, scilicet paupertatem, famem, infirmitates, opprobria, & alia id genus, per quæ ipsius culpæ quotidianę, quasi per ignem purgatæ fuere. Potius igitur est in aduersis, quàm in prosperis gloriandum, quemadmodum Iacobus ait. Omne gaudium existimate fratres cum in tentationes varias incideritis, quoniam Patriarcha subdit. Nunc autem hic consolatur in certa præstolatione felicitatis æternæ. Tu vero cruciaris cruciatu perpetuo. Quia quemadmodum momentaneum est quod hic delectat, æternum vero quod illic cruciat: ita, & momentaneum est, quod hic nunc in pœnitentiæ vita temporalibusque aduersitatibus cruciat, Aeternum autem quod in futura retributioni delectat. Eligamus ergo cum Moyse, & populo Dei, id est electis, potius nunc in vita pœnitentiali affligi, quàm temporalis peccati habere iocunditatem. Quia vt ait Apostolus, Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rursus: Id quod in præsenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Iacob. 1.

Comparatio bonorũ temporalium, & spiritualium.

Rom. 8.

1. Cor. 4.

Aliam insuper rationem proponit Abraham, quòd

Chaos magnum sit inter vtrunque, ita vt neuter ad alterum peruenire possit. Chaos quippe magnum grandis est distantia meritorum, & statuum, atque locorum inter electos in bono iam confirmatos, & reprobos, ac damnatos in malo inconuertibiliter obstinatos. Nam Deus rigore suæ diuinæ iustitiæ post hanc vitam non dat pœnitentiæ locum, secundum legem communem. Ideo, vt inquit Abraham, hi qui volunt hinc transire ad vos non possunt. i. vobis aduenire, & auxiliari non valent. Beati nanque sunt Deo immobiliter affixi, & in bono confirmati, damnati vero adeo in malo sunt obstinati, vt bona agere non valeant. Illi semper Deum intuentur, isti continuo horribiles vident dæmonum formas. Illi semper Deum laudant, isti Deum blasphemare non desistunt. Sancti in perpetuum Deum amāt, æternaque felicitate fruuntur, damnati perpetuo tempore odiunt Deum. Illi in infinitum lætantur, sicut isti cruciantur æternaliter. Ecce Chaos magnum firmatum.

Quid Chaos magnum.

Et ait. Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum Patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne, & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham. Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit. Non pater Abraham, sed siquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autē illi. Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque siquis ex mortuis resurrexit, credent.

Si diues hic damnatus, motus, quadam naturali dilectione rogat pro salute fratrum suorum, quanto magis Sancti iam in maiori charitate firmati qui nobis sunt vniti, & nos illis tanquam membra vnius corporis Christi, possunt, & debent pro nobis orare, nobisq. suffragari meritis, & precibus. Dixit ergo diues cum esset in tormentis. Rogo te pater vt mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur, hoc est firmiter dicat eis quæ pertinent ad salutem, & quid mihi acciderit, ne, & ipsi veniant in hunc locum tormentorum, scilicet, in infernum, qui vt Iob testatur, est terra tenebrosa, & cooperta mortis

Si damnati pro nobis orant, tanto magis Sancti.

Iob 10.

mortis caligine. Terra miseriæ, & tenebrarum vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Diues enim hic damnatus qui nõ poterat pro se gratiam inuenire, optat fratribus auxiliari, non per gratuitum amorem quem habere non possunt, sed per quandam naturalem dilectionem quam damnati non amittunt, quemadmodum nec intellectum, nec memoriam, minusq́ue voluntatem, licet habeant illam in malo confirmatam, quia nihil boni meritorij agere possunt. Non repugnat tamen eis bona voluntas ex genere. Sed ait illi Abraham. Habent Moysen, & Prophetas, hoc est libros Legis, & Prophetarum, in quibus de agendis, credendisq́ue instrui possunt. Audiant illos auribus cordis intelligendo, & obediendo. Et dixit illæ. Non pater Abraham, id est Moysen, & Prophetas non audient. Ex quibus verbis elicitur, quòd Israëliticæ stirpis erant illi. Nouerat enim diues ex recenti sensatorum memoria fratres suos non obseruare legem Moysi, ideo dixit. Non pater, sed siquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Quia ex inconsueta apparitione, atque ad ipsos exhortatione specialiter facta fortius mouebuntur. Sed interdum contingit oppositum, quoniam huiusmodi apparitiones fantasticæ dijudicantur ideo subditur. Et ait illi Abraham. Si Moysen, & Prophetas qui tantæ sanctitatis, & auctoritatis extiterunt non audiunt credendo, & operando, neque siquis ex mortuis resurrexit, ad eosq́ue venerit, credent ei, vt experientia docet. Nam Iudæi tempore Christi, Lazaro fratri Marthæ resuscitato non crediderunt, sed ei mortem inferre decreuerunt. Mortuis quoque qui cum Christo resurrexerunt, & multis in sanctam ciuitatem apparuerunt, Christumq́ue surrexisse testati sunt, non crediderunt Iudæi.

Quomodo damnati habent intellectum, memoriam, & voluntatem.

Optima Abrahæ conclusio.

Debent igitur omnes (Euangelica lectione cognita) si sapiunt, & suæ saluti consulere volunt, potius eligere sortem Lazari, & hic affligi, vt deinde recipiantur cum eo in æterna Paradisi tabernacula, & ad tranquillitatem quietis perpetuæ, quam sequi conditionem diuitis-

Epulonis,& quærere consolationem in hoc sæculo per delitias,& luxus, postea vero detrudi in desolationem sempiternam interminabilemque miseriam. Et si diuites extant homines, eleæmosynis insistant. Quinque enim præclarissima beneficia, & bona perutilia, tam animæ, quàm corpori eliciuntur ex eleæmosyna debite circunstatio.nata,vt clare liquet Tomo 3.lib. 7. cap. 4. fol. 135.

FERIA SEXTA SECVNDA DOminicæ Quadragesimæ, super Euangelijs, Matthæi, Marci, & Lucæ.

Matth. 21. Marc. 12. Luc. 20.

Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sæpem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Sub hac similitudine de vinea, & parabolico sermone, enumerat Christus quinque beneficia quæ contulit Deus populo Iudæorum. Primum, dicitur electionis. Fuit enim populus illæ electus à Deo, dicente Moyse. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Quem populum etiam vineam suam appellat, iuxta illud Isaiæ. Plantabit vineam electam, & elegit lapides ex illa. Vinea enim Domini exercituum, domus Israël est. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas. Congrue quippe populus Israël vineæ comparatur, quia sicut lignum vitis ceteris lignis est fragilius, licet fructus eius sit amabilior, & iucundior, ita populus Iudæorum fragilior fuit cunctis nationibus, ideo seruiuit in Ægypto. Dulcissimum tamen fructum attulit, scilicet, Christum. Hanc insuper vineam transtulit Dominus de Ægypto in terram promissionis, dicente Psalmista. Vineam de Ægypto transtulisti, deiecisti gentes, & plantasti eam. Dicit ergo Euangelista. Homo

Deut. 7.

Esa. 5.

Vinea est domus Israël.

mo erat paterfamilias, id est, Deus pater, qui non natura, sed quadam similitudine dicitur homo. Nam in humana figura se ostendit patribus, & in similitudinem hominis familiariter loquebatur ad eos, sicut scribitur in lege. Locutus est Dominus Moysi facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. *Exod.33.* Erat paterfamilias, cuius familia magna est in cœlo, & in terra. Plantauit quoque vineam, id est, populum Iudæorum in monte hæreditati suæ. Et sæpem circundedit ei. Ecce secundum beneficium, scilicet, protectionis per Angelorum custodiam, iuxta illud Isaiæ. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, & tota noctæ in perpetuum non tacebunt. *Isa.62.* Et fodit in ea torcular, id est, altare holocaustorum, quod interius erat concauum. Et quemadmodum in torculari vuæ exprimuntur, ita in altari, hostiæ immolabantur. Id etiam fuit tertium beneficium, scilicet gratissime immolationis. *Quinq; beneficia iudæis collata* Nullius enim alterius gentis fuit gratum sacrificium Deo, nisi populi Iudæorum. Et ædificauit turrim, id est, templum, quod in excelso monte instar turris sursum erigebatur, ad denotandum quartum beneficium, scilicet, ædificationis sacræ. Et locauit eam pro debito censu reddendo agricolis, id est, principibus Iudæorum, iudicibus, videlicet, Sacerdotibus, & Regibus, quos cultores populi Deus instituit, dicens Zacharia. Vir agricola ego sum, Lucas vero, appellat eos, colonos. *Zach.13.* Et merito quidem, quoniam Iudæi ex Ægypto transmigrati sunt in terram promissionis, vt quintum beneficium eis impenderet, scilicet dispositæ gubernationis. Et peregre profectus est, nõ mutando locum, quia per Hieremiam dicit. Cœlum, & terram ego impleo. Sed profectus dicitur, quia omnibus liberum operandi dereliquit arbitrium. *Hier.23.* Et hoc quidem multis temporibus. vt inquit, Lucas, quia toto legis tempore liberum quidem affuit arbitrium. *Quid peregre proficisci.* Sed quoniam in multis defuit fides Christi venturi, ideo ex operibus legis non iustificabuntur.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium uero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

Appropincuato tempore fructuum, idest post latio nem legis cum Synagoga opera bona efficere debuisset secundum Legis præcepta, misit seruos suos, sanctos, videlicet Prophetas ad agricolas, id est, Sacerdotes, Scribas, & Principes Synagogæ, vt acciperent fructus eius, hoc est populum Synagogæ ad Deum reducerent, & opera virtuosa in eis inuenirent. Agricolæ autem apprehensis seruis eius: alium percusserunt, vt Hieremiam: alium occiderunt, vt Esaiam: alium lapidauerunt, vt Zachariam filium Ioiadæ. Iterum misit alios seruos plures prioribus, videlicet, potiores Prophetas propter eandem causam, & fecerunt agricolæ illis similiter. Sacerdotes nanque, Reges, & populus Iudæorum diuersa tormenta intulit sanctis vatibus ad se missis. Propter quod Stepha-
Act. 7. nus Iudæis aiebat. Quem Prophetarum non sunt per-
Hebr. 1. secuti Patres vestri? Apostolus insuper ad Hebræos. Alij, inquit, ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula, & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Marcus tamen, & Lucas missos in tres distinguunt ordines, de quibus singulariter loquuntur. Nam ad præfatos Agricolas vineæ misit paterfamilias seruum suum, videlicet, Moysen Iudæorum legislatorem, & primum eorum in Deserto prælatum, vt de fructu vineæ darent illi, hoc est opera virtuosa ad quæ tenebatur Synagoga assignarent Moysi, ostendendo eidem se obseruare legem, eis desuper datam. Prælati nanque opera bona à suis exigunt subditis, sed Iudæi cęsum dimiserunt eum inanem, hoc est Moysen multipliciter afflixerunt, nec obtemperauerunt, sed rebelles ei fue-
Exo. 17. runt, iuxta illud Psalmi. Vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius. Propter

pter quod dixit ad dominum. Quid faciam populo huic, adhuc pusillum, & lapidabit me, &c. Et addidit alterum seruum mittere, hoc est Samuelem Prophetam, sed ipsum eiecerunt ex Principatu, dicentes. Constitue nobis Regem, &c. Deinde misit alium seruum, scilicet, Dauidem Regem, sed persecuti sunt eum adhærentes eius filio Absaloni, qui temptauit expellere patrem de Regno. 1.Reg.8. 1.Reg.15.

Nouissime autem misit ad eos filium suum, dicens. Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se. Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi. Malos male perdet & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

Vltimo loco, videlicet, quando venit plenitudo temporis, & in vltima mundi ætate, cum multo tempore nullus apparuisset Propheta, misit ad eos filium suum, cum Christus visibiliter Iudæis apparuit, & docuit, dicens intra se. Verebuntur forte sicut Lucas asserit, vt arbitrij agricolarum indifferentiam, atque libertatem saluaret. Verebuntur inquam filium meum vnigenitum, & dilectum mihi consubstantialem, coæternum, & coæqualem. Sed ita non fecerunt, vt subditur. Agricolæ autem, id est, Principes Sacerdotum, & Scribæ, videntes filium Dei patris tot miracula operantem, tamque efficacissimæ prædicantem, & ceteraque de Christo prænunciata fuerunt in se implentem, dixerunt intra se, id est, cogitauerunt, sed inferioribus non manifestarunt. Hic est hæres, quoniam, & si nolent arbitrati sunt esse Messiam, Regem Israël, Dominum Synagogæ, ideo dixerunt. Venite occidamus eum, quando collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum, dicentes. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Expedit enim (vt inquit Cayphas) vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ioan.11.

reat. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, quando extra ciuitatem eum crucifixerunt, arbitrantes perpetuo tempore illam hæreditatem possidere, quam per Christum amittere timebant. Ideo ad Hebræos
Hebr.15. dicit Apostolus. Iesus vt sanctificaret populum extra portam ciuitatis passus est mortem.

Cum autem venierit dominus vineæ, id est cum Deus cœperit iudicare, & iudicando ac præmiando visitare Sinagogam, vel in morte singulorum, vel quando adduxit exercitum Romanorum contra Iudæam, quid faciet agricolis illis? id est, qua pœna puniet eos pro culpis tam magnis? Dicunt illi. Malos agricolas malæ perdet, id est, dure corripiet, & occidet, & vineam suam, id est, Sinagogam Iudæorum, vel ecclesiam primitiuam locabit alijs agricolis bonis, qui reddant iei fructum temporibus suis. Congrue quippe aduersus eos sententiam pronunciarunt, & se proprio ore condemnarunt, & verum dixerunt, quando tradidit illos Deus in manibus Romanorum in vltionem sanguinis Christi. Nam Romani Iudæorum vrbes, ac popu-
Dan.9. lum destruxerunt, iuxta illud Danielis Post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populos cum Duce venturo.
1.Cor.9.4. Et ita Deus reprobatis Iudæorum prælatis commisit ecclesiam suam Apostolis, eorumque successoribus, qui obrulerunt ei fructum, id est multos ad fidem conuersos, sicut Apostolus quibusdam ait. Opus meum vos estis in Domino, & in Christo per Euangelium ego vos genui. Deinde Christus quid per parabolam intelligere voluit, insinuit dicens.

Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino fa*ctum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Ideo dico vo*bis, quia auferetur à vobis* Regnum Dei, *& dabitur genti fa*cienti *fructus eius.* Et *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur.* Super *quem vero ceciderit, conteret eum.*

De lapide Christo, multa notabilia.

SEptem esse lapidis, proprietates, quibus assimilatur Christo, sacræ testantur historiæ. Nam lapis habet hanc sibi connaturalem proprietatem, vt vniat duos parietes domus ad inuicem, qua dicitur lapis angularis, de quo Regius Propheta. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Sed nullibi reperitur in scripturis ædificatores Templi aliquem lapidem reprobasse, ipsumque deinceps factum fuisse in caput anguli. Siquidem Propheta in spiritu, & de spirituali petra, ac spirituali ædificio, spiritualibusque ædificatoribus loquebatur. Quia quemadmodum ædificator, lapides ad inuicem ordinat, & componit vt ex ijs construat parietes, & domus, ita Doctores, Prælati, Ecclesiæque Pastores, & concionatores ex auctoritatibus diuinarum Scripturarum, conficiunt sermones, vt populum ædificent supra petram, quæ Christus est. Videmus enim Euangelistas in ædificatione, & Euangelij constructione, dicta Prophetarum, & mysteria scripturarum facta in figura Christi, in medium proposuisse. Quemadmodum Petrus Apostolus Prophetarum oraculis Christum fuisse verum Messiam in lege promissum, palam insinuauit. Sed oppositum egerunt Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, qui cum debuissent instruere populum, & ædificare ipsum in fide Christi, agnoscentes ipsum esse verum Messiam, in quo impleta erant omnia oracula Prophetarum, ipsi primo negauerunt eum ante Pilatum, dicentes. Non habemus Regem nisi Cæsarem. Deinde reprobauerunt illum tanquam seductorem, & malefactorem clamantes. Crucifige, crucifige eum. Id autem totum præuidens Dauid in spiritu, dixit. Lapidem, id est, Christum quem reprobauerunt ædificantes, id est, Scribæ, & Pharisæi sedentes in cathedra Moysi, ad instruendum populum in via Doctrinæ, hic factus est in caput anguli. Nam sicut lapis vnus, & idem existens in angulo, duos coniungit parie

Prima proprietas lapidis.

Dauid.

Doctores, Euangelistæ ædificatores dicuntur.

parietes, ita Christus naturam diuinam, & humanam coniungit in vnitate suppositi. Et quemadmodùm lapis angularis finis est vnius parietis, & principium alterius, ita Christus finis fuit veteris Legis, & noui Testamenti principium. Omnia nāque quæ scripta erant, impleta fuerunt in Christo. Ideo Christus in vltima cœna comedit Agnum Paschalem, vt legi imponeret finem. Deinde instituit sacramentum Eucharistiæ, vt daret initium Euangelicæ legis. Rursus: Sicut lapis angularis duos parietes vnit, & est caput vtriusque, ita Christus dua Ecclesias, duosque populos coniungit, scilicet Hebręorum, & Gentilium, vt ex illis duobus populis tantum vnus efficiatur, vnius capitis ratione. Et ita Ecclesia Christi in toto orbe diffusa non est ex lapidibus mortuis aut inanimatis constructa, sed ex lapidibus viuis, ex vtroque populo, ex vtraque Ecclesia, Iudæorum, & gentilium excisis.

Quomodo Christus fuit lapis angularis.

Secunda proprietate.

De statua quam vidit Nabucho. Dan. 2.

Lapis non caret etiam hac naturali proprietate destruendi domos, tecta, parietes, ędificia quoque, si ex nimia altitudine cadat. Ita lapis qui Christus est, destruxit omnia Regna Mundi, vt clare liquet per statuam illam, quam Nabuchodonosor dormiens intuebatur. Cuius caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia, de argento. Porrò venter, & fœmora, ex ære, tibiæ autem ferreæ. Pedum, quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Deinde abscisus est lapis de monte, sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius, & omnia contriuit. Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Hæc enim statua iuxta vaticinium Danielis quattuor regna sibi inuicem in mundo successura indicauit. Nam caput quidem aureum ipsum Nabuchodonosor, & Regnum eius, hoc est Chaldæorum Regnum significabat, conuenienter per aurum, propter immensas diuitias illius Regis, quas congregauerat in Babylone. Pectus vero, & brachia ex argento, Persarum, atque Medorum Regnum notabat. Erat .n. duo brachia, scilicet, Darius, & Cyrus. Sed mortuo

Dario,

Dario, eius auunculo, Cyrus factus est Rex Persarum, atque Medorum, Ideo pectus vnum ex argento. Et congrue per argentum, quia in regno illo homines sapientiæ, & eloquentiæ vacabant, quæ significantur per charitatem argenti. Venter autem, & fœmora ex ære, Græcorum Monarchiam pulcherrime figurabat. Et quemadmodum es inter omnia metalla est magis sonorum, ita magnus Alexander Græcorum rex suæ mirificæ potestatis sonum dedit in vniuerso. Porrò tybiæ ferræ Romanorum designabant Imperium. Et sicut ferrum omnia comminuit, & domat, ita Regnum Romanorum, subiugauit sibi omnia Regna prædicta. Per pedem autem fictilem, Regnum Iudæorum significabatur. Lapis postremo qui de monte absque manibus abscisus est, & percussit statuam, fregit quoq;, contriuit, & comminuit eam, Regem Messiam, qui Romanorum Imperium sibi subiugaturus erat, designare ostendit. Mons autem de quo lapis iste abscisus est, ipsius Messiæ matrem figurabat, quæ ob virtutum suarũ excellentiam monti non inepte comparatur. Sed quia Christus ex Matre virgine nasciturus erat, ideo lapidẽ hunc per se sine manibus, id est, absque humanis amplexibus de monte abscisum dixit, ad designandũ Christi corpus sola Spiritus sancti cooperatione, de purissimis virginis sanguinibus, formandum esse. Ideo Daniel dixit regi Nabuchodonosori. In diebus autem Regnorum illorum, suscitabit Deus cœli Regnum quod in æternum nõ dissipabitur, id est, Regnum Christi æternum, dicente Angelo. Et Regni eius non erit finis. Deinde subdit. Et Regnum eius alteri populo non tradetur, quia Regnum Christi præcipuæ est in cœli, vbi ciues Sanctorum, & domestici Dei, sunt immortales.

Lapis sine manibus Christum figurabat.

Lapis proinde fundamentum est cuiuslibet corporalis domus, quemadmodum Christus totius Ecclesiæ est fundamentum, dicente Domino per Esaiam. Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem magnum, probatum, angularem, preciosum, fundamentum fundamenti, & qui crediderit in eum non confundetur.

Tertia proprietas
Esa. 28.
1. Petri 2.
Gen. 28.

Hic

Hic eſt lapis quem Iacob ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper ad denotandum Chriſtum vnctum, in Regem, Prophetam, & Sacerdotem. Ideo Apoſtolus. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Rurſus. Superædificati eſtis, ſuper fundamẽtum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.

1. Cor. 2. *Eph. 2.*

Quarta proprietas. Lapis præterea ſi percutitur emittit ignem, ſic Chriſtus ait. Ego veni mittere ignem in terra, & non niſi vt ardeat. Et Dominus per Zachariam. Ecce lapis quem dedi vobis, & ſuper ipſum ſeptem oculi, id eſt, ſeptem dona Spiritus ſancti, de quibus Iſaias. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus &c. Quæ quidem dona dedit Apoſtolis in linguis igneis.

Zach. 9. *Iſa. 11.*

Quinta proprietas. Lapis rurſus ampliſſimas ſpargit aquas, ſicut à Chriſto fluunt aquæ viuæ, ipſo dicente. Siquis ſitit, veniat ad me, & bibat. Et qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet vltra, ſed fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Et per Hieremiam Prophetam. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, &c.

Ioan. 7. 4. *Hier. 2.*

Sexta proprietas. Lapis iterum incidit carnes, quia Iudæi ex pręcepto Domini circuncidebant cultro lapideo. Sic petra quæ Chriſtus eſt, ſpiritualiter circũciditur anima, vt ab omni peccato purgata ſit accepta, & grata Deo.

Septima proprietas. Lapis denique pedem offendit, iuxta, illud Pſalmi, Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Offenditur enim homo ſi ſuper lapidem cadit, magis autem læditur, ſi lapis ceciderit ſuper eum, &c.

Pſal. 59.

De prima, & vltima proprietate lapidis, loquitur Chriſtus, cum dixit. Nunquid legiſtis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes. id eſt, prædicti agricolæ, Sacerdotes, & Prælati Synagogæ, quorum fuit populum in fide, & moribus ædificare, hic factus eſt in caput anguli. Id eſt lapis angularis, in quo coniuncti ſunt duo

populi,

populi, Gentiles, & Iudæi ad constituendam vnam Ecclesiam. Pariter, & duo Testamenta, nouum, & vetus. In quo etiam vniuntur duæ naturæ, diuina, & humana. Sed à Domino factum est illud, id est, diuina virtute, & gratia est vnio ista duorum populorū in Christo, & est mirabile in oculis nostris. Ideo Petrus Apostol⁹, ait. Ad Iesum accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum. Et in Actis Apostolorum, ita aduersus Iudęos loquebatur Petrus. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus. Ideo dico vobis, quod auferetur à vobis regnum Dei, inquit Christus, diuina operante iustitia, Regnum quidem Ecclesiæ militantis, Regnum quoque cœleste, necnon, & vtriusque testamenti Regnum, id est, diuinarum Scripturarum intelligentia. Et dabitur genti per Apostolorum prædicationem credenti, facienti fructus eius, id est, opera virtuosa, quibus Regnum acquiritur æternum.

1. Petri 2.
Act. 4.

Et qui ceciderit super lapidem istum confrigetur, super quem vero ceciderit, conteret eum. Per hominem super lapidem cadentem, & vicissim per lapidem, qui super hominem cadit, diuersitas peccati pulcherrime designatur, scilicet, fidelium, & infidelium. Vtrique enim contra Christum peccant. Illi quidem, quia contra præcepta eius faciunt. Infideles vero, quia in eum non credunt. Qui autem confringitur, minus læditur, quam à lapide lædi potest, quoniam à seipso læditur. Qui vero conteritur, tantum læditur, quantum lapis lædere potest. Et ita fidelis à seipso læditur, parum, vel multum, & non à lapide Christo. infidelis autem peccando, tantum læditur quantum Christus eum lædere potest. Est igitur duplex peccandi modus. Nam quidem peccantes fidem tenent, & horum casus reparabilis. Quidam vero Christum negant, quorum casus irreparabilis est. De primis ait Christus. Qui ceciderit. i. peccauerit, quoniam pecatum casus est, iuxta illud Psalmi. Ceciderunt omnes qui operantur

Quid est hominem cadere super lapidem & lapidem super hominē

iniqui

iniquitatem. Cadit super lapidem Christum qui peccat, tamen fides eius, & veniæ innititur. Aliud est enim offendere Christum per opera mala, aliud negare per impietatem. Qui peccator est, & tamen Christo credit, cadit quidem super lapidem, & conquassatur, sed non omnino comminuitur, quia pluribus tentationibus quatitur, & non valens resistere, frangitur. Reseruatur tamen per pœnitentiam ad salutem, dicente Michæa, Quia cecidi consurgam, cum sedero in tenebris. Super quem vero ceciderit, conteret eum. Nam super reum cadit lapis, qui Christum pœnitus negat. Vbi enim non est fides, nec vlla virtus, nec bonum aliquid esse potest, ideo conteritur. Habent igitur infideles lapidem supra se. Siquidem fideles quamuis iniqui tamen quia in Christo per fidem fundantur, dum peccant, dicuntur cadere supra Christum quem offendunt. Sed non pœnitus conteruntur, quoniam sæpe per misericordiam Dei reformantur, fortioresque resurgunt. Infideles vero qui nullum fundamentum habent in Christo, dum peccant incidunt in manus Dei viuentis, sicque lapis qui Christus est irruit, super eos, & conterit eos, quemadmodum in Iudæis videmus impletum.

Mich. 7.

Duplex peccatum, fidelium, & infidelium.

Et cum audissent principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quòd de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere timuerunt Turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

Audita parabola iam commemorata, cognouerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi, quòd de ipsis loquebatur, volens innuere, quòd ipsi essent mali agricolæ, impij ædificatores, &, quòd viso eo dixissent. Hic est hæres, & quærentes eum tenere, id est, ad interficiendum comprehendere tanquam mendacem, vel quia tam dyre corripuerat eos, timuerunt turbas ne ab eis resistentiam paterentur, quoniam turbæ sicut Prophetam eũ habebant, & verum Messiam in lege promissum. Ecce quomodo sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi inde deteriores, & obstinatores effecti sunt. s. de iusta Christi increpatione,

patione, vnde emendari debebant. Sed veritas odium parit. De talibus enim dicit Apostolus ad Timotheum. A veritate quidem auditum auertent. Et Amos propheta: Odio habuerunt corripientem. *2. Tim. 4* *Amos 1.*

Ex hac Euangelica lectione, tria eliciuntur pulcherrima documenta. Primum, Deus exigit à nobis per suos concionatores opera bona, & fructus vineæ Domini Sabaoth, qui sunt, Charitas, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas, & huiusmodi. *Primũ documentum.*

Secundum, qualiter malum est occidere hominem peccatorem, peius hominem iustum, pessimæ vero fuit occidere Christum. Ideo potest fieri concio de homicidio, in quibus casibus licet occidere hominem sine peccato, & quomodo non decet aliquo modo occidere seipsum, & de varijs homicidarum pœnis. Qualiter insuper paterfamilias iratus perdidit homicidas illos. De multiplici ira, virtuosa & perniciosa. Omnia habentur Tomo 3. lib. 2. cap. 1. car. 67. & cap. 3. car. 72. *Secundum.* *Concio de homicidio*

Tertium, summoperæ cauendum est ne per hæreticas prauitates lapis, qui conterit, & comminuit, super nos cadat. Quinimò assidue orandus est Deus, ne permittat nos lætaliter peccando, cadere super lapidem Christum, sed bene, virtuosæque operando, similes efficiamur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra firmam petram, &c. *Tertium.*

SABBATO SECVNDAE DOMINICæ Quadragesimæ, de filio prodigo, super Euangelio Lucæ.

HOmo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri. Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosæ. *Luc. 15.*

Homo qui duos filios habuit, Deum omnium patrē figurat, habentem hæreditatem, & substantiam, qua filij omnes alantur, & substantialiter viuant. Duo filij, omnes alantur, & substantialiter viuant. Duo filij, duæ sunt naturæ, scilicet, Angelica, & humana. Angeli enim sunt filij Dei per gratiam, secundum quod ita legitur in Iob. Factum est autem cum quadam die venissent filij Dei, id est, Angeli, & starent coram Domino, &c. Homines quoque sunt filij Dei, per fidem, & adoptionem, quia dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Apostolus insuper: Non enim accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus. Abba pater. Sumus namque filij Dei iuniores, quia vltimo creati. Hęredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Vel duo filij, duo sunt populi, scilicet, Hebræus, & Gentilis. Est autem consuetudo Scripturæ totum aliquem populum nomine filij, vel filiæ designari, quemadmodum in Prophetis Israëlitica plebs frequenter per filiam Syon, filiam Hierusalem denotatur, vt liquet per Sophoniam, & Zachariam. Dominus etiam, per Oseam, ita loquitur. Puer Israël dilexi eum. Et ex Ægypto, vocaui filium meum. Est insuper filius primogenitus Israël. Gentilis autem populus est adolescentior filius, propter ipsius stoliditatem, quia nil stolidius, nil tam puerile, quam Idola colere. Vel duo filij sunt genus iustorum perseuerantium in tota vita sine peccato mortali, & genus lapsorum pœnitentium tamen. Vterque appellatur filius, non tantum natura, sed adoptione. De vnoquoque parabola exponi potest.

Qui sunt filij Dei per gratiam. *Iob 2.* *Ioan. 1.* *Rom. 8.* *Oseæ 11.* *Exod. 4.* *Qui sunt duo filij.*

Perijt adolescentior filius sibi partem pertinentem à patre suscipere, quia naturalibus donis, ac ceteris bonis sibi a Deo collatis, voluit secundùm voluntatem propriam vti, potius autem abuti, nec subijci legi diuinæ, aut protegi supernaturalibus donis, gratia Saluatoris, quemadmodum per Hieremiam quibusdam loquitur Deus. A seculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti. Non seruiam. Hinc Psalmista. Homo cum in honore esset non intelligens, comparatus est iumentis, pa

Hier. 2.

tis,pariter,& insipientibus, &c. Pater substantiam illis diuisit,quando partes orbis discreuit, & bona naturæ,& fortunæ,interna, & externa vtrisque concessit. Et ita vnicuique dedit quod perijt, & quemlibet facere permisit quod voluit, iuxta illud Ecclesiastici dictum. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Apposuit tibi aquam,& ignem,bonum,& malum, vt ad quodcunque volueris, porrigat manum. Hinc Apostolus. Vnusquisque proprium donum habet a Deo. Iudæis nanque dedit dona gratiæ, legem scriptam, diuinam, & supernaturalem. Gentilibus vero dona naturæ, quos, & in naturali lege reliquit, quam pauci eorum conseruasse leguntur. *Eccl.15.* *1.Cor.15.*

Et non post multos dies, hoc est paucis euolutis diebus, congregatis omnibus quæ ad se pertinebant, id est bonis desuper sibi præstitis ad proprium commodum pariter ordinatis,ac viciose reflexis,adolescentior filius peregre profectus est. Non solum à paterna domo, sed ab vsu gratiæ citò recessit, mentem suam à Deo improbe auertendo. Sicut enim ad Deum acceditur mentis affectu,non corporis gressu, ita à Deo receditur mentis auersione,non corporis motione. Et ita abijt in regionem longinquam, id est, in regionem peccati, per quam longe a Deo distatur, iuxta illud Prouerbiorum. Longe est Dominus ab impijs. Atque in Psalmo. Longe à peccatoribus salus. Et ibi dissipauit substantiam suam, id est dona gratiæ gratum facientis amisit, dona fortuna consumpsit, dona naturæ infecit, ac deteriorauit, viuendo luxuriosæ, corporali fornicatione, quæ est lætale crimen. Fornicatione quoque spirituali, quæ est auersio mentis à bono incommutabili, & immenso, atque conuersio eius ad bonum creatum, caducum, & vanum. *Prouer.15*

Et postquam omnia consumasset, facta est fames valida in regione illa,& ipsæ cœpit egere. Et abijt,et adhæsit vni ciuium regionis illius,& misit illū in villam suam, vt pasceret porcos.

porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

Ad similitudinem eius qui exteriora bona omnia cõsumpsit, peccator est, qui ex superfluis delectationibus in profundum culparum venit, & malis habitibus iam habituatus, dicitur quodammodo consumpsisse omnes inclinationes ad bonũ. Ideo vt facta sit fames valida in regione illa, opus est, qm̃ in regione peccatorum, & inter impios, & carnales, grandis spiritualium bonorum carentia contingit. Gentilibus enim gratiarum charismata specialiter defuerunt. Vitiosis quoq; hominibus propter eorum peccata, nõ solum spiritualia bona, sed interdum corpori necessaria subtrahuntur. Et ipsæ cœpit egere omnibus pertinentibus ad salutem, quæ peccando amisit, videlicet, Gratia, Virtutibus, & Habitibus bonis. Et abijt, se à Deo infelicius elõgando, à quo tanto vehementius elongamur, quanto grauius frequentius ue peccamus. Peccatum enim quod per pœnitentiam non statim diluitur, suo mox pondere (teste Gregorio) trahit ad aliud &c. Et adhæsit vni ciuiũ regionis illius, id est, diabolo habitatori in regione peccati. Ipse enim impijs dominatur, & est caput, & pater illorum. Impij nanq; sunt membra diaboli, & filij eius per imitationem, dicẽte Saluatore. Vos ex patre diabolo estis. Et misit illum in villam suam, id est mundanis cupiditatibus implicauit, & carnalibus sociauit hominibus, qui sunt vasa, & possessio dęmonis. Vt pasceret porcos suos .i. homines turpes, diabolo per carnalia vitia subditos, qui actibus impijs delectantur, talibusq; pascuntur. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Siliqua est genus leguminis sonoris, & vacuis folijs, ventrem onerans, nunquam reficiens. Per quod terrena substantia quæ ventrem voluntatis non satiat designatur. Auarus nanque, vt Sapiens asserit, non impletur pecunia. Nec aliquod bonum creatum satiare, & quietare valet hominis voluntatem, dicente Psalmista. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Non in bonis externis. Augustinus quoque clama

Quid est omnia bona consumere.

Gregor.

Quis ciuis regionis peccati.

Eccl. 5.

August.

clamabat. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Ipse autem in se reuersus dixit. Quanti mercenarij in domo patris mei abundat panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi. Pater peccaui in cœlum, & coràm te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum.

Reuersio ista ad se, fuit per actum intellectus inchoando à memoria domus paternæ, & à relatione sui ad mercenarios, necnon & suæ egestatis ad abundantiam eorum. Et ita in se reuersus, id est ad rectæ rationis dictamen se vertens, seipsum discutiens, inopiam suam considerans, quemadmodum per Esaiam iubetur. Redite præuaricatores ad cor. Deinde paternam domum superabundantem, ac mercenariorum diuitias animaduertens dixit. Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Mercenarij sunt omnes electi, & iusti viri. Non quòd seruiant Deo propter mercedem, sed quia fideliter laborant in vinea Domini. Ex quo Saluator, eis mercedem reddere iubet, dicens vineæ procuratori. Voca operarios, & redde illis mercedem. Et alibi: Gaudete, & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis. Et in Apocalypsi. Ecce, inquit Christus, venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua. Apostolus quoque. Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Isti mercenarij in domo patris, id est, in ecclesia militanti abundant panibus, hoc est multiplici alimonia spirituali, videlicet, pane sacramentali, de quo Saluator ait: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Pane insuper iustitiæ pœnitentiæ, de quo fertur in Psalmo: Cibabis nos panem lacrymarum. Et cinerem tanquam panem manducabam. Pane quoque diuinarum Scripturarum, de quo Christus. Nō in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei Et in Ecclesiastico: Cibauit illum Dominus pane vitæ, & intellectus, hoc est,

Isa.46 *Matt.10.5* *Apoc.22.* *2.Cor.3* *Ioan.6* *Matth. 4.* *Eccl.15.*

Euangelica doctrina pane proinde beatitudinis, & felicitatis æternæ. De quo Lucas. Beatus qui manducat panem in Regno Dei. His panibus abundant, qui in Ecclesia diligentissime Deo obsequuntur, vt quilibet fidelis minister ait. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Ego autem hic fame pereo, quia his omnibus panibus indigeo. Surgam igitur, id est, à peccato desistam, sicut hor-
Ephes.5. tatur Apostolus. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Et ibo per mentis conuersionem, veramque contrictionem ad patrem meum cœlestem, vbique præsentem, prout Psalmista docet. Accedite ad Deum, & illuminamini. Ipse enim per
Zach.1. Zachariam ita misericordissime loquitur. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ideo Apostolus. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius,
Hebr.4. vt misericordiam consequamur, & gratiam. Surgam itaque, & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Pater per creationem, & redemptionem, peccaui in cœlum, & coram te, quia tibi soli peccaui, & malum coràm te feci. Peccaui inquam mala committendo, & bona omittendo. Peccator enim in cœlum peccat, quia peccando meretur cœlesti mansione priuari. Iam non sum dignus vocari filius tuus, quia te grauiter inhonoraui, contra id, quod scriptum est. Honora patrem tuum.
Exod.20. Rursus. Non sum dignus vocari filius tuus, quia imaginem tuam in me peccando multipliciter deturpaui, meque tibi valde dissimilem feci. Iterum: Indignus sum vocari filius tuus, quia peccando feci meipsum seruum diaboli & peccati, & nomen filiationis amisi. Et surgens, id est à peccatis erigens, & à carnalibus ad spiritualia se disponens, venit ad patrem per contrictionem, fidem, & charitatem.

Cum aũt adhuc longe esset, vidit illũ pater ipsius, et misericordia mot⁹ est. Et occurrẽs cecidit super collũ eius, et osculatus est eũ. Dixitq; ei filius. Pater peccaui in cœlũ, & corã te, iam non sum dignus vocari filius tuus Dixit autem pater ad seruos suos. Cito proferte stolam primam, & induite illum,

lum,& date annulum in manu eius,& calciamenta in pedes eius. Et adducite vitulum saginatum & occidite, et mãducemus,& epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, et reuixit, perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.

Proprium est Deo peccatorem protinus vt conuertitur, & emendationem pollicetur, respicere. Ideo Deus pater oculo pietatis paternæ, ac prædestinationis æternæ (de quo orat qui ait. Respice in me, & miserere mei) aspexit filium, cum adhuc longe esset, quia nondum per charitatem infusam,& gratiam gratificantem,ac virtutum adeptionem erat Deo coniunctus. Et irruit in collum eius, ad designandum præuenientem diuinæ miserationis inclinationem. Deinde osculatus est eum ad pacis,& veniæ largitionem, ostendendam. Nam osculum est adhæsio, vnio, seu conformatio,mentis creatæ cum Deo. Ideo in Canticis orat sponsa. Osculetur me, osculo oris sui. Et filius proinde ait pater,id est,ecce affectus filialis. Peccaui in cœlum,& coràm te. Peccatum enim suum confitetur proposuerat. Iam non sum dignus vocari filius tuus. Fatetur quoque se indignum esse nomine filij,sed non subiungit petitionem, quam prius proposuerat, id est, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis, quia non est in eodem statu nunc,in quo erat, quando proposuit hoc petere. Nam tunc mouebatur affectu, ad proprium bonum: nunc autem amplexus, & osculatus à patre accurrente ad ipsum tanquam iaciens se totum in paternam gratiam, nihil petit, sed solum confitetur peccatum, & indignitatem suam, sicut scriptum est. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. O igitur semper admiranda, semper suscipienda, semper laudanda rorantibus præ pietate oculis, ineffabilis ad creaturas tantæ benignitatis diuina bonitas, & miseratio. Serui enim, quos vocat pater, sunt Angeli, sunt Apostoli, & Discipuli,sunt Doctores,& concionatores,per quos purificauit gentes, & peccatores vocat, & legem docet.

Cant. 1.

Misericordia Dei patris in peccatores, hic plurimum consideratur.

Stola prima est innocentia spiritualis, quæ datur in baptismate, quæ est prima, & præcipua, non stola quæ datur in circuncisione. Annulus in manu, vocatio est ad honorem filiorum Dei. Vel per annulum veræ fidei signaculum demonstratur. Annulus etiam in manu, ornamentum est manus. Ac per hoc, ornamenta operum significantur. Nam peccator vt efficiat opera bona exteriora, per manus significata, opus est, quæ condigni fructus pœnitentiæ nuncupantur. Calciamenta in pedibus, dona sunt Spiritus sancti ad currendã viam Euangelicam, imitandumque Dei filium. Vel calciamenta quæ ex pellibus mortuorum animalium fiunt, exempla sunt mortificationis pœnitentiæ præcedentis. Vitulus saginatus, est filius Dei, pro nobis imolatus. Occidere autem vitulum saginatum, est misteriũ mortis, & passionis Christi ad memoriam reuocare, ut sit cibus animæ. Manducare autem, & lætari, est de mensa Domini sumere sacramentum, vbi manducant, & lætantur iunior filius, & amici. Mortuus erat adolescentior per peccatum, per legis diuinæ ignorantiam, per gratiæ viuificantis carentiam. Et reuixit per collatam in Christo à Deo gratiam. Perierat deficiendo, & declinando ad dæmonia. Et inuentus est. Inuentus est quippe ab ineffabili Dei patris clementia per filium missum. Et ideo cœperunt epulari, id est, eius saluti, & gratiæ congratulari, quæ est spiritualis refectio, de qua Corinthijs scribit Apostolus. Refectus est spiritus Titi ab omnibus vobis. Et Psalmista: Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei. Omnes enim viri iusti, & sancti de aliorum emendatione summopere lætantur, & gratias agunt Deo, qui actus sunt cibus, & epulatio mentis. Siquidem epulatio, solemnis refectio, merito nuncupatur.

Annulus in manu quid significat.

Quid vitulus saginatus.

1.Cor.7

Quid epulari.

Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum, & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quæ hæc essent. Isque dixit illi. Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem,

tem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cepit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substãtiam suam cum meretricibus venit, occidisti ei vitulum saginatum. At ipse dixit illi. Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est.

Filius senior erat in agro, quia nondum erecta erat ecclesia Christi. Nam domus Catholica Ecclesia est. Appropinquans autem domui, audiuit symphoniam, & chorum, quæ sunt laudes, & exultationes in Ecclesia fidelium. Tunc indignatus est populus Iudaicus, eo quòd populus Gentilis vocatus sit ad Ecclesiam. Et noluit introire in principio vocationis gentium, neque adhuc intrat. Pater ad ipsum egreditur, & rogat, quia in dies uocat eum ad salutem, & ad communem in sacro conuiuio lætitiam. Cum autem dicit senior filius patri, quòd nunquam præterijt præceptum eius, gloriatio est in iustitijs, & operibus legis, vt proprium est Iudæorum, sine fide Christi, dicente Apostolo. Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Conqueritur insuper, quòd per tot annos illi seruierit, scilicet in iustitijs, & operibus illis, & nunquam dederit illi hœdum ad manducandum. Hœdus enim insignis, idem est etiam vitulus saginatus, & idem est Christus, quia non est datus filio seniori vt epularetur cum amicis suis, qui erant veteris Legis, tum quia iustitijs hominum non debebatur, sed Dei misericordia datus est. Tum quia Christus non erat imolandus veteri legi, sed legi perfectæ libertatis, quæ est lex noua, lex virtutis, & gratiæ. Improperat proinde, quòd imolauerit vitulum saginatum cum adolescentior filius ad paternam domum redijt. Sed perperuerse, & sine rationabili causa, quia id fuit tempore nouæ visitationis, & parcentis gratiæ, non veteris rigoris, & seueræ iustitiæ, in quo & Christus erat imolandus.

Pulchra istius parabolæ expositio.

Rom. 3.

Hœdus, vitulus, Xp̃s, idem.

landus. Cum vero dicitur filius iunior substantiam patris dissipauit cum meretricibus, propter dæmoniorum culturas, illa verba sunt interpretanda. Nam populus Gentilis dæmonibus famulabatur. Et si illi imolatus est Christus, propter incomprehensibilem misericordiam eius fuit, & ob immensam illius benignitatem. Et quid est dicere filius senior est semper cum patre, nisi quia vsque ad aduentum Domini, & vocationem filij iunioris, semper populus Dei, & eius erat Regnum Dei, & adhuc esset, si voluisset epulari, & gaudere in vocatione gentium ad Christum. Id etiam referri potest ad hominem iustum semper permanentem in iustitia Dei. Cum denique pater dicit, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, hæc sunt paternæ consolationes, promissiones, & vocationes populi Hebraici ad cultum, & spirituale gaudium nouæ legis. Tanta est enim Dei misericordia, vt vellet omnes saluos fieri.

Epilogus dictorum. Ex hac parabola docemur, quàm incomprehensibilis, & immensa sit Dei benignitas in pœnitentes, qui etiam frequenter in illis in quibus abundauerunt delicta, superabundare facit gratiarum Charismata. Et eos qui longo tempore vitiose vixerunt, facit eos præire, qui à pueritia in innocentia permanserunt. Nemo ergo desperet, nullus quoque præsumat, nec aliquis quamuis feruentior videatur, alium spernet. Veræ igitur optimus, & super optimus Iesus Christus (inquit Dionysius) qui, & redeuntibus amabilem se exhibet, accedentibus quoque occurrit, & obuiat, & totus totos amplectens, salutat, & innumeros quodammodo tollit, nec de prioribus malis illos accusat, sed diem festum agit, conuocatque amicos, vt sit omnium lætantium habitudo. Optimos quoque Angelos suscitat in lætitiam. *Dionysius.*

Concio de iustificatione. Hic non inepte potest fieri concio de iustificatione, de qua Tomo sexto satis abunde locuti sumus. Quoniam sex causæ quæ iustificationi congruunt in filio prodigo pulcherrime reperiuntur.

Nam

Nam prima causa efficiens quæ hominem iustificat solus Deus est, qui per Isaiam ait. Ego sum, ego ipse solus sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Et hæc cõsideratur cum dicitur. Et in se reuersus. Nullus enim peccator in se per contrictionem reuertitur, nec de malo in bonum conuerti, potest, nisi prius conuertatur à Deo, dicente Hieremia. Conuerte me Domine, & conuertar. Quia postquam me conuertisti, egi pœnitentiam. Secunda causa, scilicet, materialis, quæ est libera hominis voluntas, consideratur cum dicitur. Surgam, & ibo ad Patrem meum. Siquidem nisi haberet liberam facultatem surgendi, non diceret surgam, iuxta illud Apostoli. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Tertia causa, scilicet, dispositiua iustificationis nostræ, quæ disponit hominem ad hanc iustificationem capescendam, & post iustificationem magis iustificat, sunt opera nostra bona, & præcipuæ fides, charitas, & humilitas. Et hæc notatur in filio prodigo cum subdit. Pater, peccaui in cœlum, & coràm te, & non sum dignus vocari filius tuus. Sed fac me sicut vnum ex mercenarijs tuis. Ibi enim insinuare voluit fidem, charitatem, & humilitatem suam. Quarta causa, scilicet, formalis quæ est gratia, & misericordia Dei, notatur cum pater videns filium à longe, misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Et dixit ad seruos suos, cito proferre stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedibus eius. Quinta causa, scilicet, media, hoc est medium iustificationis nostræ, quod est passio, & mors Domini nostri Iesu Christi, pulchre considera tur, quando iussit pater occidi vitulum saginatum, id est, Christi passionem commemorari in sacrificio missę. Sexta causa, scilicet, finalis quæ est præmium felicitatis æternæ, notatur in congratulatione, in symphonia, & choro id est, canticis spiritualibus, quæ denotant gaudium Sanctorum. Nam iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia, &c.

Sex causæ iustificationis notantur in filio prodigo.

Isa. 43.

Hier. 31.

Ephes. 5.

Dominica

DOMINICA TERTIA QVA-dragesimæ, super Euangelijs, Lucæ, Matthæi, & Marcæ.

Luc. 10. Matth. 11. Mar. 3

ERat Iesus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium locutus est mutus, & admiratæ sunt Turbæ.

Aug. lib. 18 *cap.* 18. *de ciuit.* Dei. *& in epist. ad Felic.* *De potestate dæmonũ.*

Circa dæmonum potestatem quærunt Doctores, ac diuinarum literarum scriptores. Augustinus quoque lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 18. & in Epistola ad Felicianũ, an dæmones possint scire futura, & quæ ventura sunt annunciare. Secundo, an possint facere miracula, & mortuos suscitare. Tertio, an possint illudere sensus humanos, puta visum, auditum, tactum, & quomodo. Quarto, an carmina, & incantationes quas diabolus docuit habeant aliquam causalitatem respectu effectuũ eos consequentium. Quinto, an possint ingredi corpus humanum, & vexare, ac ipsius corporis organa à suis operationibus impedire.

Quantum ad primum dici potest, quòd quidquid potest scire homo scientia naturali, scire potest & dęmon, & excellentiori modo propter ipsius ingenij altitudinem, & intellectus subtilitatem. Rursus: Omnia quæ potest astronomus de cœlorum motu, & syderum coniunctionibus agnoscere potest dæmon, & lumine clariori. Quoniam astronomus existens in terra, tantum sydera contemplatur dæmon autẽ cum sit spiritus, corpora cœlestia scandere potest, ac planetarum coniunctiones, cœlorumque reuolutiones intueri perfectæ. Item: Quidquid homo per experientiam, id dæmon perfectius cognoscere valet, ob ipsius temporis antiquitatem. Habuit enim esse à principio mundi, ideo multorum temporum dierum, & annorum variationes expertus est. Sed diabolo non est credendum, tum quia ea quæ ventura sunt determinate scire minime potest. Id

Isa. 44.

enim proprium est Dei, sicut per Isaiam ait: Ego primus, & nouissimus, & absque me non est Deus, qui ventura

tura, & quæ futura sunt annunciet vobis. Tum quia mendax est, iuxta illud, quod ait Christus. Illæ homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij. Ideo sicut veritas Christo, ita falsitas diabolo attribuitur.

Quantum ad secundum, non est ignorandum miracula posse dupliciter considerari. Primo, quantum ad opus in se, quando, scilicet effectus, vel res producitur non concurrente causa secunda naturali, aut in subiecto non habente ordinem naturalem ad talis effectus susceptionem. Exemplum primi, vt est creatio noui effectus insoliti secundum se totum de nihilo. Exemplum secundi, vt suscitatio mortui, illuminatio cæci nati. Isto modo dæmones facere miracula minime possunt. Non enim facultatem habent inducendi res, vel formas nouas in subiectum, vel in materiam non dispositam ad earum susceptionem. Et tandem dæmones non possunt id facere, quod natura efficere non potest Et si obijcias de muliere habente Phytonem, quæ ad imperium Regis Saul suscitauit Samuelem, qui suscitatus dixit ad Saul. Quare inquietasti me, vt suscitarer? Respondendum est Phytonissam non Samuelem suscitasse, sed dæmonem euocasse. Et hæc ratio potissima est, quoniam Samuel arte magica, vel à dæmone suscitari minime poterat. Nec e.i credendum Deum suscitasse illum ad instantiam mulieris Phytonem habentis, quoniam decreuerat non respondere Saul, neque per somnia, neq; per Sacerdotes, neque per Prophetas. Vide Nicolaum de Lyra, & Alphonsum Tostatum Episcopum Abulensem, qui diffuse hanc materiam discernunt. Secundo, miraculum considerari potest quantum ad modum faciendi tantum, cum aliquid producitur à causis naturalibus, sed in breuiori tempore, quàm sit solitus naturæ cursus propter insuetam, & subitam applicationem actiuorum, & passiuorum. Quemadmodum fuit productio citissima Ranarum de puluere terræ, quæ tamen fieri posset per naturam tempore longiore.

Ioan. 8.

Quomodo Phitonissa non suscitauit Samuelem.

1. Reg. 28.

Nicolaus de Lyra super cap. 28. primi Regum.

Alphonsum Tostatum.

Hec

Miracula quo admodū faciendi

Hoc modo dæmones miracula efficere possunt. Habēt enim facultatem, & possunt repente actiua passiuis applicare præter solitum naturæ cursum. Et propter huiusmodi applicationem, res vere, & realiter producuntur in esse. Scribitur enim in Exodi libro, quòd virga Aaron proiecta, versa est in colubrum. Fecerunt autem malefici per incātationes Aegyptiacas, & archana quædam, similiter. Et proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in Dracones. Sicut ergo conuersio virgæ Aaron in colubrum fuit vera, ita & virgarum Magorū Pharaonis in Dracones fuit vero cōuersio, vt tenet Augustinus. Dæmones enim quamuis mali, naturā suam non amiserunt, necnon & naturales proprietates. Ideo dum per incantationem eorum malefici aliquid efficere conatur, discurrunt per vniuersum, & subito semina Draconum, vel eorum de quibus hoc agitur afferunt, applicantes eas constellationibus cœli, ex quibus sciūt generari serpentes, vel aliæ res, sicque ex illis permittē te Deo nouas rerum species producunt. Quas statim corām hominibus offerunt. Sed hæc non sunt vera miracula, sed ad decipiendum ordinata.

Exo. 7.

August.

Quantum ad tertium, non est dubium, quin diabolus possit diuersarum formarum corpora formare, & statim visui obijcere, seu alteri sensui offerre, illasque frequenter mutare. Huiusmodi autem formas, sensus volens, nolensque apprehendit: & ita interdum decipitur sensus circa obiectum, pariter, & intellectus, iudicando aliquam personam ibi esse præsentem, quæ reuera non est. Vel absentem, quæ præsens est, secundum varias formas diuersarum personarum, quas diabolus sensibus offert, vel occultat. Nam si formam Petro similem obijcit, iudico me videre Petrum. Et ita secundum diuersas formarum oblationes, & mutationes subitas, intellectus semper alia, & alia arbitratur, & ita deluditur per sensum. Potest etiam Diabolus occultare rem obiectam vt non iudicetur esse præsens, vel res arbitretur altera sic propter variationem formarum in medio potest multipliciter sensum

Quomodo illuditur sensus.

ſenſum illudere. Et illo modo, nonnulli viri, & mulieres ſæpenumero decipiuntur à dæmone. Siquidem Auguſtinus de ſpiritu, & anima, cap. 28. & de ciu. Dei lib. & cap. vt ſupra, ſic inquit: Quædam mulierculæ poſt Sathanam conuerſe illuſionibus, & phantaſmatibus ſeductæ credunt ſe, & confitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, & cum Herodiadæ, & innumera mulierum multitudine equitare, earumque iuſſionibus obtemperare. Ipſe nanque Sathanas qui ſe transfigurat in Angelum lucis, cum mentem cuiuſque mulierculæ cœperit, & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, illico diuerſarum perſonarum ſpecies, mentem quam captiuam tenet in ſomnis deludens, modo læta, modo triſtitia, modo cognitas, modo incognitas perſonas oſtendens, per deuia quæque deducit. Et cum ſolus hic patitur ſpiritus infidelis non in anima, ſed in corpore opinatur euenire. Iccirco nimis ſtultus, & hebes eſt, qui hæc omnia quæ in ſpiritu fiunt, etiam accidere arbitretur in corpore proprio. Hæc Auguſt.

Auguſt.

Quomodo decipiuntur mulieres putantes ire ad curſu.

Quo ad quartum dicendum eſt, quòd carmina Magorum nullam habent virtutem effectiuam reſpectu conſequentis effectus. Illa enim nòn ſunt niſi voces, & ſcripta certo modo prolata, aut certis caracteribus deſcripta, quæ non habent ex ſe maiorem vim, quàm ſonus ex aëre fracto, cauſatus: aut atramentum, vel alia ſubſtantia vnde cauſantur. Ad talem igitur effectum non habere virtutem, aut ordinem naturalem, conſequens eſt. Sequitur autem effectus quoniam dæmones. Haſce operationes modis ſupradictis veræ, vel illuſoriæ efficiunt propter quoſdam priuatos contractus, quos cum ſibi adhærentibus habent. Nam, vt inquit Auguſtinus, habent ſpiritus maligni pacta, cum aliquibus hominibus, illa quoque promiſſa obſeruant, non quia veraces ſint, ſed vt alijs adhæreant, & eos colant. Ex ſua nanque antiqua ſuperbia, diuinos præcipuæ appetunt honores. Permittet autem Deus hæc omnia propter eorum peccata. Dæmones quoq; ſuam exercere poteſtatem, non tamen iniuſtæ. Habet ergo

Quomodo verba magorum, & incantationes nullam habent efficaciam.

Auguſt.

pactum

pactum cum maleficis, vt dum hæc verba proferunt tali modo, puta ante Solis Ortum, vel in tali loco, tali gestu, sequitur illæ effectus, quem non verba, nec locus, nec corporis gestus, sed ipsi dæmones discurrentes operantur. Possunt tamen quandoque maleficia, & incantationes fieri per adhibitionem rerum naturalium maleficiatis, vt venenatarum herbarum, lapidum, radicum, & ceterorum similium, quorum occultas proprietates nouerunt dæmones. Et non est dubium quin talia applicata suis passiuis operationem efficacem habere possunt, non ex dæmonum virtute, sed sua naturali sibi innata proprietate, & virtute.

Dæmones humana corpora ingredi possũt

Quo ad quintum manifeste constat dæmones dum non prohibeantur a superiori virtute, posse humana corpora substantialiter subintrando obsidere, vexare, extorquere, organa quoque a suis operationibus impedire, vt hic constat in Euangelio, dicente Luca. Erat Iesus eijciens dæmonium & illud erat mutum. Non formaliter, sed effectiue eo, quòd organa hominis impediebat ab vsu sensuum. Siquidem amota causa, remouetur effectus. Matthæus asserit hunc a dæmone possessum, fuisse cæcum, & mutum. Dicit enim.

Matth.12

Tunc oblatus est ei, scilicet, Christo homo dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curauit eum, ita vt videret, & loqueretur. Vbi aït Hieronymus. Tria signa in eodem simul sunt peracta, quia obsessus curatus est, & idem cæcus, & mutus, visum recepit pariter, & auditum. Et admiratæ sunt turbæ de tam admirabili miraculo, tam imperialiter facto.

Hieron.

Quidam autem ex eis dixerunt. In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant.

Hos fuisse Pharisæos Matthæus ingenue fatetur, qui pleni inuidia aduersus Christum nitebantur ipsius sanctitati, famæ, eloquentiæ, sapientiæ, & miraculis derogare, quibus præcellerat eos, cum ipsi humanæ laudis, & gloriæ cupidissimi essent, ideo dixerunt. In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

Pro

Pro cuius maiori notitia non est ignorandum omnia nomina Idolorum (vt venerabilis Beda testatur) à Belo originem habuisse. Beda.

Ninus nanque Rex conditor, vel potius reparator Niniue ciuitatis, Belo patri suo, qui Rex fuit primus Assyriorum, statuam erexit post mortem eius, & in ipsius honorem consecrauit. Ad quam multi confugientes cœperunt statuam venerari, illi quoque exhibere diuinos honores. Quod videns diabolus sese statuæ insinuauit, indeque responsa dedit, & ita incepit Idolatriæ cultus. Cuius simulacri consuetudinem Chaldæi suscipientes, vocauerunt Beël, sicut apud Danielem scribitur. Erat quoque Idolum apud Babylonios, nomine Beël, &c. Palæstini, Baal appellarunt. Nam tempore Regis Achab, & Helyæ prophetæ, Sacerdotes Idolorum inuocabant nomen Baal, de mane, vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Moabite, Beelphegor, sicut scribitur in Psalmo. Et initiati sunt Beëlphegor. Acharonite vero, Beëlzebub. Ochozias enim, cum ægrotasset, misit nuncios, dicens ad eos. Ite consulite Beëlzebub deum Acharon vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Beëlzebub autem Princeps Muscarum interpretatur, propter multitudinem earum, quæ in templo eius extabant propter sordes imolati sanguinis, quæ muscæ sequi solebant. In hoc simulacro dicebant Iudæi Principem dæmoniorum habitare, tum quia in eo fuit principium Idolatriæ, tum quia nullum Idolum inueniebatur illo efficacius, tum quia cultus eius generalior erat apud omnes gentes. Licet enim quælibet natio alios Deos speciales haberet, hunc tamen tanquam vniuersalem Deum venerabantur omnes. Itaque in virtutis Principis dæmoniorum, Pharisæi dominum facere miracula fatebantur. Sed mentiebantur quidem, quoniam diabolus (vt dictum est) facere miracula minime potest, nisi quo ad modum faciendi, quoniam non est ignarus naturæ, & operationis elementorum, neque inscius quomodo materiam pluuiæ grandini faciendæ attempe-

Nomina Idolorum à Belo origine habuerunt.

Dan. 14

3. Reg. 8

4. Reg. 1

An diabolus possit facere miracula.

ret, cum interdum tempestates aëris concitat. Potuit etiam diabolus homines varijs morborum generibus debilitare, quos deinceps ad Idola currentes, sola nocumenti oblatione curasse videbatur. Sed hæc non sunt vera miracula, quoniam non fiunt supernaturali aliqua potestate. Agit enim diabolus, vel per deceptionem, & vanam illusionem, vel ex naturalibus caussis. Facere autem miracula secundùm opus in se minime potest, vt mortuos suscitare, cecos illuminare, quæ sunt opera omnipotentis Dei, qui facit mirabilia solus, vt est naturæ moderator, & omnium creaturarum Dominus.

Exod. 15. Alij qui Christi miracula pro nihilo reputarunt,
1. Reg. 7. Signa de cœlo quærebant, cuiusmodi aliquando
3. Reg. 18. facta fuerant à Prophetis, quemadmodum Moyses
4. Reg. 1. columnam igneam cœlitus exhibuit populo ex Ægypto proficiscenti. Sicut Samuel mugire fecit tonitrua tempore messis in ea regione qua id solitum fieri non erat. Sicut Helyas de cœlo ignem euocauit super sacrificium. Et rursus, Quando ignis de cœlo descendens, consumpsit duos quinquagenarios. Simi-
1. Mach. 1 liter cum canentibus Ionatha, & sacerdotibus, ignis
Iosue 7. de cœlo incendit sacrificium. Et quando Sol, pugnan-
Isa. 38. te Iosue stetit. Vel ægrotante Ezechia retrocessit. Verum in hoc illi tantum tentabant Dominum, qui si tale aliquod miraculum maxime exhibuisset, adhuc credere eī minime voluissent.

Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem, & Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit Regnum ipsius, quia dicitis in Beelzebub eycere me dæmonia? Si autem in Beelzebub eycio dæmonia, filij vestri in quo eyciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eycio dæmonia, profectò peruenit in vos Regnum Dei.

Cogitationes hominum interiores nemo cognoscere potest nisi solus Deus. Ideo Christus euidentem suam demonstrauit diuinitatem, agnoscens Iudæorum

rum cogitationes. Est enim, vt inquit Hieremias, cor hominis inscrutabile,& quis cognoscet illud? Nisi Dominus probans renes, & corda, qui etiam ad Samuelem ait. Homo videt ea quæ patent, Dominus autem intuetur cor. Respondit autem Dominus cogitationi non sermoni illorum, dicens: Omne Regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Siquidem per principum discordias contra se alternatim pugnantium, dissipabitur, & desolabitur omne Regnum, & omnis ciuitas, vel domus diuisa contra se per oppositas voluntates, & operationes, non stabit, sed dissoluetur. Certum est enim bonis legibus, & ordinationibus Respublicas, & politias ciuitatum gubernari, & retineri. Sed vbi quam primum discordiæ seminarum aliquid pullularit, statim omnisque bona fuerat perijt ordinatio. Ideo vt destructio sequatur, & desolatio miseranda, opus est. Quis enim Turcham hostem trans mare adduxit? Nonne duorum Imperatorum Constantinopolitanorum dissidium, quando alter ex Turcha quærebat auxilium? Quis præterea tributariam Turcæ Cyprum effecit? Quis insuper Turcham Rhodum adduxit? Regum quidem,& Principum discordia. Id etiam constat in alijs Monarchijs, Regnis, Prouincijs,& præcipuæ in Italia, vbi tantarum ciuitatum ruinæ, destructiones desolationes reperiuntur,& non nisi propter Principum, & populorum dissensiones. Itidem,& in domibus particularibus, vbi parentes,& nati fratres inter se, & cognate dissentiunt,& discrimina patiuntur. Clamat igitur Sapiens. Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius, scilicet, qui seminat inter fratres discordias. Si autem,& Sathanas diuisus est, quomodo stabit Regnum eius, quia dicitis in Beelzebub ejcere me dæmonia? Sathanas nanque sibi ipsi aduersarius non est, quando alius alium in malignitate etiam fortiter adiuuat. Regnum enim Sathanæ est in malis hominibus, quos sibi subditos tenet, & in quibus regnat, cuius Regnum non cessabit vsque

Hierem. 17

1. Reg. 16

Quomodo omne regnum in se ipsum diuisum desolatur.

Prouer. 6

in finem mundi. Tum propter diuinæ iustitiæ ordinationem, tum ad hominem exercitationem, & maius meritum.

Alia ratio Christi. Alio etiam argumento contra Iudæos vtitur Christus, dicens: Filij vestri dæmonia ejiciunt, non tamen in virtute Beëlzebub, & ego igitur hoc idem nulla diaboli facio potestate. Est enim sententia Chrysostomi, *Chrysost.* Cyrilli, Hieronymi, & Bedæ, Christum hic per filios *Cyrill.* Apostolos suos intellexisse, & eos qui in nomine suo *Hieron.* ejiciebant dæmonia. Iam etenim Christus Discipulis *Bedæ.* suis dederat potestatem ejiciendi dæmonia, vnde & ad ipsum deinceps reuersi, dæmonia iam sibi obedire dicebant. *Luc. 10.* Quamuis & alij quoque qui nec Christi erant Discipuli, nec ipsum sequebantur, dæmonia ejiciebant, sicut & Ioannes ad Christum dicebat. Præceptor, vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. *Luc. 9.* Et ait ad illum Iesus. Nolite prohibere, qui enim non est aduersum nos pro nobis est. De his nunc quoque loquens Christus ait, Filij vestri in cuius potestate ejiciunt dæmonia? Nonne in nomine meo hæc faciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt, quia dæmonum expulsiones per ipsos factas, non diabolo, sed Deo ascribitis, quas à me factas Principi ascribitis dæmoniorum. Rursus: Iudices vestri erunt in die nouissimo, non tantum sicut Niniuitæ, & Regina Saba, sed vt assessores magnifici, sedentes super sedes duodecim, iudicabunt duodecim tribus Israël, pariter & vniuersum Mundum.

Confutata iam duabus validis rationibus aduersantium Iudæorum cogitatione, ex altera porrò parte concludens Dominus ait: Si in digito Dei ejicio dæmonia, profectò venit in vos Regnum Dei. Per digitum *Per digitū Dei, quid intelligatur.* Dei intelligamus significationem virtutis, & manifestationem spiritus Dei, quemadmodum & malefici Pharaonis dicebant hic esse digitum Dei, hoc est, tum potentiæ, tum spiritus diuini manifestationem. Hinc Matthæus *Matth. 12* quoque clarius dicit, Si in spiritu Dei ejicio dæmonia, quoniam Spiritus sanctus in dæmoniorum expulsio

pulsione arguitur magnæ esse virtutis, & gratiæ. Et non incongrue quidem, quia sicut digito rem aliquam demonstrare solemus, ita virtutem, & omnipotentiam Dei, miracula monstrant, & arguunt. Voluit ergo dicere Dominus. Quid cogitatis iniquissimi in cordibus vestris quòd in Beelzebub ejciam dæmonia? Porrò digitus Dei est hæc, virtutis diuinæ, magna, & insignis manifestatio, quam & malefici Pharaonis cognouerunt, & vos cognoscere recusabitis. Venerabilis Beda concludit hæc, manum & brachium Dei filium esse, digitum vero illius, Spiritum sanctum, quoniam sicut digitis nostris dona expendimus, ita & Spiritus sanctus gratiæ suæ munera fidelibus impartitur, iuxta illud Apostoli. Diuisiones quidem gratiarum sunt, idem autem spiritus &c. Si igitur in digito Dei, inquit Christus, ejcio dæmonia, profecto peruenit in vos Regnum Dei. Regnum vtique gratiæ, Regnum fidei, Regnum Euangelicum, imò Christus ipse, de quo dicitur. Regnum Dei intra vos est. Cumque diabolus tanto hactenus tempore regnauerit in mundo post lapsum Adæ, vsque adeo etiam vt homines toto obsideret, nunc demum dæmonia me ejciente, peruenit in vos utique Regnum Dei, dum Deus iam per me regnat in bonis, pulso diabolo. Peruenit inquam in vos Regnum cœlorum, de quo Ioannes. Pœnitentiā agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum. Peruenit & Regnum Scripturæ sanctæ, quod auferetur a Iudæis, & tradetur genti facienti fructum eius. Cur igitur miracula quem vestrum commodum facio, contemnitis? Ecce si in digito Dei ejcio dæmonia, iam in vos peruenit Regnum Dei. Iam præsto adest gratia illa Dei, quam tantopere, tot retro seculis maiores vestri, & vos summis votis exoptastis. Itaque contra commodum, salutem, & honorem vestrum nolite contendere, nolite malignari, ne sitis ipsi contrarij nobis. Iam in vos peruenit Regnum Dei.

Postremo Christus se non in virtute Beelzebub ejcere dæmonia, hac pulcherrima similitudine adhuc insinuare voluit, dicens.

Beda.

Cur digitus Dei, dicitur Spiritus sanctus.

Matth. 3

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet, si autem fortior illo superueniens vicerit illum vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.

De pulchritudine, sapientia, & magnitudine primi Angeli. Hic fortis armatus fuit primus omnium Angelorum, Lucifer dictus, cui à principio hæc tria præcipue à Deo collata fuere, scilicet speciositas, sapientia, & magnitudo suæ magnificæ condictionis. Speciosus namque, & pulcherrimus, sapiens, & magnus conditus fuit. De pulchritudine ipsius ipse conditor per Ezechielem ita loquitur. *Ezech. 31* Ecce Assur, quasi Cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsusq́. altitudine. Et post pauca, subdit, omne lignum Paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini eius, quoniam speciosum feci eum. De eius quoque sapientia, idem Dominus per eundem Prophetam, sub nomine principis Tyri, ita inquit. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs Paradisi dei fuisti. *Ezech. 28* Omnis lapis preciosus operimentum tuum, &c. Et infra. Tu Cherub extentus, & protegens, posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis à die condictionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Rursus, *Ezech. 31* de magnitudine suæ condictionis sic testatur Ezechiel. Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. Abietes non adæquauerunt sumitatem eius, & Platani non fuerunt æquæ frondibus illius. His tribus donis præ ceteris assimilabatur Deo, sed propter hæc omnia in superbiam elatus appetijt altitudinem diuinitatis Dei, & omnipotentiam suam, & esse Deum. Et quia sapientissimus erat, nullum impossibile poterat appetere. Appetijt autem esse Deum, non per naturarum conuersionem, vt Angelica natura in diuinam conuerteretur, quod est simpliciter impossibile, sed per hypostaticam vnionem, vt puto (saluo semper meliori iudicio). Nouerat enim vel ex diuina reuelatione, vel ex sua innata sapientia Deum æternaliter statuisse velle natu

naturam humanam sibi assumere in vnitate suppositi, vt Deus esset homo, & homo Deus. Ideo inuidens ei, optauit vt Deus suam Angelicam naturam assumeret, & ita Angelus Deus efficeretur. Deinde hanc suam ambitiosissimam voluntatem, nonnullis inferioribus Angelis patefecit, qui ei iniustæ adhærentes læta liter peccauerunt. Iccirco propter ipsius superbiam expulsus est de cœlo, cum Angelis suis, & vocatus est Sathanas, ex quo cœpit aduersari verbo Dei, & inter Angelos seditionem fecit. Turbator pacis, rebellusque lumini. Vnde Dominus in Euangelio. Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Deinde proficiens in peius, dictus est Draco magnus, iuxta illud Apocalypsis. Factum est prœlium magnum in cœlo, Michaël, & Angeli eius prœliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valerunt, neque locum eorum inuentus est amplius in cœlo. Diabolus autem inuidens felicitati humanæ naturæ procurauit sub forma Serpentis decipere mulierem, & per mulierem virum, vt à Paradiso voluptatis expellerentur. Rursus: Præuidens filium Dei in carne venturum, conatus est omne opus facere, vt ipsius aduentum impediret, sicut in Apocalypsi scriptum est. Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna, sub pedibus eius, & in capite coronam, Stellarum duodecim, & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret. Hæc mulier vniuersalem designat Ecclesiam, quæ est amicta Sole diuinarum gratiarum, & donorum Spiritus sancti. Luna sub pedibus eius sunt bona temporalia, quibus Sancti tantum ad eorum, & aliorum necessitatem vtebantur. Habens in capite coronam duodecim Stellarum, quæ sunt nomina duodecim Apostolorum, & Prophetarum, quibus ornatur ecclesia. Habebat quoque in vtero Christum, & clamabat vt pareret. Nam Moyses primus fuit qui ad Dominum clamauit, dicens. Obsecro domine, mitte quem missurus es. Esaias proinde.

Quomodo primus Angelus appetiij esse Deũ.

Luc. 10.

Apoc. 12

Ecclesia quomodo describitur.

Exod. 4.

Esa. 16.45

Emitte agnum Domine dominatorem terræ. Rursus: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum David insuper. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Cruciabatur quoque Ecclesia, quia nondum erat tempus parturiendi. Cruciabatur quidem in Aegypto, quando surrexit Rex novus qui ignorabat Ioseph, & populum Israël, quem affligere cœpit. Et in Babylonica captiuitate.

At signum aliud visum est in cœlo. Ecce Draco magnus Rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli. Et Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret: Draco iste, diabolus est, qui superbia sua tertiam partem Angelorum seduxit. Septem capita coronata, septem Reges, & Regna sunt, quibus nitebatur sanctissimam Christi incarnationem impedire. Statim enim vt Abrahæ facta fuit repromissio beati seminis, quod est Christus, in quo omnes gentes benedicendæ sperabantur.

Primum caput Draconis. *Exod. 1.* Draco emisit primum caput, scilicet, Pharaonem Regem Aegypti, qui omnes pueros Hebræorum masculos in aqua necari iussit. Nam si res habuisset effectum, nunquam filius Dei, semen Abrahæ assumpsisset.

Secundum caput. Secundum caput, fuit Regnum Israël scissum propter peccatum Salomonis, quibus temporibus, Iezabel cum Rege Achab, & Athalia filia ipsorum, Regesque alij, tam in Samaria, quam in Hierusalem Prophetas verbi occiderunt. Omnes quoque confitentes Deum verum, ipsiusque legis obseruatores instigante Dracone, ne Christus nasceretur. *3. Reg. 18*

Tertium caput. Tertium caput, fuit Nabuchodonosor Rex Babyloniorum, qui Hierusalem, & Templum, quod tunc vnicum erat nominis Domini, succendit. Erexitque statuã suo nomini dicatam, vt solus ipse, & nullus alius Deus adoraretur in terra. Tres pueros in fornacem ignis, & Danielem misit in lacum Leonum. Et ita nitebatur delere nomen Domini. *Dan. 3*

Quartum

Quartum caput, fuit Assuerus Rex Persarum, atque Medorum, qui vniuersum genus Iudæorum, vnde Verbum erat incarnandum, vna die delere voluit. Quod si id secutum fuisset, quomodo ex stirpe Dauid natus esset Christus. *Quartum caput. Hester 3.*

Quintum Draconis caput, Regnum fuit Græcorũ, cuius Regni, Rex impudens Antiochus legis Dei memoriam omnem delere voluit, vt Christi genealogiam extirparet. Qui etiam inter cetera scelera crudelia septem Fratres, cum Matre ipsorum nimis atrociter interemit. *Quintum caput. 1.Mac.1.7*

Sextum caput, Regnum fuit Romanorum, sub quo Verbum caro factum est, cuius Regni, Rex immanissimus Herodes occidit omnes pueros in Bethlehem Iudæ, ut Christum puerum simul cum illis occideret, instigante Dracone. Qui vehementer suspicabatur, ne natus esset Christus verus Messias in Lege promissus, (iam vaticinijs Prophetarum completis) a quo Regnum suum deleri debebat. *Sextum caput. Matth.2*

Septimum caput, erit Antichristi Regnum. *Septimum caput.*

Sed contra hæc septem capita Draconis, Agnus immaculatus emisit septem cornua, quibus præualuit, sicut scriptum est in Apoc. Vidi, inquit Ioannes, in medio Throni, & quattuor animalium, & seniorum, Agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, quibus septem Regna, & Reges superauit, & vicit. *Apoc.5.*

Primum, fuit Moyses, tempore Pharaonis Regis Aegyptiorum. *Septem cornua contra septem capita.*

Secundum, Helyas magnus illæ Propheta, tempore Achab Regis Iudæorum.

Tertium, Daniel, tempore Nabuchodonosor Regis Babyloniorum.

Quartum, fuit Mardochæus, vel potius Hester Regina, tempore Assueri Regis Medorum, atq; Persarum.

Quintum, Mathathias, tempore Antiochi Regis Græcorum.

Sextum, fuit sanctissimus illæ Ioseph, qui tempore Herodis Regis, cum puero Iesu, fugit in Aegyptum.

Septi-

Septimum, erunt Enoch, & Helyas, tempore Antichristi.

De isto Dracone, qui est Sathanas, & diabolus loquitur Christus, dicens. Cum fortis armatus custodit atrium suum. Erat quidem fortis armatus, in cuius auxilio erant tot Reges, & regna. Arma quoque omnium genera sunt peccatorum, in quibus iste confidit. Atrium suum Mundus est vniuersus, qui in maligno positus est totus. Nunc iste in pace possedit, sed tyrannorum tantum more à prima Paradisi irruptione, vsque ad aduentum Christi. Totus enim tunc mundus Idolatræ deditus erat, dempto vnico isto, sed exiguo tamen Iudæorum angulo Idolatria, cæteraque innumera quædam vitia, quæ per longum Paulus ad Romanos scribens recenset, Grassabantur in mundo continue, donec fortior veniret, qui & diabolum ex Idolis expulit, & illius potestatem adeo confregit, vt simulacra quæque Gentilium coràm Christianis obmutescerent, corruerentque sicut in vitis Apostolorum hinc inde legitur. Fortior igitur qui superuenit est Dominus noster Iesus Christus, teste Ioanne, qui ait. Data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Siquidem cum filius Dei factus est homo, & Dominus exercituum, tūc statim diabolum superauit, arma ei ad[emit], ipsumque in Infernum alligauit, & astruxit. Limbum quoque confregit, Patres inde eruit. Et qui iam paulo ante captiui fuerant, nūc in cœlo diuisi sunt per choros Angelorum. Ecce quomodo decipiebantur Iudæi, putantes Christum in Beelzebub eijcere dæmonia. Ipse autem vicissim probat se potentiorem dæmonemq; principem superare quoque, & spoliare. Vnde potestatem diabolicam nullo modo isti tribuere Domino debebant.

Rom. 1.

Apoc. 6.

Quomodo Christus vicit diabolū.

Alia præterea ratione Christus ostendit magnam inimicitiam esse inter ipsum, & dæmonem, dicens. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Sicut enim Christus, & diabolus, absque medio contrariantur, ita opera Christi, operi-

bus

bus diaboli contraria sunt. Necesse est igitur, aut Christo, aut diabolo famulari, & esse cum Christo, vel contra Christum. Et qui non faciunt opera Christi, vt opera diaboli efficiant, consequens est. Iudæi vero, & Saraceni qui non seruiunt Christo, quomodo Deo seruire possunt, & non potius diabolo? Christus salutem, & liberationem: diabolus prædicat idola, & seruitutem. Hic vult animarum felicitatem: ille condemnationem. Hic vnius Dei notitiam donat: ille oculos mentis excæcat. Hic ad virtutes reuocat: ille trahit ad vitia. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam, quorum opera diuersa sunt? Congregat Christus animas in felicitatem æternam diabolus dispergit in condemnationem. Igitur qui non colligit cum Christo, dispergit cum diabolo. Deinde subditur.

Christus & diabolus quomodo cõtrariantur.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requièm, & non inueniens, dicit. Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cum venerit inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Et tunc vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingreßi habitant ibi. Et fiunt nouißima hominis illius peiora prioribus.

Exclusa siquidem calumnia, subiungit Iesus pœnam spiritualem quam incurret illa Iudæorum generatio refutans Christum. Et intendit per hanc similitudinem, quòd diabolus qui exiuit à gente Iudæorum per Patriarchas, & Prophetas non inueniens requiem in Gentilibus, in quibus per Euangelium regnauit Deus, reuertetur ad nationem Iudæorum, tanquam domum scopis purgatam, & ornatam, tanquam prouocatiuam dæmonis ad hoc vt inhabitetur. Et erunt nouissima nationis Iudeæ peiora primis vt experientia testatur. Sunt.n. Iudæi longe peiores modo repugnando Christo, quam fuerint a principio antequam illuminarentur per Prophetas, quoniam effecti sunt pertinaces cõtra veritatem Messiæ: Alia quam plura super hac similitudine, vide supra feria quarta primæ Dominicæ.

Factum

Factum est autem cum hæc diceret, Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At illæ dixit: Quinimò. Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Mulier hæc creditur fuisse Marcella pedissequa Marthæ, quæ audiens Christum ita sapientissimæ loquentem suos aduersarios tam euidentissimis rationibus superasse, præ nimio gaudio, & spirituali consolatione, clamauit voce magna, dicens: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Siquidem beatus venter, quia sine libidine concepit, sine grauedine portauit, sine dolore peperit, atque Deum nobis protulit, & hominem. Beata vbera, quæ cibum parauerunt, & potum, & Christum dominum lactauerunt. At illæ dixit. Quinimò. Non negat veræ dictum beatum ventrem, & beata vbera, sed hoc affirmans adducit potiorem beatitudinis rationem. Beati (inquit) qui audiunt verbum Dei. & custodiunt illud. Non enim sufficit audire verbum Dei, sed illud obseruare opus est. Hinc Apostolus: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Iacobus quoque: Estote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Et ipsæ Christus in Euangelio: Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Et alibi: Qui ex Deo est, verba Dei audit, & facit. Etenim verbum Dei est vita, cibusque animæ, quia non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei, &c.

Commendatur mater per filium.

Rom. 2

Iacob 1.

Matth. 8

Ioan. 8.

Luc. 4.

EXORDIVM.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, &c.

MVlta quidem opera & præclara miracula, innumerasque virtutes operatus est Christus in Ciuitate Capharnaum, & in confinibus eius vt liquet in Euangelijs Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis. Nam vt Matthæus testatur Euangelista, Capharnaũ Ciuitas maritima erat Metropolis prouinciæ Galileæ situata in finibus Zabulom & Neptalim iuxta nationes gentilium, ideo Christus ibidem pro maiori temporis parte morabatur cum Discipulis suis, quos in eodem loco elegerat & vocauerat, prædicans Baptismum pœnitentiæ, multaque miracula faciens, vt adimpleretur Isaiæ vaticinium dicentis. Terra Zabulom & Terra Neptalim, via maris trans Iordanem Galileę populus gentiũ, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis, &c. *Matth. 4.*

Item in Capharnaum Christus mirabilem Centurionis fidem ostendit, cuius puer paraliticus pristinam sanitatem recuperauit. Regulo quoque deprecanti pro filio ęgrotanti dixit Christus filius tuus viuit, quem descedens in domum suam sospitem inuenit, nec non in eadem ciuitate in domo Symonis inuenit io- *Matth. 8.* *Ioan. 4.*

crum

crum eius febricitatem, & imperans febri dimiſsit illam. Veſpere autem facto innumeros
Luc. 4. languentes, & Dæmonia habentes ſua admirabili potentia curauit, à quibus exibant dæmonia confitentes Chriſtum eſſe filium Dei, at ipſe increpans nõ ſinebat ea loqui, & poſt pauca, cum eſſet in nauicula cum Diſcipulis ſuis.
Matth. 8. Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus Chriſtus imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquilitas magna, & hoc quidem opus tantam intulit turbis admirationem vt dicerent. Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei, &c.

Luc. 7. Rurſus in Capharnaum cæci vident, claudi ambulant, vt inquit Chriſtus (duobus Diſcipulis Ioannis Baptiſtæ) leproſi mũdantur, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, & Quid plura? Tot miracula, totque virtutes cla-
Matth. 11. ruerunt in Capharnaum, & in confinibus ſuis, vt Chriſtus motus quodam zelo ſpirituali clamaret, væ tibi Corazaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, Olim in cilitio & cinere pœnitentiam egiſſent, & ſubdit, & tu Capharnaum nunquid vſque ad cœlum exaltaberis, vſque ad Infernum deſcendiens, quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factę ſunt in te, forte manſiſſent vſque ad hanc diem, &c.

Matth. 7. Prætera in Capharnaum iuſsit Chriſtus
ſolui

ſolui tributum, ſcilicet, Didrachma pro ſe & Petro, vt eum ſibi ſociaret in regiminis dignitate, qui coequauit in ſolutione tributi, &c. Et vt aſſerit Marcus in Synagogis Capharnaũ Sabbatis ſedulo prædicabat docens eos tam nouam & admirabilem doctrinam, vt omnes ſtupidi mirarentur ſuper ſapientia eius, erat enim docens, ſicut poteſtatem habens, quo tempore etiam comminatus eſt ſpiritui immundo, qui eum laudibus extollebat dicens. Obmuteſce & exi ab homine. Iterum vt Lucas fatetur in ciuitate Capharnaum dedit poteſtatem ſeptuaginta duobus Diſcipulis, ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, qui cũ gaudio reuertentes dixerunt. Domine ecce dæmonia, etiam ſubijciuntur nobis in nomine tuo, Quibus Chriſtus, videbam Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem, Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpẽtes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici & nihil vobis nocebit, &c. *Marc. 1* *Luc. 10.*

Poſtremo, vt inquit Ioannes euangeliſta in Cana Galileæ, ſcilicet, in oppido quodam ciuitatis Capharnaum Chriſtus in nuptijs conuertit aquam in vinum, quod fuit initium ſignorum eius. Deinde iuxta Capharnaum extra mare Galileæ, quod eſt Tyberiadis ſaturauit Dominus quinque milia hominem ex quinque panibus, & duobus piſcibus. Audierant igitur habitatores Nazareth tot præclara miracula, *Ioan. 2.* *Ioan. 6.*

miracula, quæ Christus operabatur in patribus illis, ideo indignabantur, & dicebant ei, Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua, volens autem Christus illorum emendare errorem ait illis, vtique dicetis mihi hanc similitudinem, quam & ipsi dicere intendebant, id est, vulgare prouerbiũ, seu metaphoricum, & parabolicum verbum, vel hoc adagium mihi obijcietis, Medice cura teipsum, &c.

FERIA SECVNDA TERTIAE Dominicæ Quadragesimæ.

Luc. 4.

Post hæc venit Iesus in Galilæam, & fama exijt per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere.

Anno

Anno secundo postquam, scilicet, Christus conuertit aquam in vinum, & allocutus est Nicodemum in rebus diuinis instruens eum, & post querimoniam de purificatione, seu baptismate Ioannis, & Christi, venit in Galilæam, ex qua fuerat oriundus. Et fama exijt per vniuersam regionem Galilææ de illo, propter sapientiam, & eloquentiam, & miracula eius. Arbitror quoque testimonium præcursoris ante dictum, coràm Discipulis suis, tam præclarum, atque credibile, fecisse eum non parum famosum, apud multos Galilæorum qui tunc aderant, & audierant. Et docebat in Synagogis eorum. Synagoga enim vocabatur, vel ipsa Iudæorũ collectio, vel domus, in qua ad orandum, vel audiendum lectionem Legis, & Prophetarũ, conueniebant. Ibi ergo prędicauit, & docuit, tanquam magister magnæ auctoritatis audientibus multis. Et magnificabatur, id est magnæ sapientiæ, ac virtutis reputabatur ab omnibus audientibus eum, & propter doctrinæ, & miraculorum excellentiam.

Quid. Synagoga Iudæorum.

Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & conceptus fuerat. Et intrauit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, quoniam die illo celebri, magis conuenerant Iudæi ad audiendum verbum Dei, & ad deprecandum faciem Domini, quemadmodum his temporibus Christi fideles in die Dominico facere videntur. Etenim festiuis temporibus iccirco ab exteriori occupatione cessatur, vt homines magis quiete, & deuote diuinis exercitijs intendant. Et quòd ferialibus diebus per omissionem, vel commissionem peccauerunt, corrigant, & emendent, tempus perditum recuperando. Ideo Christi consuetudo fuit tunc ingredi Synagogam, vt quamplurimis auditoribus ibidem conuenientibus prædicaret, & vt perpulchras aliorum consuetudines approbaret. Presertim quoniam laudabilis consuetudo vim legis sortitur secundùm Augustinum, & surrexit legere vt surgendo disponeret se ad legendum, ostendens se velle legere, vt ex ipsa Scriptura quasi thema sui

Cur institutus est dies festus.

Augusti.

sui sermonis acciperet. Proinde vt palàm insinuaret Doctoribus, & concionatoribus concionem suam diuinarum Scripturarum testimonio comprobare debere. Rursus, Vt vnum de minoribus ordinibus (sicut aliqui asserere videntur) scilicet, ordinem, officiumque lectoris impleret, & approbaret. Quemadmodum cum officium exorcistæ expleuit dæmones expellendo, acoliti, vel ceroferarij protestando, Ego sum lux mundi. Ostiarij quoque ementes, & vendentes de templo ejciendo. Sicque manifeste constat Christum per quatuor suos actus approbasse quatuor ordinum inferiorum officia. Quo circa nullus quantumlibet vita, aut scientia magnus, contemnere debet hos ordines accipere, eorum ue officia exequi, quia non est seruus, maior Domino suo.

Quattuor ordines inferiores quomodo Christus approbauit.

Et traditus est illi liber Esaiæ Prophetæ. Et reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat. Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me: Euangelizare pauperibus misit me: Sanare contritos corde. Prædicare captiuis remissionem, et cæcis visum. Dimittere confractos in remissionem. Prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

Surrexit Christus legere, quia eorum more aliquantulum sederat, & petentis, aut offerrentis placito traditus est sibi liber Esaiæ, quę reuoluens more docentis, subito locum quem quærebat inuenit, sciens æternum ab æterno decretum, quòd Prophetarum in tempore litteris Hebraicis exaratum erat. Nouerat omnia, quia Deus non indigebat libro, ipse omnium vitæ liber, mente nouerat quod quærebat in libro. Absque illo legisset, quia absque chartis docuit Prophetam. Locum reperit qui de ipso erat, & verba scripta quæ de ipso longe ante reuelauerat ipse videnti, & videns, id est, Prophetans ad memoriam posterum mandauerat, & ibi sic scriptum erat. Spiritus Domini super me, id est, Spiritus sanctus qui est spiritus Patris, & Filij tanquam vnius principij, vniusque fontis, ac spiratoris Spiritus sancti, de quo Sapiens. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. De quo etiam dixit Apo

Esa.61.

Sapien.1.

Apostolus: Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Super 2. Cor. 3.
me.i.desuperuenit in me inquantum homo. Anima.n. Christi plena fuit Spiritu sancto ab incarnationis exordio. Vnde Spiritus sanctus per inexistentiam donorum suorum dicitur super Christum hominem requieuisse, iuxta illud Esaiæ. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, &c. Fuit insuper Esa. 11.
& requieuit super Christum tanquam motor, ductor, & præceptor eius in omnibus secundùm naturã assumptam, quę fuit totius trinitatis electissimum, & obediẽtissimum instrumentum. sicut ipsæ in Ioanne testatur. Ioan. 8.
Quia quæ placita sunt Patri, facio semper.

Propter quod vnxit me. De qua vnctione vaticinatus est Dauid, dicens. Vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ. Et in Actis Apostolorum, loquitur Petrus. Act. 10.
Vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute. Fuit aũt Christus vnctus Spũ sancto in Regem, in Pontificem, in Prophetam, in Tabernaculum Dei. Est.n.Rex iuxta illud Hieremiæ. Regnabit Rex, & sapiens erit. Pontifex quoque dicente Apostolo. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum. Propheta insuper, sicut infra capite decimo scribitur. Propheta magnus surrexit in nobis. Tabernaculum deniq; diuinitatis appellatus est, quemadmodum ad Collosen testatur Apostolus. Golos. 2.
In ipso habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Siquidem in veteri Testamento vngebantur Reges, Pontifices, Prophetæ, & Tabernaculum Dei. De vnctione regali, liquet in sextodecimo primi Regum. De vnctione vero Pontifices, & Tabernaculi, patet in octauo Leuitici. Et de vnctione Prophetarum, in decimonono tertij Regum. Porrò Saluator quamlibet horum personam gestabat. Nempe vt Sacerdos sacramenta nobis contulit. Vt Rex vocauit nos ad Regnum. Vt Sacerdos, instruxit. Vt Rex, liberauit ab æmulis. Vt Sacerdos, semetipsum obtulit, sufficiens hostia factus. Vt Rex, omnia gubernat, iudicat, & discernit, velut Dominus omnium constitutus. Nam sibi data est omnis potestas in cœlo, & in terra. Et scriptum

Christus multipliciter vnctus. Hier. 13. Hebr. 9. 1. Reg. 16. Leuit. 8. 3. Reg. 19.

Cur Christus vnctus est in Sacerdotem, Regem, Prophetam, & Tabernaculi.

ptum vidit Ioannes in fœmore eius, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Et qui ab isto Rege non regitur, Regi abyssi male pessundatus subiacebit. Rursus, Vt Propheta, nobis quæ ventura sunt, reuelauit. Vt Tabernaculum, clausit naturam diuinam. Quamobrem dignum fuit, vt in Regem, Sacerdotem, Prophetam, & Tabernaculum, vngeretur a Spiritu sancto. Non corporali oleo, sed spirituali, gratiæ, & gloriæ.

Deinde Christus vaticinio, Isaiæ clare ostendit se à Patre missum fuisse in Mundum ad destruendum peccatum, quod multa mala operatur in nobis, Vulnerat enim animam, dicente Sapiente: Qui in me peccauerit, lædet animam suam. Ideo Psalmista: Sana animam meam, quia peccaui tibi. Animam proinde in captiuitatem reddit. Peccatores quippe captiui dicuntur, quia capti sunt à diabolo vinculis peccatorum, vt Sapiens in Prouerbijs. Iniquitates suæ capiunt impium, & vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Onerat insuper, dicente Ezechiele. Peccata nostra super nos sunt, & in ipsis tabescimus. Psalmista quoque. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt super caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Rursus: Peccatum excæcat animam, iuxta illud Sophoniæ. Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Separat animam à Deo, ideo Isaias. Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos, & Deum nostrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis. Postremo, peccatum spoliat animam omni gratia, & gloria. Vnde Ezechiel: Omnes iustitiæ eius non recordabuntur, & in peccato suo quo peccauit, morietur. Ideo Christus, vt his omnibus malis remedia apponeret, missus est à Patre, teste Isaia ad sex præcipuæ operanda.

Prouerb. 8. *Malignitates peccati.* *Prouerb. 5.* *Ezech. 23.* *Soph. 1* *Esa. 59.* *Ezech. 18.*

Primo, euangelizare pauperibus, id est Regnum cœleste prædicare hominibus, cum dixit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Per pauperes enim (vt inquit Origenes) intelliguntur Gentiles, seu nationes nihil omnino spiritualiter possidentes, non Deum, non Legem, non Prophetas, minusque iusti-

Origenes.

iustitiam, reliquasque virtutes. His euangelizauit Christus per Apostolos, aliquibus etiam per seipsum, vt Euangelistæ testantur. Vnde, & Paulus de Christo loquens. Veniens Euangelizauit his qui longe, & his qui propè. Propterea virgo Maria. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. *Ephes.6.*

Secundo, missus est Christus sanare contritos corde. Per corde contritos, Cirillus intelligit debiles fragilem mentem habentes, & insultibus passionum resistere non valentes. Basilius vero per contritos corde, eos intelligit qui peccando à Sathana pressi sunt, spiritualiterque destructi, His ergo venit Saluator impendere salutare remedium, quo curentur peccata, & felicitas obtineatur æterna secundum quod ait. Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Sacramentum nanque baptismatis tanquam primam post naufragium tabulam? sacramentum vero pœnitentiæ velut secundam, instituit. Rursus: Contriti corde intelligi possunt veraciter pœnitentès, iuxta illud. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Quos Christus venit sanare per gratiam, & per septem dona Spiritus sancti. *Cõtriti corde qui sunt. Basil. Luc. 19.*

Tertio, missus est prædicare captiuis, id est vinculis vitiorum implicatis remissione, & indulgentiam dummodo resipiscant, & veræ eos pœniteat. Id autem fecit Christus, dicendo. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cœlorum. Fungitur enim peccatum tyrannide pessima ad mala inducens, & acquiescentes confundens. Seruitus autem Dei bona est captiuatio? De qua Apostolus. In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. Theophilus autem per captiuos intelligit in Lymbo detentos, qui Christo resurgente liberati sunt precio sanguinis eius, quemadmodum Zacharias in spiritu Christum alloquebatur dicens. Tu quoque in sanguine testamenti tui eduxisti victos tuos de lacu, in quo non erat aqua. *2. Cor. 10. Theophil. Zach. 9.*

Quarto, missus est Saluator ad prædicandum vi-

ſum cæcis, id eſt ſpiritualem interioris viſus illuminationem Gentilibus, ſeu quibuſcunque errore, ignorantia, aut uitijs excæcatis. Vnde Chriſtus in Euangelio proteſtatur. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Cui etiam patet per Iſaiam locu-
Iſa.42 tus eſt, dicens. Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, vt educeres de concluſione vinctum, de domo carceris, &c.

Quinto, dimittere confractos, id eſt aduerſitatibus fatigatos, ſeu legalium obſeruantiarum oneribus preſſos, deducere in remiſſionem, id eſt ad ſpiritualem conſolationem, & reuelationem. Chriſtus nanque nos ab obſeruantia cærimoniarum, & præceptorum legis per
Act. 15. gratiam Euangelicæ legis alleuiauit, iuxta illud. Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices Diſcipulorũ, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus Sed per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti credi-
Matth. 11. mus ſaluari. Hinc in Matthæo ait Saluator: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, &c.

Sexto, miſſus eſt prædicare annum Domini acceptũ, id eſt tempus gratiæ, ſeu Euangelicę legis, in quo Deus benigniſſime ſe habuit ad genus humanum, de quo ait
1.Cor.6 Apoſtolus: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc
Iſa. 49 dies ſalutis. Et Iſaias: Tempore accepto exaudiui te. De hoc gratiſſimo tempore etiam ſcribit Apoſtolus:
Gal. 4. Ecce iam venit plenitudo temporis in quo miſit Deus
Act. 3. filium ſuum. Et in Actis Petrus. Omnes Prophetæ a Samuele annunciauerunt dies illos. Poſſumus etiam per annum acceptum, intelligere annum quo Chriſtus prædicauit, præcipuæ in Iudæa, vel annum Dominicæ Paſſionis, in quo generi humano placatus eſt Deus. Et dicitur annus acceptus propter gratioſa, piaque opera, quæ in ipſo operata ſunt, ſicut dies mali dicuntur propter mala opera, quæ fiunt in eis. Hic annus quattuor habet tempora, ſcilicet, quattuor Euangeliſtas. Et duodecim menſes, qui ſunt duodecim Apoſtoli. Hic annus partitur in noctem aduerſitatis, & proſperitatis diem. Ideo ſubdit. Et diem retributionis, id eſt, extremi

tremi Iudicij, in quo vnusquisque quod meruit creditur accepturus. Quemadmodum in Apocalypsi iudex asseruit. Ecce ego venio cito,& merces mea mecum est reddere vnicuique iuxta opera sua. Vnde Apostolus: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,vt referat vnusquisque prout gessit in corpore suo, siue bonum,siue malum. Et Psalmista: Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam. Istæ erit vltimus prædicti anni dies,de quo scribitur in Prouerbijs. Ridebit in die nouissimo,scilicet, quilibet iustus. Sed reprobis erit dies illa dies iræ calamitatis, & miseriæ. Ideo Apostolus: Secundùm duritiam autem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ,& reuelationis iusti iudicij Dei,qui reddet vnicuique secundùm opera sua.

Apoc. 22. *2.Cor.5* *Prou.vlt.* *Rom. 2.*

Sed forte quispiam dicet, quomodo filius Dei dicitur mitti à Spiritu sancto,cum dicat Augustinus, ab eo mittitur filius à quo generatur. Sed generatur à solo patre,ergo a patre tantum mittitur. Rursus: Si mittitur à Spiritu sancto,aut inquantum homo, aut inquantum Deus. Non primum,quia inquantum homo non potest mitti,vt sit homo. Nec inquantum Deus, quia non procedit ab ipso,sed econuerso. Et hac de causa filius Dei fatebatur se velle mittere Spiritum sanctum Apostolis,dicens. Mittam vobis spiritum paracletum, quia ab ipso procedit,iuxta illud Apostoli. Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra. Respondendum est, missionem duo importare, emanationem ab alio, scilicet ad manifestationem, nec requiritur in mittente causalitas respectu vtriusque, sed respectu alterius tantum. Sicut ab aperiente fenestram lumen mittitur in domum. Non quòd aperiens sit causa emanationis luminis à Sole, sed susceptionis eius in domo. Filius igitur mittitur à Spiritu sancto, & à tota Trinitate, vt manifestetur mundo. Sed tantum à Patre per emanationem,& manifestationem simul. Vel clarius dicam, distinguendo duplicem missionem, æternam, & temporalem. Aeternaliter enim mittitur à solo Patre per

August. *Pulchra obiectio.* *Gal.4.* *Quomodo Filius mittitur à Spiritusancto.*

ineffabilem generationem, temporaliter autem mittitur à Spiritu sancto, & à tota Trinitate personarum. Sed in idem reddit. Et si vlterius dicat, cum filius Dei sit vbique quomodo mitti potest? Respondendum est per duplicem missionem à superiori distinctam, localem, scilicet, & causalem. Missio localis fit, mutando nouum locum. At missio causalis fit, causando nouum effectum. Missus ergo fuit filius Dei, inquantum Deus, non per mutationem localem, seu ad nouum locum acquirendum, sed ad nouum effectum, siue essendi modum, vt, scilicet, Deus esset homo.

Duplex missio.

Et cum plicuisset librum reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.

Postquam Christus reuolutum librum legit, quia palàm locutus est, & omnem veritatem docuit, deinde plicuit librum in quo legerat, vt clare insinuaret, quòd non omnia omnibus sunt prædicanda. Id etiam fecit ad ostendendum, quòd libri Scripturæ sacræ summa cum reuerentia sunt tractandi. Et benedicit, reuoluit, & plicuit, nec dicit, aperuit, & clausit: quia libri Iudæorum in rotulis sunt. Deditque ministro librum plicatum, quia alijs tradidit Euangelizandi officium. Et sedit, tanquam Magister, & Doctor, vt quod legerat exponeret. Et oculi omnium in Synagoga erant intendentes in eum, iuxta illud. Conticuere omnes intentique ora tenebant. Et non est mirum si oculi omnium libenter eum intuebantur, quia delectabilis fuit ad intuendum, tanquam speciosus forma præ filijs hominum. In cuius vultu, & aspectu fulgor quidam interioris perfectionis ac gratiæ resplendebat. Sed, & suauitate loquentiæ suæ, corda eorum attraxerat. Mirabantur quoque esse noua, & quomodo legere sciuit, quia ab hominibus non didicerat. Talia autem noua, magna, mira, & inopinata, homines diligenter, & mirabundi inspiciunt. Cœpit autem dicere ad illos: quia hodie impleta

Libri Iudæorum in rotulis.

impleta eſt ſcriptura hæc in auribus veſtris, id eſt, per hoc quod audiſtis me Chriſtum vobis Euangelizantem, veſtraque corda illuminantem, & gratiam benignitatis diuinæ annunciantem. Impletum eſt aliqualiter quod in præfata Prophetia prædictum fuit. Quo verbo docuit, Chriſtus dicta atque promiſſa Prophetarum in Chriſti aduentu debere ſpiritualiter intelligi, de ſpirituali videlicet liberatione à poteſtate diaboli, à iugo peccati. Non de corporali liberatione, à captiuitate exteriori, & temporali, vt cœci Iudæi fatuæ opinantur. Habent enim denſiſſima errorum caligine intellectum obcœcatum. Et omnes teſtimonium illi dabant, id eſt, plures de omnibus ibi præſentibus proteſtabantur vera eſſe quæ protulit Ieſus: Eſaiæque vaticinium eſſe in ipſo completum ipſumque eſſe Chriſtum in lege promiſſum, quamuis in illa notitia nondum firmati eſſent. Et teſtimonium illi dabant, hoc eſt bonum de ipſo teſtimonium proferrebāt, quo, ſcilicet, veræ ſapiens, gratioſus, virtuoſus magnusque eſſet, & quòd Ioānes Baptiſta verę dixiſſet, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et mirabātur in verbis gratiæ, id eſt, gratioſis, facundis, efficaciſſimis, ſapientiſſimisque ſermonibus, quæ procedebant de ore eius ſicut iam prædixerat Dauid. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Deinde poſt atteſtationem ſimplicium de Chriſto, ſubditur ſcribarum, & phariſæorum detractio, vel aliorum inuidorum de nouo ſuperuenientium, qui mutauerunt animos præ exiſtentium in Synagoga, cum dicitur.

Quomodo promiſſa Prophetarum ſunt ſpiritualiter interpretanda de Chriſto.

Et dicebant. Nonne hic eſt filius Ioſeph? *Nonne mater eius dicitur Maria? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne fratres eius* Iacobus, *&* Ioſeph, *Simon &* Iudas, *& ſorores eius, nonne omnes apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo.*

Scribæ, & Phariſæi, vel alij ei inuidentes, dicebant inquam deſpectiue, & eum deridentes ipſius ſanctitati, & doctrinæ detrahebant. Vnde huic ſapientia hæc? Nōne hic eſt filius fabri, id eſt, Ioſeph? Nonne mater eius

dicitur Maria? Et fratres eius, id est consanguinei, & sorores eius, id est cognatæ, nonne omnes apud nos sunt? Quemadmodum in Euangelio Matthæi, & Marci plenius habetur. Secundum enim veteres consuetudines, & more scripturarum, consanguinei, & propinqui domini, fratres, & sorores eius solent appellari. Dicebant enim. Vnde ergo huic omnia ista? Quasi dicerent. Si hæc non habet ex frequenti studio, exercitio, vel ex genere: igitur habet ex dæmone. Et ideo scandalizabantur, & indignabantur, considerantes generis paupertatem, & humilitatem, ac si sapiens, & virtuosus non posset de pauperibus, & humilibus procreari, cum potius oporteret ob id maxime obstupescere, & ipsum honorare. Quia maius miraculum est de talibus existens, talia loqui. Humilia enim Dominus respicit, & alta à longe cognoscit. Irrationabiliter ergo mouebantur despicientes eum propter generis paupertatem, & humilitatem, attribuentes virtuti dęmonis quod debebat attribui virtuti diuinæ. Dauid nanque radix Regum, & eximius Prophetarum, nonne fuit Pastor ouium? Et Iesse agricolæ filius? Moyses quoque Legislator, nonne pauperem habuit patrem? Et ita de pluribus alijs. In illorum ergo errore veritas latebat. Nam vtique fabri filius erat, sed non illius cuius ipsi putabant, sed fabricatoris omnium qui fabricatus est auroram, & Solem, id est ecclesiam primitiuam, & sequentem. Magna cæcitas eorum erat, quia eum in verbis, & factis esse Christum agnoscere poterant, sed propter generis notitiam, ipsum despiciebant, & ex paruitate parentum & infirmitate carnis, potentiam maiestatis ab eo excludere putabant. Et auditis aliquando famosis miraculis ab eo frequenter operatis in Capharnaum, ipsi de Nazareth indignabantur contra eum. Ipse vero intuens eorum corda obiectionem eorum tacitam, obijcit sibi, dicens.

Matth, 13 Mar. 6

Pessimæ scribarum, & Pharisæorum detractio.

Christus cuius fabri erat filius.

Vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice, cura te ipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.

Volens

Volens Christus illorum emendare errorem, ait illis. Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, quam & ipsi dicere intendebant, id est, vulgare prouerbium, seu metaphoricum, & parabolicum verbum, vel hoc adagium mihi obijciens. Medicæ, cura teipsum. Nam medico patienti ægritudinem, quam patiuntur alij, & non curantis seipsum, nō creditur quòd possit ceteros curare, sed ad conuicium scientiæ eius dicitur illi medicæ, cura te ipsum. Iuxta hanc similitudinem dicebant Nazareni ad Iesum, O Medicæ qui extraneos curas, puta infirmos ciuitatis Capharnaum, cura te ipsum, id est tuos conciues ad te specialiter pertinentes. Quasi dicant: Cum ita non agas manifeste constat miracula tua non esse vera. Sed si vera sunt quanta audiuimus facta miracula à te in Capharnaū, fac & hic in patria tua, id est, in Nazareth, vbi conceptus, & nutritus es. Saluator autem eorum obiectioni apponit responsionem, dicens.

Medica, cura teipsum, metaphorice dicitur.

Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.

Sed quomodo verum est, quòd nemo Propheta acceptus sit in patria sua. Nonne Ezechias Rex, & populus eius Esaiam prophetam in magno habuerunt honore? Vt liquet in libris Regum. Obediuitque ei, iuxta illud Ecclesiastici: Fortiter iuit Ezechias in via Dauid patris sui, quam mandauit illi Isaias propheta magnus. Deinde Dauid, Nonne sanctos Prophetas Nathan, & Gad, ceterosque sui Regni, ac temporis veneratus est vates? Sed & Iosaphat Rex, nonne suos alloquebatur dicens, Credite Prophetis Domini, & omnia prospera euenient? Postremo, pauloante iam dictum est, quòd omnes in Nazareth testimonium Christo dabant? Infra quoque habetur quomodo omnis populus gaudebat, in his quæ gloriosæ fiebant ab eo.

Contra dictum Christi obijcitur

Eccl. 48

2. Reg. 12. 24.

Sed respondendum est, Christum præceptorem veritatis, ac pietatis, communitatisque amatorem, id adagium, & prouerbium induxisse, eo modo, ac sensu, quo Salomon in libro Prouerbiorum multa affirmat. Non quia vniuersaliter, vbiq; & semper quantum ad singu-

Ad obiectionem, responsio.

los ita se habeat, sed quia frequenter sic accidit. Itaque Christus verba hæc protulit, quia communiter Prophetæ sancti apud suos conciues, aut contemnuntur, aut minus accepti sunt. Nam & ciues, ciuibus cōmuniter inuident. Homines etiam crebro egræ ferūt dum compares sui, ipsis præferuntur, & proni sunt considerare eum qui excellit secundum id quod fuit, dum eis similis videbatur. Et hoc verum est de hominibus nondum purgatis, in quibus superbia, inuidia, passionesque ceteræ regnant. At qui passionibus reformatis, Charitate Dei ac proximi fragrant, de suorum profectu, & eminentia spirituali lætantur. Sed quoniam pauci sunt tales ideo raro id contingit. Propter quod multi inter aliena facilius promouentur, magisque honorantur ac reputantur, quam in propria. Vt liquet de Ioseпho, Daniele, & Mardochæo. Ezechieli quoque Dominus ait. Si mitteris ad populum alienæ linguæ, ipsi audirent te. Filij autem Israël, nolunt te audire. Contemnuntur enim quodammodo, semper etiam optima quæque, quando non raro contingunt alicui, sed ad velle suppetunt, seu frequenter. Familiaris nanque quoniam semper præsto est, debita reuerentia priuatur à nobis. Et hæc communis, quasi cunctis accidit passio.

Ezech. 2.

Quid igitur, est ne patria fugienda? Non, sed ad alios humiles, & dociles accedendum, vt si eis quibus incumbit non possit prodesse quispiam, ad illos docendum pergat, qui se doctrinæ subjciunt, qui credere volunt, curari quærunt. Nam vbi non est auditus, non effundas sermonem. Et in Actibus Apostolorum legitur, quòd Paulus, & Barnabas dixerunt Iudæis. Vobis oportebat primum loqui Regnum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Et sequitur: Audientes autem gentiles, gauisi sunt. Hæc causa potest subesse his qui verbum Dei disseminare habēt, quę patria nota relinquitur, quæ requiratur incognita. Christus non est acceptus in patria: est ne causa quare virtutes

Eccles. 32.
Act. 13.

Cur, & quādo patria est relinquēda.

virtutes in illa non fecit? Minime, sed sua notitia quasi eis familiaris ex genere, illis fuit iniusta incredulitatis occasio. Proinde, non fecit ibi multas virtutes propter incredulitatem ipsorum. Ecce qualiter miracula negantur incredulis. Christus igitur se iustæ excusat, cur in Nazareth talia signa non egerit, vt pote quia hoc accidit non ex sua versione à suis conciuibus, sed quoniam fide carebant. Nam in Matthæo, & Marco clare habetur, quòd non fecit ibi multa miracula, propter eorum incredulitatem. Deinde Christus per duo ostendit exẽpla quomodo, scilicet, conciues, & compatriote priuantur beneficijs Dei propter malitiam suam, quæ nihilominus communicantur extraneis dicens.

In veritate dico vobis: multe viduę erant in diebus Heliæ Israël, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Helyas nisi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam.

Iureiurando historiæ veritatem Christus affirmare videtur, cum dixit. In veritate dico vobis, multe viduę fuerunt in Israël, id est, in regno, & populo Israëlitico diebus Heyę, id est, tempore quo Helyas in populo illo conuersabatur, & operabatur, quando clausum, hoc est à solito successu, siue influxu, prohibitum, & suspensum est cęlum, tam aëreum, quàm stellatum, seu planetarũ orbis. Tunc enim ad preces Helyę intra tres annos, & sex menses pluuia de cœlo aëreo non descendit in terram Israël, nec circa loca vicina. Cœlum quoque stellatum, modo solito ad pluuiarum generationem, influentias non impendit, nec vapores eleuati sunt à terra vsque ad mediam regionem aëris à sole consueto cursu Deo omnipotente iubente. Cum facta esset fames in terra. Ex defectu siquidem pluuiæ orta est sterilitas terræ, ad quam secuta est esuries. Siquidem vt scribitur in libris regum, dixit Helyas ad Achab. Viuit Dominus Deus Israël in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verbum. Quanta autem fuerit fames illa, ibidem describitur.

Historia Helyæ contra Nazarenos.

3. Reg. 17.

bitur. Nihilominus ad nullam illarum viduarum miſſus eſt Helyas à Deo, ob earum indignitatem, & culpam, niſi in Sareptam Sydoniæ, quæ erat vrbs parua inter Tyrum,& Sydonem. Sydon vero vrbs fuit à qua regio illa vocata eſt Sydonia. Ad mulierem viduam pauperem. Ibique duo miracula fecit, quia farina, & oleum non defecit,& filium ipſius mortuum ſuſcitauit, quem Ionam prophetam fuiſſe aſſerunt Iudæi. Non igitur in Iſraël, & in patria propria vbi multæ viduæ erant, ſed in Sydonia Helyas operatus eſt miracula. Nam viduæ Iſraël indigne erant omni fide carentes. Helyas quoque perſecutionem patiebatur in terra Iſraël, ſed alienæ prouinciæ ipſius aduentum, honorifice præſtolabantur. Ideo miſſus eſt in Sareptam Sydoniæ,iuxta illud. Factum eſt verbum Domini ad Helyam. Vade in Sareptam Sydoniorum, & manebis ibi. Præcepi enim mulieri viduæ vt paſcat te. Super quibus verbis Chryſoſtomus ait. Deus pia diſpenſatione fecit Helyam per tam longum pergere iter vſque Sareptam,vt videns mundi peſtem peteret à Domino pluuias. Ideo Iacobus in Epiſtola Canonica: Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. Helyas homo ſimilis erat nobis paſſibilis, & oratione orauit vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cœlum pluuiam dedit. Quare de ipſo Helya,ita Chryſoſtomus ſcribit. Ipſe quidem terreſtris Angelus, & homo celeſtis, qui nec tectum,nec menſam,nec amictum habebat. Veruntamen clauem cœlorum geſſit in lingua. Deinde aliud ſubdit exemplum.

Chryſoſt. *Iacob 5.*

Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Helyſæo propheta,& nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.

Tempore magni prophetæ Helyſæi, qui velut ſpiritualis pater fuit præcipuus directon Iſraëliticæ plebis, cui morienti dixit Rex Iſraël.Pater mi,pater mi,currus Iſraël,& auriga eius. Multi lepro erant in Iſraël,inter quos vt legitur in quarto Regum,quattuor ingreſſi ſunt caſtra Aſſyriorum, tempore noctis,& nemo illorum

4.Reg.7

rum mundatus est à lepra, nisi Naaman Syrus. Non quòd fuerit vnus leprosorum de Israël, sed quoniam ipse solus inter leprosos, fuit ab Helysæo sanatus. Fuitq; Naaman princeps militiæ Regis Syriæ, vir magnus, ac honoratus apud dominum suum, diues & fortis, cuius bonitas ex hoc liquet quod inductis verbis adiungitur. Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ. Proinde, referente paruula puella esse Prophetam in Israël, mox credidit se per preces Prophetę à Deo Israël posse curari, imò & se curandum sperauit. Vnde legitur, quòd cum Helysæus non egrederetur ad eum, indignatus est, dicens. Putabam quòd egrederetur, & tangeret locum lepræ, & inuocaret nomen Dei sui. Et ita videtur vnius veri, summique Dei tunc habuisse notitiam, deuotæ veniens ad Helysæum. Curatus vero (vt nonnulli fatentur) valde Deo gratus fuit, & Helysæo, promittens se vltra soli Deo sacrificaturum. 4.Reg.5 *Fides Naaman Syri.*

Sed hic non immerito oritur quæstio, cur Christus de Helya, & Helysæo, potius quàm de alijs ponit exemplum? Ad hanc difficultatem respondent aliqui, quia hi soli inter Prophetas claruerunt miraculis. Cui responsioni obijci potest: Primo, de Moyse, de cuius excellentia, & magnitudine prophetiæ, atque miraculis, scriptum est in Deuteronomio: Non surrexit Propheta vltra in Israël, sicut Moyses qui nosset Dominum, quē nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis, atque portentis, quæ per illum fecit Dominus. Rursus: In primo Regum legitur quomodo orante Samuele propheta, Deus fecit rem grandem, dando voces, hoc est tonitrua, & pluuias tempore messis. Insuper in tertio Regum habetur, quemadmodum precante Propheta diuinitus misso, Deus arefactam Hieroboam Regis iniqui, sanauit manum. Similiter in quarto Regum describitur quomodo inuocante Dominum Esaia, contra vniuersalem ordinem naturę, Sol miraculosissimæ redijt retro. Ipsæq; Ezechias lætali sanatus est morbo. Vnde in Ecclesiastico de Isaia scribitur, ꝙ addidit Regi vitam. Ideo aliter respondendū est, *Pulchra difficultas.* Deut. 34. 1.Reg.12 3.Reg.13 4.Reg.20

Christum

Vera respõsio ad quæsitum. Christum de Aelya,& Aelysæo mentionem fecisse,quoniam facta illorum præmemorata suo magis congruebant proposito,& quia valde excellentes fuerunt, imò in gestis præfatis, Christum figurarunt. Vidua vero, & Naamam typum gerebant Ecclesiæ,ex gentibus congregare,quam Christus per Spiritum sanctum,suosque Apostolos (relictis ob suam perfidiam Iudæis) visitare dignatus est.

Et repleti sunt omnes in Synagoga ira,hæc audientes. Et surrexerunt, &c.

Omnes qui scire se credunt,difficile, veræ, sanæque doctrinæ subduntur,quia doceri,& erudiri nolunt. Potius irascũtur infesti, opportune velut importune docenti. Et qui se credunt aliquid esse cum nihil sint, furiunt cum arguuntur. Malum hippocrytarum hoc sibi proprium est,vt cum detegitur,irascantur, Turbatur nocturnus fur penitus,cum dies apparet.Et qui male agit inimicus est lucis. Et qui ab impietate detinentur,scandalizantur in sermonibus veritatis. Et exardescunt in odium pie docentis, qui à proprijs directionibus resilire contemnunt.Quemadmodum erant hi Iudęi sacrilegi,quorum insaniam,ingratitudinem multi sectantur. De quibus impletum est illud prouerbiorum. Non amat pestilens eum qui se corripit. Illudque Amos. Odio habuerunt corripientem, & loquentem perfecte,abhominati sunt. Vnde in Ecclesiastico scribitur. Stupa collecta,synagoga peccantium, quæ statim igne iræ acceditur.Hinc communiter id Terentiani dicitur. Obsequium amicos veritas odium parit.Ideo surrexerunt, ira eos bestialiter impellente, quemadmodum subditur.

Natura malorum hominum.

Prouer.17

Amos 5.

Eccl.21.

Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis,super quem ciuitas illorum erat ædificata,vt præcipitarent eum.

Tanquam reum mortis irreuerenter surgentes Nazareni, expulerunt Christum extra ciuitatem suam Nazareth, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis,super quem ciuitas illorum erat ædificata,vt præcipitarent

pitarent eum,& præcipitando occiderent,diabolum im mitantes eorum patrem,dicentem ad Christum. Mitte te deorsum. Quinimò illo peiores quantum ad hoc, quia quod illæ suggessit,isti facere sunt molliti. Et nota,si verum est quòd Nazareth sit ædificata ad latera seu radices montis Thabor,mons iste Thabor est, de quo voluerunt ipsum præcipitare. Nota insuper, quòd si vniuersam scripturam Euangelicam legere,& discurrere volumus, nullibi inueniemus fuisse Iesu iniuriam facti irrogatam vsque ad tempus mortis suæ, nisi à proprijs conciuibus. Imò nec tempore passionis sęuierunt in Iesum nisi mediantibus ministris curiæ: conciues autem proprij furijs acti ad præcipitandum eum de supercilio montis concurrunt factoque ducunt. Et in Hierosolymis bis postea tentarunt lapidare Hierosolymitæ,& Geraseni quidem quamuis passi fuerint damnum duorum milium porcorum, non tamen ausi sunt attentare aliquid contra Iesum,sed rogauerunt eum, vt discederet ab eis. Nazareni vero nullam passi iacturam, præcipitare eum voluerunt. Nota præterea,quattuor modos,quibus mors est domino tentata. Quidam enim tentauerunt eum perimere gladio, sicut Herodes. Quidam præcipitio,sicut hic Nazareni. Quidam lapidatione, sicut in templo,Iudæi. Aliquid cruci fixione, quemadmodum in passione,etiam Iudæi. Spiritualiter quinimò Christus crucifigitur in nostra recidiuatione: lapidatur in nostra obduratione: præcipitatur in desperatione nostra: gladio perimitur in blasphematione.

Omnem iniuriam passus est Christus à conciuibus.

Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Inuisibilem illis se reddidit postquam fuit in supercilio montis,& sic per medium transiēs iuit quo voluit, remanentibus illis delusis. Vt vel sic occasionem resipiscendi haberent, vel quia noluit Iesus tunc ne tali morte,nec ibi mori. Diuina igitur,& increata virtute potuit se illis inuisibilem reddere. Quinimò,&per creatam sibi datam potentiam potuit, quia secundum superiorem animæ suæ portionem, extitit comprehensor.

Quomodo Christus se inuisibilem reddidit.

Iccirco

Iccirco dñ voluit, dotes corporis glorificati etiam ante Passionem sæpe assumpsit, corpusque animæ suæ perfecte obediens, intantum vt omnia naturalia fuerint eis subiecta. Ideo corpus Christi iam mutauit visum præsentium secundùm quòd placuit animæ eius, cuius potestate, atque imperio suspendi poterat immutatio talis. Et ita Christus se reddidit inuisibilem illis, quemadmodum Iudæis volentibus ipsum lapidare, abscondit se, & exiuit de templo.

Ecclef. 48

Cur Christus noluit præcipitari

Noluit autem Christus præcipitari, quoniam tẽpus Passionis suæ diuinitus præfixum, nondum fuit impletum, & quoniam aliud genus mortis elegit, videlicet, crucifixionem, vt impleretur quod scriptum est. Foderunt manus meas, & pedes meos. Et iterum: Dederunt in escam meam fel. Rursus: Quia nondum impleuit opera, propter quæ missus fuit à Patre, videlicet, prædicationem Euangelicæ legis, Sacramentorum institutionem, miraculosos effectus, de quibus omnibus Passioni iam proximus, dixit ad Patrem. Pater, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem. Nunc autem ad te venio.

Ioan. 17

De confeßione.

Potest etiam hic fieri concio de confessione, quomodo duplex est confessio, scilicet, laudis, & fraudis: cordis, & oris: publicæ, & secretæ. Rursus, Quomodo confessio auricularis non est de iure naturæ, nec ab ecclesia instituta, nec ab Apostolis ordinata, sed a solo Christo, qui dixit Apostolis, & successoribus suis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Et ita confessionem fuisse à Christo institutam, quinque validissimis rationibus ostenditur, & qualiter non omnes sunt Sacerdotes, sed tantum qui vncti sunt oleo gratiæ, & sanctificationis, vt Paulus Apostolus in multis Epistolarum locis clare ostendit, & in Actis Apostolorum. Omnia exacte habentur Tomo primo, tractatu de Confessione, & Tomo secundo, cap. 72. car. 91.

FERIA TERTIA DOMINICAE tertiæ Quadragesimæ, super Euangelio Matthæi.

Respiciens Iesus in Discipulos suos, dixit Simoni Petro. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut æthnicus, & publicanus. *Matth. 18*

In correctione fraterna, tria pcipuæ sunt cōsiderāda. *In correctione fraterna tria considerantur.*

Primo, corripiens, vt sit irreprehensibilis, vel saltem non sit in illo delicto, a quo fratrem suum corripere tenetur, quia nemo alium reprehendere licite debet eo peccati genere, in quo & ipse est, ne forte dicatur ei, Medicæ cura te ipsum. Ideo Apostolus: Castigo (inquit) corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. *Paulus.*

Secundo, correptus, vel qui corrigi debet, vt disciplinabilis, & corrigibilis sit, id est, de ipso spes emendationis habeatur. Nam si simpliciter incorrigibilis esset, per fraternam correctionem deterior efficeretur.

Tertio, peccatū, propter quod fraterna correctio est ordinata. Est autem duplex peccatum .s. publicum, & occultum. Manifesta enim peccata, publice sunt arguenda, quia non solum curandum est de bono delinquētis, sed magis est adhibendum remedium alijs, in quorū notitiam peccata deuenerunt, vt non scandalizentur, iuxta illud Apostoli dicentis ad Timothæum: Peccantem coram omnibus argue, id est, si quis coram omnibus peccauerit, publice in conspectu omnium est arguendus, vt ceteri timorem habeant, id est, vt non audeant exemplo illius peccantis talia committere. Et hoc est, prouidere scandalo multitudinis. Nam quia eo peccatum publice fit, & non punitur, scandalizantur multi, *1. Tim. 5*

vel

vel indignantur, alij autem ad peccandum incitantur. Hac de causa Apostolus publicæ redarguit Petrum, qui coram Iudæis legalia seruabat, in absentia vero, cum gentibus conuersis, communes cibos edebat. Sic enim Galathis scribit. Cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij dixi Cæphæ coràm omnibus. Si tu cum Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaicæ, quomodo gentes cogis Iudaizare? Et si quispiam dicat, cur Paulus de obseruatione legalium corripuit Petrum? Nonne & ipse circuncidit Timothæum Lystris patre Gentili, matre vero Hebræa, & eo tempore non erant seruanda legalia? Respondendum est Petrum seruasse legalia quando mortifera non erant. Tria nempe tempora statuit Augustinus. Tempus, scilicet, in quo legalia viua extabant vsque, scilicet, ad passionem Christi. Tempus in quo licebant, nec tamen viua erant, quia vitam non conferrebant, videlicet vsque ad promulgationem Euangelij. A promulgatione vero Euangelij vsque ad seculi consumationem inania, illicita, & mortifera dijudicantur. Paulus autem circuncidit Timothæum secundo tempore, quando promulgatio Euangelij nondum fuerat expleta. Sed Paulus non redarguit eum de obseruatione legalium, sed de simulatione, vt ibidem patet, quia nimiam diligentiam adhibebat ne Iudæos offenderet, ex quo Gentilium scandalum sequebatur, in tantum quod aliqui inducebantur ad credendum quod talis abstinentia ciborum in lege prohibitorum esset ad salutem necessaria. Quamobrem Paulus qui erat Gentilium Apostolus ipsum publicæ reprehendit. Petrus autem audito periculo Gentilium sibi acquieuit. Et licet Hieronymus nullatenus eum peccasse asserat, nam fuit piâ simulatio, vt Synagoga facilius ad Christum pertraheretur. Augustinus tamen Petrum deliquisse ingenue fatetur, & hac vtitur ratione. Aut Cæphas recte ambulauit ad veritatem Euangelij, vel non recte. Si recte, mentitur ergo Apostolus, dicens. Cum vidissem

Paulus

Galat.8.

Act.16.

August.

Quomodo Petrus reprehensibilis fuit.

Hieron.

August.

vidissem quod non recte ambularet ad veritatem Euangelij. Si non recte ambulauit, igitur peccauit. Leuiter tamē, seu venialiter eum peccasse ponit, quia ad bonum finem id faciebat. Nam scriptum est, Omnis qui manet in Christo non peccat, scilicet mortaliter. Ipse autem acceperat Spiritum sanctum, igitur, &c. *1. Ioan. 3.*

Peccatum vero occultum, occulte redargui debet, id eo dixit Christus. Si peccauerit in te frater tuus, id est in te solo sciente vt dicit Augustinus. Vel in te, id est cō tra te directe, vt Hieronymus asserit, vade, mentis affectu, vel si opus est etiam corporis gressu, & corripe eum inter te, & ipsum solum, videlicet in secreto, ne confondatur, exasperetur aut diffametur, & diffamatus de cetero non retrahatur à vitijs timore diffamiæ, sed fiat ei frons meretricis, & peccet sine rubore. Peccare enim in te tria supponit, scilicet, peccatum esse commissum, & peccatum esse cognitum, & nihilominus esse secretum. Ideo secrete corripe ad ipsius emendationem. Si te audierit aure mentis, id est tuæ increpationi humiliter acquieuerit, lucratus es fratrem tuum, id est perditum recuperasti, & de iugo peccati ac dominatione Diaboli eripuisti. Si autem non audierit, hoc est verba tua contempserit, vel se excusauerit vel id quod fecit bonum esse affirmauerit, non malum: adhibe tecum vnum testem vel duos, id est in præsentia vnius vel duorum testium corripe eum, ne cito diffametur coram omnibus, sed paulatim peccatum eius deducatur in publicum. Vt in ore duorum testium vel trium stet, probetur, atque credatur omne verbum quod delinquenti obijcitur. Quod si eos non audierit, qui simul tecum corripiunt eum, dic Ecclesiæ. Sed cui Ecclesiæ, vniuersali, vel particulari? Animaduertendum est ideo, quòd si correctio fraterna consideretur quo ad quamlibet particularem personam non habentem vniuersalem administrationem, Ecclesia hic sumitur pro qualibet Ecclesia particulari cui denunciandum est peccatum, cum dicitur, dic ecclesiæ, id est alicui fidelium congregationi. Nam fideles interdum

August. *Hieron.* *Ordo correctionis fraterna.*

in Parochiali, vel Episcopali Ecclesia congregantur, vt correctus coràm illis erubescat, confundatur, & vereatur. Si autem correctio fraterna se extendat ad omnes & singulas personas, ad omnem statum, & personarum dignitatem, etiam ad summum Pontificem, tunc Ecclesia hic accipienda est pro generali concilio in Spiritu sancto congregato, vniuersalem Ecclesiam repræsentante, quia Papa maior est quàlibet Ecclesia particulari. Ideo nulla particularis Ecclesia potest iudicare de illo, etiam quantum ad hæresim, sed necesse est habere recursum ad Ecclesiam vniuersalem, vel generale Concilium cuius summus Pontifex est filius, licet sit præcipuus filiorum. Si quidem generale Concilium in Spiritu sancto congregatum, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, maioris est auctoritatis, vt ex Euangelio manifeste liquet. Nam postquam Christus dixit Petro. Si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum, vel adhibe duos testes, &c. postea subdit. Et si illos non audierit, dic Ecclesiæ. Et sic remittit Petrum ad denunciandum crimen peccatoris Ecclesiæ. Ex quo patet, quod superior est illa Ecclesia ad quam Petrus remittitur quam ipse Petrus, quoniam in iudicibus semper fit recursus ab inferiori ad superiorem. Et si Petrus esset maior, quàm Ecclesia, vel saltem æqualis ei, non remitteretur ad eam, sed sufficeret sibi constare de delicto, & punire illud. Nam iudex superior nunquam ligat coràm inferiore, nec fit appellatio à superiore ad inferiorem, sed econtrario. Ergo Ecclesia illa, scilicet generale Concilium erat supra Petrum. Nec obstat dicere Petrum tunc temporis non fuisse summum Pontificem, quia saltem futurus erat post Passionem Christi, per auctoritatem sibi à Christo collatam. Præceptum quoque de correctione fraterna fuit generale se extendens ad omne tempus comprehendens omnem sexum, ætatem, & statum, hominum ratione vtentium. Et nota, quòd cum dicimus Ecclesiam vniuersalem, seu generale Concilium non posse errare, & esse supremum Tribunal, maio

maiorisque auctoritatis, quàm sit summus Pontifex, per eiusmodi vniuersalem Ecclesiam, seu generale Concilium intelligimus totum corpus cum suo capite, quod & summum Pontificem, & totum collegium Patrum, simul complectitur. Totum quoque maius, & dignius est qualibet sua parte. Quis enim dubitat quin Papa vna cum Patribus in generali Concilio congregatis maiorem habeat auctoritatem, quàm ipsæ solus? Cum quibus omnibus, quæ ad fidem pertinent, discernit, & quidquid cum illis determinat, non potest deinde per se solum illud aliter determinare. Si autem per generale Concilium intelligimus tantum collegium Patrum, reuera summus Pontifex, dicitur esse supra Concilium, quia ad ipsum solum spectat illud congregare, & terminare. Præest quoque generali Concilio tanquam caput illius, sicut rector, moderator, & caput totius Ecclesiæ militantis, velut successor Petri Principis Apostolorum, & Christi Vicarius in terris, & quæ in Concilijs discernuntur ipso non approbante non obligant, sicut Concilium sine consensu Pontificis, cõgregatum robur non habet, prout testatur decretum Apostolicum (testante beato Marcello martyre in Epistola ad Antiocenos) necnon & Concilio Nicæno, iuxta sententiam Athanasij. Constat itaque vniuersalem Ecclesiam esse supremum Tribunal. Nam cum dicitur in Euangelio, si non audierit Ecclesiam, sit tibi quasi æthnicus, & publicanus, & non ponitur aliquid aliud remedium ad denotandam maximam Ecclesiæ potestatem. Ecclesia igitur vniuersalis, id est, Concilium generale est vltimum, & supremum Tribunal, quod de omnibus habet discernere, & iudicare. Istud quoque Tribunal nullatenus errare potest in his, quæ de necessitate sunt fidei. Quælibet enim Ecclesia particularis errare potest, sicut interdum legimus aliquas errasse, vt aliquando tota Ecclesia Græcorum errauit, & nunc multæ Lutheranorum Ecclesiæ. Itidem & summus Pontifex errare potest, vt homo, sicut multi errauerunt, & Hæretici fuerunt. Vniuersalis autem Eccle-

Quomodo vniuersalis ecclesia, & generale concilium non potest errare.

sia, & generale concilium ipsam repræsentans in fide, & moribus, minime errare potest vt alibi plenius dicetur. Et ad ipsum generale concilium pertinet iudicare, discernere, & vltimate determinare de omnibus dubijs tam in fide, quam in moribus. Et post eius determinationem non licet alicui fidelium resistere, quia manifeste iudicio diuino derogaret. Nec non tantum credendum est huic tribunali in omnibus qui diffinierit, sicut in veteri testamento Prophetis respondentibus ex parte Dei, & alijs modis consulendi dominum. De quibus exacte Tomo 6. lib. de magnifica auctoritate ecclesiæ dicemus. Quam etiam Christus hic subdit, dicens:

Amen dico vobis, quæcunque adligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo. Et quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cælo.

Ecclesia multipliciter ligat, & soluit.

Multipliciter ligat, & soluit ecclesia. Primo, ligat instituendo leges, soluit autem leges humanas quæ saluti repugnant infringendo. Rursus ligat, officia ecclesiastica, vel dignitates præficiendo, soluit vero ab officio, & administratione indignos absoluendo, & deponendo. Ligat insuper præcipiendo, iudicando, sententiando, excommunicando, soluit autem cum dispensat in præceptis, & irregularitatibus, cum temeraria iuramenta, & pacta machinationum votaque praua interpretatur non tenenda. Soluit etiam iniustas sententias, iustam vero excommunicationis, soluit sententiam quando excommunicatus ecclesiæ incipit parere mandatis. Et quia peccatum vinculum est, & nodus iuxta illud Isaiæ, Vt qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Et Psalmista: Fines peccatorum circumplexi sunt me. Ideo hoc vinculum soluit ecclesia in confessione peccatoris dicente Sacerdote. Dominus noster te absoluat, & ego te absoluo, &c. In cuius absolutione hæc duo requiruntur, scilicet, scientia, & potestas. Nemo enim soluit nodum nisi illud agnoscat, & virtutem soluendi non habens minime soluit. Rursus, Opus satisfactionis quod imponitur pœnitenti, vinculum

Isa. 5.

culum est quo ligatur, ne ad pristina relabatur peccata. Hoc vinculum metit ecclesia per sacerdotes sicut medicus vulneratum ligat sanandum infundens vinum reprehensionis, & oleum mitigationis. Et ita ecclesia soluit pœnitentem à vinculis peccatorum, & ligat eum vinculo pœnitentiæ. Dicit ergo Christus Apostolis, & successoribus suis, quæcunque ligaueritis, & solueritis super terram, erunt ligata vel soluta in cœlis. Nam cœlum diuinitas est, cœli autem sunt cœlestes spiritus, & beatorum mentes. Diuinitas ergo, & tota curia cœlestis confirmat, & approbat, quod ecclesia super terram soluit aut ligat. Ex quo patet virtus ecclesiæ quantum valeat, & possit.

Quam magna sit virtus ecclesiæ.

Non est ignorandum præterea Saluatorem nostrum suo sanguine, passione, & morte purgasse omnia peccata præterita ab Adam vsque ad ipsius resurrectionem quo ad culpam, & pœnam æternam, & pro futuris peccatis reliquisse in terra omnia remedia. Nam pro peccato originali institutum fuit baptismatis sacramentum, in quo semel omnia delicta, & omnis pœna purgantur. Et pro peccato actuali, sacramentum pœnitentiæ. In vtroque enim extat virtus passionis Christi. Et si dicas nonne sufficeret sola contrictio, dicendum est, quòd sicut illa non sufficit Iudæo venienti ad fidem, sed requiritur baptismatis sacramentum, ita non sufficit pœnitenti contrictio sola sed confiteri peccata opus est dum adest facultas confitendi vt à sacerdote absoluatur. Et si iterum quæras quomodo sacerdos pœnitentem absoluat, respondetur, quod quēadmodum applicans ignem lignis dicitur comburrere ligna, licet solus ignis habeat virtutem comburrendi, sic sacerdos applicans sacramentum pœnitentiæ, dicitur absoluere pœnitentem, & non applicans ligare dicitur. Sola tamen virtute Sacramenti remittitur peccatum. Rursus, Quemadmodum Deus voluit per Christum summum sacerdotem remittere omnia præterita peccata ab Adam vsque ad tempus mortis suæ quo ad culpam, & pœnam æternam, ita placuit

ei per alios Sacerdotes Christi ministros vt cetera peccata remitterentur. Necesse est igitur vt quilibet Christi fidelis confiteatur omnia peccata sua Sacerdotibus, quibus data est potestas ligandi, atque soluendi. Præterea quilibet peccator per peccatum quatuor damna incurrit. Nam clauditur ei Cœlum, & Infernum aperitur. Amittit gratiam, nec amplius beneficijs Ecclesiæ gaudet. Cum autem se pœnitet, opus est, & rationi consentaneum, vt per Sacerdotem cui confitetur primo ei aperiatur cœlum, ideo dicitur, Tibi dabo claues Regni cœlorum. Secundo, vt claudatur Infernum, quare subditur. Et portæ Inferi non præualebunt aduersus potestatem Ecclesiæ. Tertio, vt remittatur culpa ad gratiam capescendam, ideo dicitur. Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, &c. Quarto vt restituatur gremio, & sacramentis ecclesiæ ibi: Quemcunque solueritis super terram, &c. De septem autem potestatibus datis Apostolis, & eorum successoribus, & de duabus clauibus Regni cœlorum, & quid est dicere, & tibi dabo claues, &c. Rursus, Quomodo potestas clauium est in Deo, in Christo, & Sacerdotibus, sed aliter, & aliter, & de alijs dicturi sumus super Euangelio: Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, in die Apostolorum Petri, & Pauli. Deinde ponitur origo Ecclesiasticæ potestatis quę prouenit à Patre cœlesti, cum subdit Dominus.

Peccator quatuor dāna incurrit peccando.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo qui est in cœlis. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Paucorum non potuit Christus in Ecclesia sua assignare consensum, sed ipsæ numerus habet charitatem in Sacramento, cuius duo sunt præcepta Dei, videlicet, Amor, & Proximi. Et minus quam inter duos Charitas esse non potest, & sine charitate non est consensus Ecclesiæ. Dicit ergo, Si duo ex vobis consenserint super terram, id est, eadem senserint, quod vtique faciunt qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ sunt proxi

proximi, dicente Apostolo: Idipsum inuicem sentientes. Iste consensus facit habitare vnanimes in domo Domini. De omni re quæcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Et signanter dicit de omni re, quia peccatum res non est cum sit nihil, & peccando nihil efficiantur homines. Rursus, temporalia, & diuitiæ, sanitas corporis, & liberatio ab aduersitatibus. Et licet sint entia, non tamen sunt veræ res, quia ratum, & firmum non habent esse. Sola vero bona salutis, gratia in præsenti, & gloria in futuro quia permanent, res dicuntur. Res igitur salutis omnino absolute petenda est, cetera vero bona corporis, & fortunæ conditionaliter sunt postulanda, sicut alibi Saluator ait: Omnia quæcunque orantes petieritis, credite quia accipietis, & fiet vobis. *Rom. 12* *Mar. 11*

Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Ad congregationem siquidem Ecclesiæ sufficiunt duo iusti, aut tres, & vtriusque numeri sacramentum est, in tota fidelium multitudine, quæ primo quidem est duo, tum propter duos populos Iudæum, scilicet, Gentilem, tum etiam propter geminam ecclesiæ charitatem. Rursus, eadem multitudo est tria, tum propter fidem Trinitatis, tum propter tres status Ecclesiæ, continentium, coniugatorum, & prælatorum. Si ergo vbi fuerint duo, vel tres, qui sunt primi numeri congregati in nomine Christi, id est, in fide nominis eius, Christus est in medio illorum, quanto magis si erunt quinquaginta, vel centum congregati. Congregantur enim in nomine Christi omnes qui simul conueniunt ad confitendum Christum, corde, & ore, vt Apostoli, & Martyres. Vel qui conueniunt in Choro ad Deum laudandum, vel in Ecclesia ad audiendum verbum Dei, vel qui congregantur in generali Concilio ad leges, & mores instruendos. Dicit ergo Christus. Vbi sunt duo, vel tres, vel plures congregati in nomine meo, videlicet, in Charitate, & Gratia vel secundùm voluntatem meam, seu ad honorē, & gloriam nominis mei, vt sint corporaliter, spi- *Cur dicit, vbi sunt duo vel tres congregati.*

 rituali

ritualiterque vniti, ibi sum in medio eorum, idest, inter eos atque in cordibus singulorum per Spiritussancti directionem, piam gubernationem, & precum illorum gratiosam exauditionem. Tales ergo Christus custodit protegit, & illustrat. Vnde per Moysen sæpe prædixit. Ego sum qui habito in medio filiorum Israël. Hinc ergo ingenue fatendum est generales synodos atque concilia à Spiritu sancto Regi, & in medio totius conuentus Deum laudantis Christum clementer assistere sicut ipse ait. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi. Et alio in loco. Mittam vobis spiritum paraclerum vt permaneat vobiscum in æternum. Et ita generale conciliũ minime errare potest, propter continuam assistentiam Christi, & Spiritus sancti.

Matth. 18.
Ioan. 14.

Tunc accedens Petrus ad eum, dixit. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dicit illi Iesus. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

Sollicitus erat Petrus tanquam vertex post Christum Apostolici chori, totiusque disciplinatus, pro se, cæterisque collegijs noscere quousque foret peccatoribus, & delinquentibus indulgendum, ne terminum iurisdictionis excederet, aut infra maneret: occasione sumpta ex verbis Domini, si peccauerit in te frater tuus, dixit ad eum. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Sed cur dixit vsque septies, & ita vsus est numero septenario, & non alio? Dicendum est, quod forte nouerat Petrus id, quod iam dixerat Dominus ad Caym. Qui occiderit te, septuplum punietur. Ideo concluderat, si septupla fit punitio, igitur septupla potest fieri remissio, & ex consequenti pœnę relaxatio. Nouerat insuper, quòd quandocunque offerebatur sacrificium, pro aliquo peccato, siue esset totius populi, siue summi Sacerdotis, seu Principis terræ, vel alicuius personæ priuatæ, aspergebatur septies de sanguine contra Dominum, & in emundatione quæ fiebat pro peccatis totius populi in die propitiationis, eodem modo sanguis septies aspergebatur.

Cur Petrus dixit vsque septies pulcherrime.
Gen. 4.
Leu. 4. 16.

tur. Et quemadmodum erat in remissione culparum, quæ fiebat per septenarium, ita in punitione pro culpis non remissis dabatur pœna per septenarium. Sic enim scribitur in lege. Si autem non obedieritis mihi (inquit Dominus) addam correptiones vestras septuplum, propter peccata vestra. Et iterum. Si ambulaueritis ex aduerso mihi, addam plagas vestras in septuplum, & sæpe repetit idem. Quare peccatum videtur remissibile vsque septies, & non amplius, quia vltra non videtur Deus liberare hominem de peccato. Nouerat præterea Petrus, id quod sapiens dixerat in prouerbijs. Septies in die cadit iustus, & resurget. Ex quo videtur, quòd vltra septies non resurgat, & tamen quandiu peccatum remittitur, ille qui peccauit, resurgere dicitur. Ideo videtur, quòd vltra septies peccatum non dimittatur, & ita Petrus arbitratus est, vltra illum numerum septenarium, non esse remittendum fratri peccanti, cum Deus amplius non remittat. Rursus agnouerat Petrus numerum septenarium esse perfectum, in quo fere omnia operatus est Deus, ideo dixit. Quoties dimittam ei, vsque septies? Respondit autem Dominus. Non dico tibi septies, sed vsque ad septuagies septies, id est, septuaginta septem vicibus, quia ab Adam vsque ad Christum septuaginta septem generationes fuerunt, in quibus Christus deleuit culpas. Vel septuagies septies, id est, septies septuaginta, quæ sunt quadringenta, & nonaginta. Quod idem est dicere quatringentis nonaginta vicibus. Qui quidem numerus septuaginta Danielis hebdomades perficit, & complet, quæ abbreuiatæ fuerunt super populum Dei, & super vrbem sanctam, vt consumetur præuaricatio, & finem accipiet peccatum, & deleatur iniquitas, &c. Vel ponitur numerus determinatus pro indeterminato, iuxta Augustini sententiam. Quasi velit dicere. Quotiescunque peccauerit, toties dimittas, &c.

Prouer.24.

Dan.9.

Feria

FERIA QVARTA TERTIAE Dominicæ Quadragesimę, super Euangelijs, Matthæi, & Marci.

Matth. 15. Mar. 7

ACcesserunt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes. Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas cum panem manducant. Ipse autem respondens ait illis. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, honora patrem tuum, & matrem tuam, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Quicunque dixerit patri, vel matri, munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

Malignitas erat Scribarum, & Pharisæorum, vt cum vellent Christum arguere, accedebant ad Discipulos, dicentes. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester? Cum autem vellent Discipulos reprehendere, properabant ad Christum, vt in hoc Euangelio legitur, dicentes. Quare Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas cum panem manducant. Nam septuaginta senes electi à Moyse, de quibus in libro Numerorum legitur, statuerant ne Iudæi comederent manibus communibus, hoc est non lotis. Discipuli autem Christi interdum id præceptum non obseruabant. Tum quia mere cerimonia erat, tum quia non tenebantur ad illud. Erant enim sub summi dispensatoris magisterio, qui poterat eos ab hac ordinatione dispensare. Nam & ipsemet Christus sæpe non lotis manibus manducauit, ut Lucas habet. Sed quia clauo clauum retondit, ideo respondens, ait illis. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras? id est, vt obseruetis vestras institutiones. Non ex impatientia, sed zelo iustitiæ decuit Christum taliter respondere, innocentes excusando, &

Num. 11

inuidos,ac præuaricatores accusando,ad ostendendum quod indigni sunt alios de paruis accusare qui magnis subiacent vitijs. Nam præcepit Deus in Lege, Honora patrem tuum,&matrem tuam,non solum reuerentiam exhibendo tanquam principijs existentiæ tuæ, quinimò & necessaria ministrando cum indigent. Et qui maledixerit patri,vel matri,verbo, vel facto, vel aperta rebellione,morte moriatur. Secundum legem occidatur,hæc erat pœna maledicentium suis parentibus. Vos autem dicitis (diuinum præceptum fálsè exponendo) quicunque filius dixerit patri, vel matri indigenti, munus quodcunque est ex me, id est, quidquid obtulero Deo, seu omne munus, quòd ex mea deuotione Deo offertur, & consecratur tibi proderit, tibique vtilius erit, quam si illud tibi præstarem, quia proficiet ad spiritualem salutem,quæ melior est, quam corporalis nutritio. Si quidem Sacerdotes, Scribæ,& Pharisæi auaritiæ dediti,vt maiores oblationes acquirerent,impietatem suam quadam religione palliabant, asserentes melius esse offerre Deo bona parentum, quàm illis conferre. Tum quia Deus est summus, & principalis pater,de quo Isaias. Tu Domine pater noster. Tum quia magis prodest saluti parentum. Sed mentiebantur, quoniam filius tenetur subuenire parentibus indigentibus, ac per hoc bona filij constituuntur debita necessariæ pietati. Quamobrem si filius est impotens ad vtrunque simul, scilicet ad munus Deo offerendum,& ad subueniendum parētibus,omittenda est oblatio, & subueniendum est patri, & matri, quia non est facienda oblatio Deo de debitis, & necessarijs ad pietatem. Et similiter si filius cuius essent multa bona propria, & vouisset illa Deo, debet superueniente necessitate paterna subuenire parentibus, & omittere executionem voti,quia materia illa ex eo quòd deuenit ad statum quo est necessaria parentibus, mutata est, & effecta est debita paternæ maternæque pietati, ac per hoc sicut modo non posset voto obligari, ita ex hoc desinit esse materia voti. Irritum ergo,inquit Christus

Exod.20

Deut.5

Quomodo honorandi sunt parentes.

Traditio Pharisæorū

Christus ad Pharisæos, fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

Sed pro euidentiori notitia illius magnis præcepti de honore parentum, consideranda sunt quinque benedictiones in scripturis filiorum parentes honorantiu.

Prima benedictio.

Prima: Honora patrem tuum, & matrem tuam inquit Dominus, vt sis longęuus super terram. Hæc benedictio est super longitudinem vitæ, exemplo Sem, filij Noë, quid dictus est Melchisedech rex Salē, de quo nec eius initium, nec finis reperitur in scripturis, H.c enim ex honore paterno verenda patris sui pallio cooperuit, per oppositū vero Cham paucis vixit diebus, eo quàm patrem dehonorauit, verenda eius nudata fratribus ostendens, qua de causa fuit maledictus à patre.

Gen. 9.

Secunda benedictio

Ecclesia. 3.

Secunda: Qui honorat patrem suum, & matrem suam iocundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur, Hæc benedictio est in filiorum lætitia, & iocunditate. Exemplo Ioseph filij Iacob, qui propter obedientiam sui patris pariter, & honorem quem erga e gerebat, mirum in modum lætatus est in filijs suis, q & ipsi benedicti fuerunt à Iacob patre suo, Ioseph ipso præsente.

Gene. 49.

Tertia benedictio.

Ecclesia. 3.

Tertia. Qui honorat patrem suum, & matrē suam thesaurizat sibi, in cœlo & in terra. Hæc benedictio est in bonis tēporalibus, & spiritualibus simul, quas Deus concedit bonis filijs. Exemplo Salomonis qui videns matrem suam ad se venientem, surrexit in occursum eius, adorauitque eam, & sedit super thronum suum ad dexteram eius. Quamobrem felix vixit in regno. Per oppositum vero Absalon, qui coniurationem fulcimuit contra patrem suum, & voluit eum expellere de regno, tribus lanceis per manum Ioab interijt.

3. Reg. 2.

2. Reg. 18.

Eccles. 3.

Quarta benedictio.

Quarta: Qui honorat parentes suos, seruiet ei Dominus de omnibus bonis suis. Hæc benedictio præcipue in bonis spiritualibus reperitur. Exemplo Iacob filij Isaac, qui fuit electus à Deo, & benedictus à patre. Esau vero reprobatus.

Gen. 27.

Quinta benedictio.

Eccle. 3.

Quinta: Honora patrem tuum, vt superueniat tibi bened.

benedictio à Deo. Hæc benedictio præcipue conceditur bonis,& obedientibus filijs. Quid est enim benedici à Deo, nisi diuinam gratiam gratificantem ab ipso recipere? Nam benedictio Dei est remissio peccati,& donum gratiæ. Et benedictio illius in nouissimo manet.

Rursus, aliæ quinque maledictiones notantur in scripturis malorum filiorum parentes inhonorantiũ: Quarum prima est.

Qui maledixerit patri suo vel matri,vel qui percusserit patrẽ suũ aut matrẽ suam,morte moriatur, & sanguis eius erit super eum. Hęc maledictio confirmatur à Deo in Deuteronomio,vbi ita præcipiens ait. Si genuerit homo filium contumacem,& proteruum,&c. lapidibus obruet eum populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio vestri, &c. *Prima maledictio. Leuit. 20. Deute. 21.*

Secunda: Maledictus,inquit Dominus,qui non honorat patrem suum, & matrem suam, & dixit omnis populus,Amen. Hæc maledictio est magni ponderis. Quid est enim maledici à Deo, nisi omnibus gratijs, gratuitisq. bonis priuari? Quemadmodum enim nulla est benedictio Dei sine gratia,ita vicissim nulla est maledictio ipsius sine omnium gratiarum priuatione. *Secũda maledictio. Deut. 27.*

Tertia: Qui affligit patrem suum,& fugit matrem suam, ignominiosus erit, & infelix. Et alibi sapiens ait. Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem, & est maledictus à Deo,qui exasperat matrem suam. Hãc maledictionem expertus est Absalon,qui patrem suum persequebatur,de quo supra. Liquet quoque in omnibus alijs filijs, parentes affligentibus. *Tertia maledictio. Prouer. 19. Eccles. 3.*

Quarta. Qui maledixerit patri suo, & matri suæ, extinguetur lumen eius in medijs tenebris. Timeant omnes filij hanc perniciosam maledictionem, in quo denotatur quod ipsi priuãtur omni lumine,scilicet naturæ, gratiæ,& gloriæ, vt semper maneant in tenebris dum viuunt,& in fine audiant illam vocem Christi dicentis. Ligatis manibus, & pedibus proijciet eos in tenebras exteriores. *Quarta maledictio. Prouer. 10.*

Quinta:

Quinta maledictio. *Prouer. 28* Quinta: Qui subtrahit à patre suo, & à matre sua necessaria, homicida est. Hæc fuit illa pessima traditio Scribarum, & Pharisæorum, qui præcipiebant filijs, vt bona parentum vouerent Templo, contra quos clamat Christus. Irritum fecistis mandatum Dei propter impias traditiones vestras, &c.

Tenentur ergo filij primo parentes honorare, iuxta Domini præceptum, cuius non fuit immemor sanctu *Thob. 4.* vir Thobias senior, qui filio suo Thobiæ iuniori inter cetera hoc dedit præclarum documentum. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus uitæ eius. Memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit pro te in vtero suo. Propterea Sapiens id docet, dicens; Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento quoniam nisi per il- *Eccl. 7.* los natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Rursus: Saluator noster adhuc in puerili ætate *Luc. 2.* constitutus, erat subditus parentibus suis, sacratissimæ scilicet, suæ Matri virgini, & sancto Ioseph viro eius, & patri suo ob nutritionis officium, & curam. Et in cruce pendens, Matri suæ gerens curam, sancto Ioanni ca commendauit, & post ipsius mortem, super choros Angelorum exaltauit. Cum igitur ipse qui est Dominus cœli, & terræ, omniumque rerum conditor, & rect dignatus est se exhibere subditum parentibus suis, secundùm carnem Deus hominibus, & creator creaturis, quid facere debet homo ad illius imitationem, qui *Filij tenentur primo parẽtes honorare.* pulüis est, & cinis. Nonne tenetur parentes libenter honorare? Quod si fecerit, sedulo non carebit ampla remuneratione, & inter cetera bona consequetur vitæ longitudinem. Secundo, tenentur illis obedire, iuxta *Gal. 6* illud Apostoli. Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. Exemplo Isaac, filij Abraham, qui voluit in sacrificium offerri, vt diuino mandato simul, & patri suo obtemperaret. Ne *Gen. 22.* enim potuisset Abraham senex filium suum triginta trium annorum coacte sacrificare, si noluisset. Christus etiam vt homo obediens fuit vsque ad mortem

mortem

mortem autem crucis, propter quòd & Deus exaltauit illum, donauitque illi nomen, quod est super omne nomen. Vt in nomine Iesu, omne genu, &c. Tertio, filij tenentur parentibus necessaria subministrare, præcipue in senectute, dum amplius lucrari non possunt, eos sollicite alendo, nutriendo, fouendo, ac sustentando, sicut Ecclesiasticus admonet, dicens: Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius. *Eccl.3.* Et si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute. Eleæmosyna enim patris non erit in obliuione. Iccirco, sapientissimus Philosophus in Aethicis *Arist.* ait: Filios non posse reddere dignam retributionem parentibus pro beneficijs acceptis. Tenentur igitur necessaria illis subministrare, quoniam illa eadem à parentibus receperunt in infantia, & in puerili ætate, quando seipsos minime iuuare poterant. Aequitas enim & lex iustitiæ, atque recte ratio dictat, vt filij talia parentibus senio, & debilitate confectis, retribuant, pro compensatione beneficij ante accepti, qualia & ipsi prius à parentibus susceperunt. Et hoc idem natura nos docet, quodam vestigio, & exemplo in Ciconijs iunioribus, quæ volant ad prædam, & ad victum quærendum, & quod inueniunt, protinus deferunt Ciconijs parentibus suis senioribus, & in nido quiescentibus. Et ita quadam naturali pietate, suos nutriunt parentes. *Ciconiæ docent filios h... e parentes.* Quamobrem Saluator noster acerbe reprehendit Scribas, & Pharisæos, qui hanc peruersam, & erroneam doctrinam in populo disseminabant, melius esse filio diuiti offerre munera Deo in Templo, quam succurrere parentibus in necessitate positis, & subministrare illis necessaria, propter eorum lucrum, & commodum, vt supra dictum est. Ignorantes id, quod Salomon contra inhonorantes suos parentes per denegationem necessariorum ait. *Prouer.30.* Oculum qui subsanat patrem, & qui despicit partum matris suæ suffodiant eum Corui de torrentibus, & comedent eum filij Aquilæ, &c.

Conditiones conuenientes parentibus erga filios.

Pater natura quid. DEus multis modis dicitur pater, scilicet, natura, creatione, redemptione, regeneratione, adoptione. Pater natura est qui producit aliquid consubstantiale ad intra, seu effectum ad extra viuentem ex sua propria substantia similem sibi. Huiusmodi enim quattuor conditiones necessario ad naturalem paternitatem requiruntur. Et ita Deus habet tantum vnicum filium, quia neque angeli, neque homines sunt filij Dei natura, sed solum qui me genuit est pater meus natura. *Pater creatione.* Pater creatione, est qui producit effectum ad extra, viuentem similem sibi. Et isto modo, Deus est pater Angelorum, & hominum, iuxta illud Apostoli, *Ephe. 4.* Vnus est Deus, & pater omnium, *Pater redemptione.* pater redemptione illæ merito appellari potest, qui redimit aliquem à seruitute, & perpetua captiuitate. Ita eadem ratione Deus est pater noster: qui redemit nos a captiuitate, & seruitute Diaboli. Vnde Isaias. *Isa. 63.* Tu Domine pater noster, & redemptor noster. *pater regeneratione.* Pater regeneratione illæ merito appellatur qui liberat aliquem à morte ad quam suis demeritis condemnatus erat, quodam modo dans ei nouum esse. Sic Deus dicitur pater noster qui regenerauit nos ex aqua, & spiritu sancto, *Titum 3.* Petrus insuper. *1. Petri 1.* Benedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui regenerauit nos in spem, *pater adoptione.* Pater adoptione est qui adoptat sibi filium alienum, quemadmodum Christus dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Vnde Apostolus. *Rom. 8.* Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater.

Deus vt pater quattuor operatur in nobis. Nota proinde Deum tanquam verum patrem quattuor in nobis operari.

Primo, producit nos creando ex legitimo matrimonio, nulla secunda causa concurrente, scilicet ad animæ productionem.

Secundo, nos nutrit, & pascit, iuxta illud Psalmistæ. Oculi omnium in te sperant domine, vt des illis escam in tempore, &c.

Tertio,

Tertio,nos admonet ſuis legibus conſilijs, & admonitionibus, vt liquet in toto ſcripturarum decurſu.

Quarto,nos arguit, & caſtigat tanquam bonus pater vt ille idem ait.Quos amo,arguo,& caſtigo verbis, & operibus.

Ita quilibet pater carnalis erga filios ſuos facere tenetur.

Primo,eos generare ex legitimo matrimonio,quoniam vt Salomon ait.Filij adulterorum conſumatione erunt,& ab iniquo thoro ſemen exterminabunt.Et ſiquidem longæ vitæ erunt in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum. Et ſi celerius defuncti,fuerint,non habebunt ſpem, nec in die agnitionis alocutionem. Nationes enim inique dire ſunt conſumationis. Nota,quòd hic ſapiens de malis filijs patris malitiam imitantibus loquitur tantum. *Sapien.3.* *Patris obligationes.*

Secundo,tenentur patres nutrire filios ſuis bonis acquiſitis, quemadmodum omnia animalia erga filios hoc idem faciunt lege naturæ.

Tertio, tenentur patres admonere filios vt ſapiens docet.Filij tibi ſunt,erudi illos, & curua eos à pueritia eorum.Et infra iucunderis in filijs impijs ſi multiplicentur. Et paulo poſt. Melior eſt enim vnus timens Deum,quam mille filij impij. Et vtile eſt mori ſine filijs, quam relinquere filios impios.Decet etiam patres filios benedicere, ſuis ammonitionibus acquieſcentes, quoniam benedictio patris firmat domos filiorum maledictio autem matris eradicat fundamenta. *Eccl.7.16.*

Quarto,tenentur patres arguere, reprehendere, ac filios corrigere,iuxta illud Apoſtoli.Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina,& correptione domini. Exemplo Hely ſummi ſacerdotis,qui admonitus à Deo,noluit corripere filios ſuos male ſe habentes in templo. Iccirco fuit expulſus à ſacerdotio,&fractis ceruicibus mortuus eſt, ſimulque filij ſui in caſtris inimicorum miſerrime interierunt. Hæc de honore parentum, obligationibusque patrum erga filios pauca ſufficiant. Dein- *Ephe.6.* *1.Reg.4*

E de

de subdit Dominus. *Hippocrytæ, bene prophetauit de vobis Esaias dicens. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Ex his verbis domini sumunt argumentum recentiores hæretici asserentes leges humanas, conciliorum ac pontificum constitutiones minime obligare posse, nec homines ad earum obseruantiam teneri. Et equidem bene dicunt. Si huiusmodi leges veritati aduersantur, & diuinæ legi contradicunt, quemadmodum erant illæ Scribarum, & Pharisæorum, dicente domino per Esaiam. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diripient, &c. Ecclesiasticæ autem constitutiones non sunt tantum humanæ leges, sed etiam diuinæ. Tum quia auctoritate diuina patribus constitutæ, tum quia fundamentum habent in scripturis, tum quia ad diuinum honorem, ecclesiæque dignitatem, & decus, diuinæque legis faciliorem impletionem, & animarum salutem sunt ordinatæ. Vnde ligant in foro conscientiæ, ita vt earum contemptores, & transgressores obnoxios faciant æternæ damnationis, iuxta illud Apostoli. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Et quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et Christus in Euangelio, Qui vos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Siquidem Christum, & eius Euangelium spernit, qui ecclesiæ prælatos, & ecclesiasticas constitutiones contemnit. Hinc Apostolus Thessalonicensibus scribens ait. Scitis quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum Christum. Et infra. Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum in nobis. Et in alia Epistola ita inquit. State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem siue per Epistolam

Lutheranorum argumentum.

Isa. 10.

Rom. 13

Luc. 10.

1. Thes. 4.

Epistolam nostram. Posse igitur homines statuere indicant Apostoli prohibentes ab imolatis Idolorum sanguine,& suffocato. Indicat,& Paulus qui tot leges dedit, de constituendis Episcopis,de viduis, de mulieribus velandis,vt non loquantur in ecclesia, de virginibus,de coniugatis, de non deserendo coniuge infideli, & Paulus homo fuit. Et hoc idem confirmat Dominus in Euangelio, qui docet seruare statuta sedentium super cathedram Moysi. Idem etiam Apostolus Corinthijs ait, Laudo vos fratres, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea, tenetis. Rursus: Cum pertransirent Paulus, Syllas,& Timothæus ciuitates,tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis. Siquidem Christus non solum dedit potestatem plantandi ecclesiam per prędicationem, verumetiam regendi,& gubernandi. Modo illa includit potestatem faciendi statuta pro salutari regimine, sine quibus hic non viuitur. Ideo Apostolus. Attendite vobis,& vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos,regere ecclesiam Dei,&c. Ex his omnibus manifeste constat ecclesiam posse condere leges, ecclesiasticasque constitutiones omni timore,& amore esse seruanda.

2.Thes.2. — Act. 15. — 1.Corin.7. — Corin. 11 — Act. 18. — 20.

Et conuocatis ad se turbis, dixit eis. Audite,& intelligite, non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.

Aliud argumentum sumuntur hæretici Lutherani ex supradictis verbis Domini, affirmantes esse licitum omni tempore comedere carnes, vt melius possint indulgere ventri,& gulæ. Nec ieiunare opus esse, quia, quòd intrat per os non coinquinat hominem. Et si illud absolute verum est,cur præcepit Deus Adæ ne comederet de ligno scientiæ boni,& mali: Et cur Adam comedens,ita peccauit? Si quod intrat per os non coinquinat hominē,cur filij Israël in deserto ita peccauerūt optantes comedere carnes,& ita fuerunt à Deo puniti? Et cur etiam Deus præcepit filijs Israël ne comederent

Argumentum hæreticorum soluitur.

1.Reg.8 carnes porcinas, ſanguinem & ſuffocatum? Si quod intrat per os, &c. Cur Saul præcepit, dicens, Maledictus qui comederit panem vſque ad veſperam, ſequens victoriam contra Phyliſtæos? Et omnes obſeruauerunt regis præceptum præter Ionatham. Quamobrem contra eum iratus eſt Deus. Si quod intrat per os, &c.

Hierem. 35 Cur Ionadab præcepit filijs ſuis ne biberent vinum vnquam? Quibus Dominus ait, Pro eo quod obediſtis voci patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, non deficiet vir de ſtirpe veſtra ſtans in conſpectu meo ſemper. Cur & nos non debemus obſeruare præcepta patrum noſtrorum, qui fuerunt illuminati à ſpiritu ſancto? Et erimus præmiati vt filij Ionadab, aliter puniti

Eſa. 5. vt Ionathas. Si quod intrat per os, &c. Cur Eſaias clamat, Væ qui mane conſurgitis ad ebrietatem ſectan-

Hebr. 5. dam? Et Apoſtolus. Nolite inebriari vino in quo eſt

Rom. 13 luxuria. Et alibi: Non in comeſſationibus, & ebrietatibus. Aliter liceret ſuperflue comedere, & bibere. Si

2.Cor.8 quod intrat per os non coinquinat hominem, cur Apoſtolus ait. Si eſca ſcandalizat proximum meum non manducabo carnes in æternum? Et Gabriel Angelus ad Ioanne Baptiſta cur prædixit dicens. Vinum & ſiceram non bibet, Eſca eius erunt locuſtæ, & mel ſylueſter? Si ergo a delicatioribus cibo, & potu abſtinere, ac carnem ieiunijs, & abſtinentijs domare ſalubre non eſſet, nequaquam in comēdationem Baptiſtæ hæc in Euangelio conſcripta fuiſſent. Et ſi dicas, quomodo igitur intelligendum eſt illud Chriſti dictum? Reſpondetur, quod illud quod intrat per os, ſua naturali proprietate non coinquinat animam. Sunt autem quattuor, reſpectu cibi, & potus quæ animam poſſunt coinquinare, & maculare, non ipſe cibus.

Quattuor coinquināt animam nō cibus. Primum eſt inobedientia, quando, ſcilicet, præcipitur a Deo, à Chriſto, vel Eccleſia ne comederemus talem cibum, vel ieiunandum eſſe, quibus tenemur obedire, vt ſupra patuit.

Paulus. Secundum eſt ſcandalum, quod ſequitur, vel ſequi poteſt, dicente Apoſtolo. Si eſca ſcandalizat proximum

mum meum, &c. Ideo non valentes ieiunare ſecrete comedant.ob ſcandalum euitandum. Dicit enim Auguſtinus. Qui ieiunant, non ieiunantes minime ſpernant. *Auguſt.*

Tertium eſt, inordinata, & irregulata concupiſcentia, vt in filijs Iſraël.

Quartum eſt, ſuperfluitas cibi, & potus. Ideo dicitur, non in commeſſationibus, & ebrietatibus. Non igitur cibus, & potus in ſe, ſed hæc quattuor coinquinant hominem.

Tunc accedente Diſcipuli eius dixerunt ei. Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt. At ille reſpondens ait. Omnis plantatio quā non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.

Tanquam impingentes in offendiculum pedis, fuerunt, audito hoc verbo tuo inquiunt Apoſtoli. Siquidem commoti, & turbati ſunt, & hoc tuum verbum habuerunt pro offendiculo. At Dominus reſpondens ait. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Nam diuina præcepta, diuinamque doctrina quæ ſacra continent eloquia, plantatio ſunt quam plantauit Pater cœleſtis, ideo in æternum manebunt. Doctrina vero hominum erronea, præcepta quoque quæ diuinæ legi aduerſantur, plantatio diaboli eſt, quæ eradicabuntur. Vel plantatio, generatio hominum eſt, quam non plantauit Dominus per æternam prædeſtinationem, ideo eradicabitur, id eſt, reprobabitur, & damnabitur. Sinite illos, hoc eſt, dimittite Scribas, & Phariſæos incorrigibiles ſcandalizari, errare, turbari, quatenus qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & peccator adijciat ad peccandum. Non enim propter ſcandalum aliorum vitandum, omittenda eſt veritas vitæ, & iuſtitiæ, atque doctrinæ. Cœci ſunt corde, carentes luminæ veræ ſapientiæ, ac recte intelligentiæ ſcripturarum. Excœcauit enim eos malitia eorum, quia in maliuolam animam non introibit ſapientia. *Sap. 2.*

Plantatio duplex quo modo eradicatur.

Et non tantum sunt cæci, sed duces cæcorum, hoc est Doctores, Magistri, & Prælati carnalium atque Iudęorum errantium. Cæcus autem Prælatus, seu Doctor carens lumine Spiritus sancti, si cæco gregi, vel subdito ignoranti ducatum prestet, inducẽdo eum ad ambulandum, & sequẽdum opera sua mala, ambo in foueam cadunt, id est, in vitia præcipitantur, & tandem in loco gehennæ labuntur quemadmodum scriptum est. Secundum iudicem populi, sic, & ministri eius.

Quomodo cæcus cæco ducatũ præstat.

Hierem. 10

Respondens autem Petrus ait illi. Edisce nobis parabolam istam. At ille dixit. Adhuc, & vos sine intellectu estis. Non intelligitis quia omne quod intrat in os in ventrem vadit, & in secessum emittitur. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinant hominem.

Petrus, & socij eius arbitrabantur Christum parabolice locutum fuisse, ideo solus Petrus in persona condiscipulorum suorum interrogat Christum dicens. Edisce, id est, expone nobis parabolam istam, qua dixisti, non quod intrat in os coinquinat hominem. At ille dixit. Adhuc, & vos sine intellectu estis, id est, sine debita consideratione, & imprudentes estis, non intelligentes quia omne alimentum quod in os intrat, à comedente ad corpus alẽdum, in ventrem vadit, qui est locus ciborum, sicut mare aquarum. Et in secessum emittitur, non totum, sed quantum ad partes superfluas, & impuras. Purior tamen pars alimenti post completam digestionem in corpus conuertitur comedentis. Quæ autem de ore procedunt, videlicet verba illicita de corde exeunt, id est, ab intellectu, & voluntate causantur, quia ad hoc datus est nobis sermo, vt mutue voluntatis fiant indicia, & illa coinquinant hominem, inferendo maculam culpæ. De corde enim procedunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & alia id genus. Hæc vitia sunt quæ coinquinant

Exponuntur verba Christi, qđ intrat per os.

quinant, & maculant animam. Et nota quod hic accipitur cor, pro mente, quemadmodum Psalmista testatur. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Sic enim, & alibi astruit Christus. Beati mundo corde. Nam cor est primum viuens, & vltimum moriens, & centrum corporis, ideo nomine mentis accipitur. *Cor accipitur pro mẽte.*

FERIA QVINTA DOMINICAE tertiæ Quadragesimæ.

SVrgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Symonis, socrus autem Symonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea, & stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam, & continuo surgens, ministrabat illis. Luc. 4.

Saluator enim noster cum corpus passibile ad nostram accepisset salutem aliquando declinabat ad loca familiarium suorum, & amicorum ad quietem habendam post laborem, & fatigationem non ex necessitate sed ex dignatione, & isto modo venit ad Petri domum quæ erat in ciuitate Capharnaum quamuis Petrus esset de ciuitate Bethsaida vt legitur in Ioanne. Sed quoniam Christus venerat vtrunque sexum corporaliter, spiritualiterque sanare congruo ordine. Ideo videns socrum eius, Hoc est matrem vxoris Petri Apostoli iacentem, & febricitantem. Erat enim vetula quæ multum debilitabatur ex febribus propter defectum naturalis caloris, tetigit Iesus manum eius velut habetur in Marco, accedens eleuauit eam tenens manum eius, & dimisit eam, id est, recessit ab ea febris repente, quia imperauit febri, & continuo surrexit, in quo signo magis mirandus est modus agendi quam actio, Quamuis enim naturaliter possit quis sanari à febribus non tamen in instãti, quod est supernaturale opus, & surrexit socrus sanata, & ministrabat eis, scilicet, Christo, & Discipulis suis. Vires enim quas accepit quasi gratias agendo in obsequium sui Saluatoris exercitauit, Ioan. 1. Marc. 1

uit, non remanente, vt solet, molestia ægritudinis quod nisi diuina virtute potuit fieri. Hoc enim proprium est Medici cœlestis, sed secus est in alijs. Licet enim virtute naturæ possit homo à febribus curari (vt diximus) non tamen in instanti, ac ita subito, & perfecte, ꝙ possit statim opera consueta facere sicut hic dicitur factum esse, ex quo ostenditur ista curatio miraculosa ad Discipulorum confirmationem in fide. Sed misticæ

Mystica expositio. loquendo secundum spiritualem ipsius intelligentiam, synagoga de qua Christus surrexit, Iudæa est à qua Christus secundum carnem exijt, domus autem Symonis, & socrus eius congregatio est Iudæorum in fine mundi, vxor vero Petri secundum literam Ecclesia est fidelium Petro commissa, cuius mater fuit Synagoga Iudæorum, qui magnis febribus tenetur quia frigore infidelitatis, & æstibus inuidiæ laborat, per introitum ergo Christi in domum Symonis, & sanationem socrus eius significatur reditus fidei ad Iudæos quod fiet in fi

Isa. 1 ne mundi, quando conuertentur iuxta illud Esaiæ. In veritate reliquiæ conuertentur. Reliquiæ (inquam) Iacob ad Deum fortem, si enim fuerit populus Israël quasi arena maris reliquię salue fient. Et rogauerunt illum pro ea, Vbi nota, ꝙ pro Synagoga febricitante

Exod. 32. rogauit omnis Sanctorum cœtus. Primo, quidem Moyses dicens, Esto placabilis domine super nequitia populi tui, item rogauit pro ea legalis Pontifex semel singu

Leuit. 16. lis annis, præceperat enim dominus dicens. Postquam scilicet sacerdos emundauerit sanctuarium, & tabernaculum, & altare, tunc offerat Hyrcum viuentem, & posita vtraque manu super caput eius confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & vniuersa delicta atque peccata eorum quę imprecans capiti eius emittet illum

3. Reg. 8 per hominem paratum in desertum. Rursus, Dauid rogauit pro ea, Respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam. Salomon insuper pro ea Deum rogauit propitia

Isa. 16. 14. re populo tuo qui peccauit tibi, Esaias quoque clamabat. Emitte Agnum domine dominatorem terræ. Et infra. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur

tur terra, & germinet Saluatorem. Non defuit etiam Hieremias pro Synagoga febricitante orans, Ecce ego oro ad dominum Deum vestrum pro vobis, Daniel præterea magna voce orabat ad dominum nomine totius populi dicens. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & declinauimus à mandatis tuis. Et infra. Tibi autem domino Deo misericordia, & propitiatio quia recessimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri. Nouissime autem rogauerunt pro illa Moyses, & Helyas in monte transfigurationis. Proinde protomartir Stephanus cum lapidaretur orabat domine ne statuas illis hoc peccatū, Et quid plura? Nonne Apostolus cupit anathema esse pro fratribus suis, ita Synagogam febricitantem amabat. Pariter, & omnes Apostoli ceterique Discipuli, pro ea dominum deprecati sunt. Denique semel in anno rogat Ecclesia in Passione Domini pro conuersione Iudæorum.

Hierem.42 *Dan.9* *Act.7* *Paulus.*

Iesus autem imperauit febri, pro qua considerandū est septem esse infirmitates totius corporis ecclesiæ.

Prima est, peccatum originale.

Secunda, inclinatio ad malum, nam vt Sapiens ait, Caro nostra proua est ad malum ab adolescentia sua. *Salomon.*

Tertia, debilitatio ad bonum.

Quarta, lætale crimen.

Quinta, concupiscentia carnis, quia (vt inquit Apostolus) caro concupiscit aduersus spiritum.

Sexta, ignorantia.

Septima, væniale peccatum. Aduersus has infirmitates, septem Sacramenta instituta sunt à Christo, & ab eodem verbo, & operæ promulgata ab Apostolis obseruata, & ab Ecclesia confirmata, velut septem medicinæ quæ ad spiritualem animæ sanitatem, plurimum sunt conducibilia.

Contra primam institutum est baptismatis sacramentum, de quo Matthæus, Marcus, & Ioannes, Siquidem in baptismate, omnis culpa remittitur, & pœna. *Matth.3* *Ioan.3.* *Marc.vlt.*

Contra secundam, est confirmatio, vt liquet in Euāgelio

Matth. 19. gelio Matthæi, quando, ſcilicet, Chriſtus, paruulis manus impoſuit, dic. Sinite paruulos venire ad me, &c. In confirmatione enim conferuntur dona Spiritus ſancti quibus homo confirmatur in fide, roboratur in ſpe incenditur in Dei amore. Et ita per aſſuefactionum ad bonum ſeua illa ad malum inclinatio valde remittitur.

Contra tertiam, eſt ſacramentum Euchariſtiæ, de quo Chriſtus in vltima cœna ſicut omnes teſtantur *1. Cor. 11* Euangeliſtæ, & Paulus Apoſtolus ſcribens Corinthijs. Nempe panis illæ cœleſtis, animam reficit, fouet, roborat, & fortificat, vt non amplius ſit debilis, ſed fortis, & potens ad omne opus bonum agendum, ad reſiſtendum Diabolo, mundo, & carni, ſicut ſcriptum eſt, panem Angelorum. i. robuſtorum manducauit homo.

Contra quartam, inſtitutum eſt pœnitentiæ ſacra-*Matth. 18.* mentum, de quo Matthæus, & Ioannes, vt per illud *Ioan. 20.* omne delictum remittatur. Homo Deo reconcilietur, & vt gratiam recipiat in præſenti, & gloriam in futuro.

1. Cor. 7 Contra quintam, eſt matrimonium ad ſedandam carnis concupiſcentiam, dicente Apoſtolo. Vnuſquiſque propriam vxorem habeat propter fornicationem. Item melius eſt nubere, quàm viri.

Contra ſextam, eſt ordo ſacerdotalis quem Dominus inſtituit in vltima cœna, deditque Apoſtolis facultatem conſecrandi, cum dixit. Hoc facite in meam commemorationem, ſacerdotes enim tenentur veram ſapientiam profiteri, vt ſciant diſcernere inter lepram, & non *Malach. 2.* lepram, inter ſanctum, & profanum. Sicut ſcriptum eſt labia ſacerdotum meditabuntur ſapientiam, tenentur quippe ſcire legem, & eam docere, legere, & explicare, populum inſtituere. Tenebras ac nebulas ignorantiæ ab imperitis expellere.

Contra ſeptimam, infirmitatem inſtitutum eſt ſacra-*Iacob. 5* mentum extremæ vnctionis, de quo Iacobus Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Per hanc vnctionem, & fidei orationem omne veniale delictum

ctum expellitur, sanitas quoque, & si non corporis sal tem animæ recuperatur.

De his sacramentis,& Medicinis, locutus est Dauid in spiritu dicens. Vox domini super aquas,scilicet vocantis Ioannem ad se baptizandum Deus maiestatis intonuit. Hic est filius meus dilectus,&c. Et dominus super aquas multas, scilicet Spiritus sanctus sub forma columbæ. Vox domini in virtute,scilicet confirmationis in charismate. Vox domini in magnificentia respectu magnifici sacramenti. Vox domini confringentis cedros quo ad sacramentum pœnitentiæ. Vox domini intercidentis, flammam ignis, quo ad matrimonium quod incidit concupiscentiæ flammas. Vox domini concutientis desertum respectu ordinis sacerdotalis qui concutit desertum Serpentis antiqui. Vox domini præparantis ceruos quo ad vnctionem extremam, per quam homines in extremo constituti velut cerui desiderantes fontes aquarum ita desiderant videre faciem Dei,&c.

Cum sol autem occidisset omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos.

Cum sol occidisset, id est die festo ad occasum tendenter,obtulerunt ei videlicet Christo, multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus malignos ab obsessis corporibus, verbo, id est solo vocis suæ imperio, non longa adiuratione,vt exorcistæ Iudæorum. Et non est mirum, quoniam ab instanti quo Christi humanitas vnita fuit verbo personali vnione, subiecta ei omnis creatura est,teste Apostolo. Omnia subiecta sunt ei,preter eum qui subiecit sibi omnia,iuxta illud Psal. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Ideo eius imperio omnia creata obediunt,propter quod ait Saluator. Pater diligit filium,& omnia dedit ei in manu eius. Quare omnes male habentes,id est infirmos curauit. Vicinis nanque auditis Christi miraculis adduxerunt ad Iesum omnes languidos suos, curauitque vniuersos, ita vt impleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicen

Hebr. 2. Psal. 8. Ioan. 3.

Isa. 53. dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit,& ægrotationes nostras portauit. Nostra translatio habet. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Sed reddit in idem. Vnde sensus est. Ipse Christus, infirmitates, id est, pœnalitates nostras ex originali peccato consecutas, videlicet, mortalitatem, famem, sitim, lassitudinem ceterosque indetrahibiles defectus accepit in seipso,& habuit eas in propria persona, quia faciebant ad opus nostræ salutis, sicut ipse per Prophetam ait. Infirmata est in paupertate virtus mea. *Psal. 30. 68 & 87.* Et rursus. Ego sum pauper,& dolens. Et insuper. Repleta est malis anima mea, &c. Sed sequitur Euangelista. Et ægrotationes portauit, id est, nostros languores pie in alijs supportauit, & condolendo potenter curauit. Non tamen in propria persona assumpsit, quoniam non fuit in Christo infirmitas corporalis ex indispositione complexionis proueniens. Nec etiam Christus assumpsit omnes defectus nostros, sicut defectum ignorantiæ,& fomitis inclinantis ad peccatum, sed eos duntaxat qui integritati,& perfectioni naturæ non repugnant,&c.

Pulchra difficultas. Et si quispiam quærat. Nonne illud dictum Esaiæ exponitur ab omnibus de Christi passione, scilicet, quòd languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, id est, quòd afflictus fuit pro peccatis nostris, quia tota pœna passionis eius fuit pro nobis, vt innuitur ibi, scilicet, ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cuius liuore sanati sumus. Quomodo igitur hic adducitur pro infirmitatibus corporis curandis? *Responsio.* Dicendum est, quòd litera illa duos habet sensus, non morales, sed literales. Quemadmodum sæpenumero fit in quibusdam alijs scripturarum locis. Nam id quod *Exod. 12.* habetur in lege de agno paschali plane ad literam intelligitur de commestione agni paschalis, & etiam de passione Christi cum in Euangelio Ioannis scribitur illud fuisse completum in Christo, scilicet, os non comminuetis ex eo. Et tamen scriptura non nisi *Ioan. 19* in

in sensu literali complectur. Quem sensum præcipue, & nullum alium complectitur. Alij autẽ non sunt sensus ipsius, sed nos apponimus eos illi. Quamobrẽ hęc litera Esaiæ Prophetæ potest dupliciter intelligi. s. de ablatione peccatorum nostrorum per Christi passionem, pariter, & de infirmitatum curatione, ægritudinumq́. nostrarum medela. Et sic patet responsio. Deinde subditur.

Exhibant autem dæmonia à multis (vt inqt Lucas) *clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum, &c.*

Ex verbis Euangelij merito quæri potest, an dæmones cognouerunt Iesum esse messiam in lege promissum. Dei filium secundum naturam, æqualem patri. Ad hanc difficultatem respondent Nicolaus Lyra super Marcum, c. 1. quòd dæmones sciebat Iesum esse messiam in lege promissum, & intendit affirmare quòd certitudinaliter hoc sciebant, vt pote, per Prophetias de Christo prædictas, quæ determinant locum, & tempus ac modum veniendi ipsius Christi. Veruntamen (vt ipse affirmat) nesciebant eum esse Dei filium per natura Deo patri æqualem, & coæternum licet ad hunc finem tentauerit eum diabolus. Quia si cognouissent eum esse Deum, nunquam induxissent Iudæos ad ipsum crucifigendum. *Pulcherrima difficultas.*

Sed contra hoc obijcitur, quia hæc implicare videntur. Si enim diabolus sciuit, quòd Iesus esset Messias ex Prophetarum oraculis, consequens est, q̃ pariformiter sciuerit eum esse vnigenitum Dei filium, verumq́ue Deum. Hoc enim ex scripturis Prophetarum constat, patet, concluditur, & habetur, quòd .s. Christus in lege promissus esset vnigenitus Dei veram habens cum Patre diuinitatem, Esaia dicente: Puer natus est nobis. Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Et Hieremias Hoc est inquit, nomen quod vocabũt eum Dominus iustus noster. Loco cuius in Hebræo habetur, nomen Domini Tetragrammaton, quod non cõpetit nisi *Prima ratio.* *Isa.9* *Hierem.13*

nisi vero, summoque Deo, vt etiam Hebræorum magistri concorditer profitentur. Micheas quoque testatur.
Mich. 5. Egressus eius sicut à principio, & a diebus æternitatis.
Dan. 7 Et Daniel inquit. Potestas eius potestas æterna quæ non auferetur ab eo. Item Psalmista. Sedes tua Deus
Psal. 44. in seculum seculi. Et rursus: concupiscet rex decorem
Psal. 71. tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Et adorabunt eum. Et iterum. Sit nomen eius benedictum
Zachar. 12 in secula, ante solem permanet nomen eius. Præterea, Zacharias. Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratie, & deuotionum. Et infra. Et respicient ad me quem confixerunt. Quod autem hæc omnia ad literam dicantur de Christo in lege promisso, dubitare non potest quisque loca scripturarum vbi ista habentur, si diligenter perspexerit, præcedentia & consequentia ibi pensando. Itaque ista esse de rege messia prenuntiata certissime nouit diabolus. Idcirco si ex scripturis nouerat Iesum esse messiam, equa ratione, & certitudine nouit eum esse filium Dei per naturam. Et sic patet prima ratio.

Secunda ratio. Secundo: Christus se esse Deum, & Filium eius per naturam, æqualem Patri, & coæternum & impeccabilem, ingenue fatebatur, cum dixit. Quis ex vobis ar-
Ioan. 8. guet me de peccato? Et infra: Abraham exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Ideo ante-
Ioan. 14. quam Abraham fieret, ego sum. Proinde, dixit Philippo. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Ego in Patre, & Pater in me est. Et infra. Exiui à Patre, & veni Mundum: Iterum relinquo mundum, & va-
Ioan. 16 do ad Patrem. Expedit enim, vt ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Igitur Christus habebat auctoritatem mittendi Spiritum sanctum, vt Deus à quo ipse procedit. Et alio in loco, Christus ait. Ego & Pa-
Ioan. 20 ter vnum sumus. Hoc autem miraculis, & operibus comprobabat. Dicebat enim. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. Et si mihi non vultis credere, operibus tamen cre-
dite,

dite, vt cognoſcatis, & credatis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Igitur neceſſario id credebat, quia ipſe ſcit Deum non poſſe atteſtari falſitati. Scitq. cum aliquòd miraculum eſt a Deo in teſtimonium veritatis. Nam cum cognoſcat totam naturam, ſi quid fiat ſupra naturam, hoc nouit. Quamobrem diabolus Chriſtum eſſe Deum credere cogebatur.

Tertio: Chriſtus miracula propria virtute operabatur. Dixit enim adoleſcenti qui defunctus efferbatur filius vnicus matris ſuæ. Adoleſcens tibi dico ſurge. Et Lazaro quatriduano. Lazare veni foras. Sic tenuit manum filiæ Archiſynagogi, quæ mortua erat, & ſurrexit puella. Dixit præterea ad languidum. Surge, tolle grabatum tuũ, & ambula. Imperauit quoque ventis & mari, vt infra ſcribitur, & facta fuit tranquillitas magna, vt homines mirarentur dicentes. Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei? Facere autem miracula propria virtute, proprium eſt Dei. Igitur diabolus qui huiuſcemodi miracula agnoſcebat, Chriſtum eſſe Deum, ipſum agnoſcere conſequens eſt. *Tertia ratio. Luc. 7. Ioan. 11 Matth. 9 Ioan. 5.*

Quarto: Chriſtus cognoſcebat cogitationes, & ſecreta cordium, quod eſt proprium Dei. Ibi, Videns Ieſus cogitationes eorum dixit ad illos. Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Item, Ipſæ autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Id autem diabolus agnoſcebat igitur. *Quarta ratio. Luc. 5. Matth. 9. Matth. 11.*

Quinto: Chriſtus remittebat peccata proprie virtute, ſicut Paralytico dixit. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Scribæ autem, & Phariſæi dicebant. Quis eſt hic, qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Quibus Chriſtus. Quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge, & ambula? Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittẽdi peccata, ait Paralytico. Tibi dico ſurge. Ad mulierem etiam peccatricem, ait. Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe. *Quinta ratio. Luc. 5. Luc. 7.*

Quis

Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Quasi velint dicere. Solus Deus dat gratiam, & gloriam, & peccata remittit. Hæc autem omnia diabolus audiebat, & agnoscebat, quibus, & præsens erat, quamobrem Christum esse Deum non opinari, sed veræ credere cogebatur.

Mar. 3. Non est ergo mirum si spiritus immundi (vt inquit Marcus) cum illum videbant, clamabant dicentes, Tu es filius Dei. Et hic in Euangelio: Exibant autem dæmonia a multis clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei. Christus autem non sinebat ea loqui, &c.

Prima ratio in oppositum. In oppositum arguitur. Non diabolus oraculis Prophetarum, & Scripturarum testimonijs sciebat, quod per mortem filij Dei secundùm carnem homines redimendi erant à peccatis, & de potestate diaboli, Imperium quoque eius esse minuendum, Infernumque spoliandum, quamobrem si per veram certitudinem agnouisset Christum esse Deum, ac Messiam in lege promissum, plurimum vtique laborasset, vt impediret mortem eius, ne per eam spoliaretur antiqua potestate, sicut aliqualiter fecit instante tempore passionis Christi per vxorem Pilati, quæ dixit viro suo. Nihil tibi, & iusto huic, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Dicit enim Apostolus. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Si ergo Iudæi non crucifixissent Christum, si eum agnouissent, a fortiori dæmones non induxissent ad ipsum occidendum, si eum agnoscerent.

Matth. 27

1. Corin. 2

Secunda ratio. Præterea Dæmones, omnesque damnati in tantum inuident gloriæ super beatissimi Dei, quòd vellent eum non esse. Et si possent, ipsam diuinitatem occiderent, patricidis, ac matricidis similes existentes. Constat ergo, quòd diabolus non induxisset ad Christi occisionem Iudæos, si certe nouisset Iesum esse Christum filium Dei ne saluaretur genus humanum. Cuius salutem ineffabiliter inuident dæmones.

Obiectionis solutio. Ad hanc obiectionem dicendum est, quòd dæmones non habebant certam scientiam, nec veram certitudinem quòd Iesus, qui huiuscemodi miranda

opera

operabatur esset Christus Messias in lege promissus, verus Deus, & homo. Excœcauerat enim Christus corda, & mentes eorum, ne eum agnoscerent. Dubitabant tamen, & vehementer suspicabantur ipsum esse Christum, & filium Dei, per naturam mirabilem potentiam, & ineuitabilem virtutem supra se sentientes, cui resistere nequibant. Credebant igitur, & dubitabant. Non agnoscebant, & formidabant. Videbant, audiebant, & tangebant opera Dei in Christo. Sed excęcati, eum non agnoscebant. Et si ipsum confitebantur, id erat ob vehementem coniecturam. Et Christus increpans non sinebat ea loqui, quia non decebat Christi mysterium lingua fœda, & mendacijs plena publicari. Illæ enim mendax fuit ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius. Et ne in posterum deciperent mendacijs cum assoliti fuerint connectere falsa veris, & vera fallis. Etiam Christus non sinebat ea loqui, quia nolebat innotescere mundo prædicatione dæmonum, sed vita, doctrina, & miraculorum operatione. Postremo, vt nos doceret ne quempiam approbemus propter veram doctrinam, si vita nequam extiterat. Etenim dęmonia, vera dicebant, sed in omnibus reprobi erant. Heu multorum Christianorum miseranda conditio, qui similes dæmonijs facti sunt, Christum confitentes, & vitam odientes. Sed vtinam non peiores. Nam dæmones credunt, & contremiscunt, peruersi vero sæpe credunt, & non verentur. *Ioan. 8.*

FERIA SEXTA DOMINICAE Quadragesimæ, super Euang. Ioannis.

Venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob, Ioseph filio suo. Erat autē ibi fons Iacob, Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta. *Ioan. 4.*

Orta quærimonia de baptismate inter Discipulos Christi, & Ioannis Baptistæ, Christus reliquit Iudæam, & venit in Samariam, vt exacte scriptum est Tomo 2 cap. 18. car. 190. Illud enim est initium illius Euāgelij. Venit ergo Iesus cum Discipulis suis in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, vel Sychen, iuxta prædium, id est, agrum qui fuit extra, & prope hanc vrbem, quem dedit Iacob, Ioseph filio suo. Nam veniens de Mesopotamia Syriæ, habitauit iuxta oppidi emitq; partem agri in qua fixerat tabernacula a filijs Hemor patris Sychen, centum Agnis. Deinde moriēs (vt Genesis narrat historia) dixit ad Ioseph filium suum. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quā teli de manu Amorrhæi in gladio & Archu meo. Vrbs quoque illa data fuit tribui Manasse, filij Ioseph. Erat autem ibi iuxta prædium fons Iacob, siue puteus. Iesus autem fatigatus ex itinere, &c. Vbi nota, quòd fatigatio est debilitatio spirituum, restaurabilis per quietem. Siquidem tria genera spirituum in homine reperiuntur, scilicet naturalium, animalium, & vitalium. Spiritus naturales sunt qui per totum corpus diffunduntur, quibus homo omnes vitales, & sensitiuas operationes exercet. Spiritus animales sunt, qui continuo extant in capite, & discurrūt per quinq; cellulas quinque sensuum interiorum. Nam ijs spiritibus sensus cōis recipit, & continet omnes sensationes quinq; sensuum exteriorum, id est, omnia quæ oculi vident, aures audiunt, ora loquuntur, &c. Imaginatiua vero format illarum rerū imagines, quibus res cognoscimus absentes. His etiam spiritibus extimatiua ex sensatis elicit insensata, vt patet de oue videnti lupum, quæ ex ipsius aspectu inimicitiam agnoscit. Memoria autem rerum imagines recipit, & conseruat. Intellectiua vero his spiritibus omnia diuidit, & componit ac iudicat. Hinc sequitur, quòd nonnulli sunt disciplinabiliores, maioremq. habent habitudinem ad grammaticales seu Philosophicas disciplinas quam alij ob maiorem organorum dispositionem, in quibus spiritus operantur. Mane insuper ante prandium est tamen va...

Gen. 33.

Gen. 35.

Quid fatigatio.

Tria genera spirituū in homine.

valde opportunum ad spirituales exercitationes, quoniam purgato stomacho, fumi non ascēdunt ad caput vt impediant organa, in quibus spiritus animales suas exercent operationes. Sed spiritus vitales semper extāt in corde, vel circa cor, quibus vita conseruatur. Fatigatio igitur est debilitatio horum spirituum, restaurabilis per quietem.

Dicit ergo Euangelista. Iesus fatigatus ex itinere. Assumpsit in humanam naturam, nec non & omnes naturales defectus, videlicet motus passionum, iram, timorem, tristitiam, laborem, & omnia alia id genus, circa ignorantiam, & peccatum iam incipiunt labores, iam incipit sitire animarum salutem. Fatigatus ergo, sedebat sic, humili modo fons supra fontem. Fons indeficiens supra fontem deficientem. Fons magnus æternus, & diues, supra fontem paruum, temporalem & pauperem. Hic est ille fons, de quo Isaias. Omnes sitientes venite ad aquas. Hic est de quo Hieremias. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipata, quæ non valent continere aquas. De eodem loquitur Ezechiel. Ecce ego effundam super vos aquam mundam. Zacharias quoque. Erit in die illa fons patens in ablutionem peccatorum. Hic est fons quem Dauid optabat dicens. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Et quid dicebat ille fons viuus sedens supra fontem mortuum? Clamabat quippe. Siquis sitit veniat ad me, & bibat. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Samaritana quoque præstolabatur aduentum, & hora erat quasi sexta. Tanto enim spatio iter perage ieiunum, fatigationem inducit.

Esa.55. *Hier.2.* *Ezec. 36.* *Zach.13.* *Matth. 11.*

Venit mulier de Samaria haurire aquam, Dicit ei Ie*sus. Da mihi bibere. Discipuli autem eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier Samaritana. Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*.

De ciuitate Sychar prouinciæ Samariæ, venit hæc mulier Samaritana haurire aquam, cui dixit Iesus. Da mihi bibere ex vrna tua. Christus enim ad litteram corporaliter sitiebat, spiritualiter vero conuersionem huius mulieris, omniumque animarum sitiebat errantium. Petijt autem potum à muliere, vt daret ei occasionem meriti copiosi. Discipuli autem eius abierant in ciuitatem Sychar, vt cibos emerent. Et ita Dominus maiestatis remansit, solusque sedebat ad fontem, in quo eius humilitas commendatur. Dicit ei mulier Samaritana, admirans quod homo Iudæus petisset potum ab ea. Quomodo tu Iudæus cum sis. *Exod. 18* Id enim perpendit ex habitu, quoniam vestis ipsius, fimbrias habuit instar Iudæorum. Etiam ex dispositione vultus, & sermone. Dicit ergo. Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis, id est communionem cum illis in cibis, & potibus, seu vtensilibus habere contemnunt. Iussit quippe Dominus filijs Israël cum alienigenis familiaritatem, & societatem vitare. Iudæi præterea Samaritanos horrebant, quoniam terram eorum occupabant, multasque eis intulerant molestias post reditum a Babylone, vt patet in libro Esdræ. *3. Esd. 5* Christus autem qui erat Dominus legis quam perficere venerat, non soluit legem petendo potum a muliere Samaritana. Ideo subdit.

Respondit Iesus, & dixit ei. Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier. Domine, neq; in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?

O mulier, si scires donum Dei, inquit Christus, donum illud vniuersale quod nobis Deus elargiri dignatur est .s. filium suum, quia puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Nonne etiam magnum donum Dei

Dei est quod ipse qui ex seipso solus bonus est, dignatur venire ad nos, fatigatur, quiescit, & expectat, vt venientes ad se vltro prouocet ad petendum, & se illis vltro pandat & donet? Rursus, si scires donum Dei, scilicet Fidei, Spei, & Charitatis, & quid sit gratia Spiritus sancti, & quis est qui dicit tibi da mihi bibere, id est si me agnosceres, si me esse Deum, & hominem scires, hac verum Messiam in lege promissum, tu forsitã petisses ab eo spiritualem refectionem. Forsitan dicit, ad insinuãdum, quòd omne opus meritorium ex libertate procedit, Ipse autem dedisset tibi aquam viuam, id est, gratiam Spiritus sancti, quę dicitur aqua viua instar aquę materialis. Tũ quia à maculis culpę animam mũdat & purgat, tum quia refrigerat ab ęstu concupiscentiæ, & extinguit libidinis ignem. Tum quia fęcũdat animam, vt sit velut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Dedisset itaque tibi aquã viuam spiritualiter viuificantem quẽadmodum in Ecclesiastico legitur. Aqua sapientiæ salutaris potabit illum, &c.

Quid donũ Dei.

Gratia spiritus sãcti, dicitur aqua viua.

Eccles. 15

Dicit ei mulier. Domine, neque in quo haurias habes. Erat enim Christus venerabilis valde, omni maturitate, & probitate morum refulgens. Ideo nominat eum Dominũ, & quasi edocta à Spiritu sancto, hac vtitur ratione. Tu enim, mihi elargiri aquam viuam pollicitus es. Vel igitur dabis mihi aquã ex hoc, vel ex alio fonte, seu puteo. Non siquidem ex isto, quia neque in quo haurias habes, & puteus altus est Erat quippe puteus ex arte ad inferiora, terræ defossus. Nec artificium hauriendi erat in manu Christi. Et veræ altus erat ex inferiori, & interiori terra ad superficiem, vsque consurgens. Si ex alio fonte dabis mihi aquam, vel aqua illa erit melior, vel deterior. Si deterior, sine ratione loqueris, quia non acciperem. Si melior, quomodo? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob qui dedit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Ideo putandum est, Deum dedisse ei meliorem aquam quacunq; alia regionis istius. Cũ ergo tu profiteris excellentiorem mihi prębere aquam, te esse maiorẽ

Optima ratio Samaritanæ.

Iacob patre nostro, operæprecium est. Ideo dixit Nu- quid tu maior es patre nostro Iacob, &c.

Respōdit Iesus, et dixit ei. Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, et dixit. Non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, & hunc quem habes non est tuus vir, hoc veræ dixisti.

Quomodo aqua huius mundi non satiat.

Omnis qui bibent ex hac aqua, inquit Christus, vel alia simili, sitiet iterum. Et equidem verum dixit. Nam qui biberit ex aqua delitiarum huius mundi non satiatur æterne. Venit enim Dauid ad hunc fontem, & optauit superare Phylistæam. Deinde esse Prophetam, inimicos quoque fugare, Postremo esse regem, quæ omnia adeptus est, sed non satiatus exclamauit ad Dominum. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Venit Salomon cum omni gloria sua ad hunc fontem, & cum satiari minime potuisset, clamauit. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Venerunt ad hunc fontem omnes Principes. & Reges, Philosophi, & Oratores, & quanto plus bibebant tanto magis sitiebant, & hydropici efficiebantur. Optabat enim vitam sine morte: omne gaudium, sine tristitia: omnem scientiam, absque vlla ignorantia: sanitatem, sine infirmitate: pacem, sine turbatione: libertatem, semota quacunque seruitute: abundantiam, sine paupertate. Sed hæc omnia ad fontem huius mundi minime reperiri possunt, nisi tantum ad fontem aquæ viuæ. Ideo Christus ait. Qui biberit ex aquā, quam ego dabo ei. s. gratiam Spiritus sancti, non sitiet in æternum. Licet enim ad tempus sitim spiritualem sustineat ad patriam aspirando, gratiam perfectiorem optando, atque aliorum salutem iuxta illud Sapientiæ. Qui ædunt me adhuc esurient, & qui

Eccl. 24

bibunt me, adhuc sitient, non tamen semper sic sitiet. Sed veniet hora in qua replebitur bonis desiderium eius.

Sa-

Siquidem in die iudicij anima glorificabitur cum corpore,& tunc non deerit quod affectet hoc modo, ſicut ſcriptum eſt. Beati qui eſuriunt,& ſitiunt iuſtitiam,quoniam ipſi ſaturabuntur,&c.

Scire etiam operæprecium eſt, ſitim in diuinis ſcripturis tripliciter ſumi.

Sitis triplex in ſcripturis.

Primo,pro deſiderio rei nequaquam adeptæ. Sicq. acquiſitio temporalium rerum generat ſitim aliarum, & plurium diuitiarum cupiditatem augendo.

Secundo,pro deſiderio rei adeptæ,vt magis perfecte poſſideatur. Et ita ſitit qui gratiam recipit, quoniam Deũ & dona eius habens imperfectæ optat perfectius poſſidere,æmulando chariſmata meliora.

Tertio, pro amore rei præſentis cum omnium malorum excluſione. Sic Sancti in patria ſitiunt Deum, quemadmodum Petrus ita de Chriſto ait. In quem deſiderant Angeli proſpicere. Qui ergo biberit ex aqua, quam ego dabo ei(inquit Dominus) non ſitiet in ęternum. Quia ego ſapientia effudi flumina,ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio. Ego fluuius dorix rapaciſſimus. Sed aqua,quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ viuæ,id eſt or go,& principium ſanctæ contemplationis,gratiæ gratificantis, ardentisque deſiderij ſalientis, in vitam æternam. Tantus eſt enim aſcenſus aquarum,quantus eſt ipſarum deſcenſus. Cum igitur fons aquæ viuæ de cœlo deſcendat,etiam ipſum in cœlum aſcendere opus eſt. Dicit ei mulier. Domine, da mihi hanc aquam, quæ omnem ſitim æternaliter aufert. Ipſa enim de aqua materiali Chriſtum loqui arbitrabatur. Ideo optabat talem aquam habere,& vt a pœna ſitis libera eſſet, & vt a labore hauriendi eriperetur. Sed dicit ei Ieſus. Vade voca virum tuum, & veni huc ſimul cum illo. Id enim dixit Chriſtus, vt ex occaſione huius verbi,& ex mulieris reſponſione, conuenientius eam ad ſe attraheret. Reſpondit autem mulier, & dixit. Non habeo virum. Cui Ieſus. Bene,id eſt,vere dixiſti,quia non habeo virum,hoc eſt legitimum maritum. Quinque enim viros legitimos ha

Chriſtus quomodo pandit ſecreta Samaritanæ.

buiſti ſucceſſiue, & hunc quem modo habes, qui iam putatus eſſe vir tuus legitimus, non eſt vir tuus. Itaque vere dixiſti, non habeo virum.

Dicit ei mulier. Domine video, quia Propheta es tu. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus vbi adorare oportet. Dicit ei Ieſus. Mulier crede mihi, quia veniet hora quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate, oportet adorare.

Prophetia multa tempora reſpici: Tomo 3.

Prophetia non eſt de futuro tantum, verumetiam de præteritis, & præſentibus diuina reuelatione patefactis, vt diffuſe ſcripſimus Tomo 3. lib. 11. cap. 4. car. 220. Mulier itaque nunc cœpit agnoſcere excellentiam Chriſti, videlicet quod eſſet Propheta, ignorans tamen ipſum eſſe dominum Prophetarum, omniumque vaticinatorum finem. Et quia vidit eum in diuinis illuminatum, præponit ſibi quæſtionem, vel potius ſibi argumentum obijcit, ad probandum in adoratione Dei Iudæos errare, dicens. Patres noſtri, videlicet Iacob, & filij eius, omnes quoque filij Iſraël egredientes de Ægypto in monte hoc, id eſt in monte Garizin adorauerunt. Siquidem in locis altis, & montibus orare, & ſacrificium offerre Iudæi conſueuerant, & Patres eorum Templo nondum ædificato, quemadmodum dixit Dominus ad Abraham. Tolle Iſaac, & offer illum mihi ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi. Et ſi quiſpiam dicat. cur mulier iſta nominat Sanctos Patriarchas Patres ſuos cum non eſſent de ſemine illorum progenita, nam Samaritani fuerunt natione Gentiles, quia Salmanaſar Rex Aſſyriorum decem tribubus partim occiſis, partimque captis, ac tranſlatis, poſuit Medos in terra decem tribubum. Qui cum deuorarentur à Leonibus eo quòd Deum Iſraël non colebant

Gene. 22.

Samaritani quomodo natione Gentiles.

colebant, misit eis Rex Assyriorum vnum de sacerdotibus populi Israël, vt doceret eos legitima Dei terræ Israël. Quo facto cœperunt colere dominum, recipientes duntaxat quinque libros Moysi, & Idola sua non relinquentes, prout in libris regum plenius recitatur. Dicendum est, quòd mulier Samaritana, patres suos illos appellat hac vnica causa, quia Samaritani sequebantur cultum, & ritum illorum in multis etiam propter reuerentiam Patriarcharum. Et subdit. Vos autem Iudæi dicitis, quia Hierosolymis est locus, hoc est Templum in monte Syon, vbi adorare oportet. Siquidem Iudæi non asserebant necessario Deum esse tantum in Templo adorandum, quasi Deus alibi non exaudiret. Nam in Synagogis suis orare consueuerunt. Affirmabant autem conuenientiorem locum orandi esse in Hierusalem. Et id verum fuit quoniam Deus specialiter elegerat locum illum pro cultu suo, presertim ad sacrificandum.

4. Reg. 18.

Dicit ei Iesus. Mulier crede mihi, nisi enim crediderītis (inquit Isaias) non intelligetis, & accedentem ad Deum necesse est credere. Quia veniet hora, id est futurum tempus gratiæ noui Testamenti, quando neque in Monte hoc, ecce exclusio huius loci, & cultus in monte Garizin, neque in Hierosolymis, ecce exclusio cultus in Templo. Et per hæc duo exclusa loca intelliguntur exclusa omnia alia loca. Ac si vellit dicere Dominus. In tempore legis gratiæ non adorabitis patrem in loco determinato. In seipso enim est Deus pater adorandus. Vos adoratis quod nescitis, nos autem adoramus quod scimus, scilicet, scientia fidei, Iudæi enim certa fidei cognitione adorabant vnum solum Deum creatorem cœli, & terræ. Samaritani autem adorabant quidem eundem Deum, sed non certa fide, agnoscendo ipsum solum esse verum Deum. Adorabant quippe alios Deos, & simul cum illis etiam Deum Israël. Vnde nec cognoscebat nec credebant verum Deum, sed in quodam confuso

Esa. 44.
Hebr. 11.

Non est Deus adorandus in loco.

Adoratio Samaritanorum incerta.

confuso adorabant ipsum, sicut, & alios Deos tanquam Deum illius terræ. Propterea verissime dicitur. Vos adoratis, quòd nescitis, nos autem adoramus, quòd scimus, quia salus ex Iudæis est. Quod idem est dicere. Ex populo Iudæorum Saluator mundi incarnatus, & ortus est, Vel saluatio gentium ex Iudæis dependet, puta Christi passione, & Apostolorum prædicatione. Sed veniet hora, & nunc est, videlicet, tempus Euangelice legis, quando veri adoratores, ad differentiam illorum qui tantum exteriori cultu adorant, & cor eorum longe est à Deo, adorabunt patrem Deum, in spiritu, non in monte, non in Hierosolymis, non in loco aliquo determinato, non cultu exteriori, & temporali, non lingua tantum, sed in spiritu, hoc est in animo, quatenus spiritus spiritualibus intendit, ac spirituales exercet operationes, & in veritate fidei, quia sine fide nulla est adoratio vera. Nam, & pater cœlestis tales querit, id est veros adoratores requirit, & approbat. Vult enim nos esse tales qui adorent eum in spiritu, & veritate, cuius ratio subditur. Spiritus est Deus, id est spiritualis, incorporeus, simplex essentia, mens separata, & actus purus. Et eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare, hoc est dicere. Propterea oportet adorantes eum adorare in spiritu, & veritate, vt adoratio conformis sit adorato.

Quomodo adorandus est Deus in spiritu.

Dicit ei mulier. Scio quia Meßias venit qui dicitur Christus. Cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus. Ego sum qui loquor tecum. Et continuo venerunt Discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

Ioan.1. Mulier Samaritana non capax Doctrinæ nouæ, ac spiritualis adorationis, recusansque instrui à Propheta Iudæo,

Iudæo, remittit se ad Messiam. Instructi enim erant Samaritani de aduentu Messiæ, & iam tempus instabat, eratque tunc publica fama apud Iudæos vnde miserunt ad Ioannem sciscitantes, an esset Christus, propterea mulier certa fide credens, dicit. Scio quia Messias venit. Vtitur enim tempore præsenti, pro tempore incerto, propinquo tamen. Cum ergo venerit illæ, nobis annunciabit omnia, id est certificabit nos de quęstionibus vniuersis, & ceteris ad salutem spectantibus, quasi diceret mulier ista. Tunc plenius instruemur de omnibus istis: Omnes enim Iudæi, & ceteri de Christo aliquid loqui scientes, expectabant eum quasi sapientissimum magistrum, summumque Prophetam. Dicit ei Iesus, Dominus inextimabilis dignationis.

Ego sum Christus, qui loquor tecum.

Quomodo Christus se pandit mulieri.

Nusquam legitur Christum ita clare aliquibus se manifestasse, sicut huic mulieri. Nunquam ita aperte dixit, ego sum Christus. Ego Messias in lege promissus. O mulier grandis tibi gratia conceditur. O quot Prophetæ qui fuerunt ante te desiderarunt illum intueri quem modo vides, & cum quo tam familiariter loqueris. Hic est illæ quem Abraam, Isaac, Iacob, Moyses, Dauid, & ceteri Patres optarunt videre, & minime potuerunt. O mira gratia, vrgentibus nanque Iudæis quousque animam nostram tollis, si tu es Christus dic nobis palàm, distulit palam dicere se Messiam, imò, & Discipulis prohibuit hoc publicare, & tamen nunc sponte Samaritanæ dicit, se esse Messiam. O magna dignatio Saluatoris qui ad vnius mulierculæ meretricis se in notitiam dedit. Quid igitur est homo, quia innotuisti ei. Confundantur superbi de ipso quærentes, concionantes, & disputantes, quoniam cum simplicibus sermocinatio eius, iuxta illud sapientis. In simplicitate cordis vestris quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem his qui fidem habent in illum. Tunc mulier (vt opinari potest) admirans, & credens, prostrata ad

pedes

pedes Christi omnium suorum delictorum veniam petijt. Et continuo venerunt discipuli eius redeuntes de ciuitates Sychar, in qua emerant escas, vt venientes manducarent cum Iesu supra puteum more pauperum. Et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Mirabantur quippe magnitudine dignationis Christi, quod cum muliere infideli tam familiariter conferebat. Nemo tamen ex discipulis dixit Christo, quid quæris, aut quid loqueris cum ea? propter reuerentiam enim magistri sui nihil dixerunt.

Quomodo Samaritana manifestat Christum esse Messiam.

At mulier Samaritana relicta hydria materialis aquæ quia iam inceperat bibere aquam diuinarum gratiarum, currit ad ciuitatem. Non optat amplius haurire aquam de puteo, quia de cœlo aquam viuam susceperat. Non defert hydriam plenam, impleuerat enim diuinis sermonibus animam. Reliquit hydriam, quia concupiscentiam am sit. Currit ad ciuitatem, & suos conciues inuitat ad Christum, dicens, & clamans. Venite, & videre, quoniam ego accessi, & inueni, & vidi, & audiui non solum hominem loquentem, sed Prophetam occulta pandentem. Dixit enim mihi omnia quæ feci, & occulta manifestauit. Igitur venite, & videte videntem, nunquid ipse est Christus? Messias, scilicet, quem omnes communiter expectamus, Igitur, & vos venite, & videte quis, & qualis sit. Certe ipse est Messias quem omnis populus Iudæorum omnino venturum expectat. Mulier ista impleuit quòd admonet Petrus, dicendo. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, & talentum sibi concessum studuit fructuose expendere. Samaritani autem præstant fidem mulieri, & exierunt de ciuitate nouitate rei permoti, & ad credendum dispositi, & venerunt ad eum, quemadmodum, & nos fide, & charitate accedere debemus.

1. Pet. 4.

Interea rogabant eum Discipuli eius, dicentes. Rabbi manduca. Ille autem dixit eis. Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo Discipuli eius ad inuicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus.

sus. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quattuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitã æternam, vt, & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est, qui seminat, & alius qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alij autem laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.

Inter recessum mulieris, & Samaritanorum accessum, rogauerunt eum Discipuli eius dicentes. Rabbi, manduca. Compatiebantur enim fatigationi sui magistri, & propriæ vtilitati consulere quæsierunt. Ipsi nanque esuriebant, & quia non præsumebant comedere nisi magistro iubente, iccirco rogabant eum vt manducaret. Ille autem dixit eis. Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis, id est, spirituali alimonia animam meam reficere, quam alimoniam ignoratis. Dicebant ergo Discipuli ad inuicem, verba magistri non intelligentes. Nunquid aliquis attulit ei manducare? Nouerant siquidem quod nihil alimenti attulit secum. Dicit eis Iesus. Meus cibus præcipuus in quo magis quam in corporali cibo delector, & recreor, est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius, scilicet, redemptionis humanæ, propter quod missus sum.

Deinde ostendit Christus per pulcherrimam similitudinem, quòd iam adfuit tempus prædictæ operationis, videlicet, conuersionis hominum. Nonne vos dicitis, quòd adhuc quattuor menses sunt, incipiendo à martio primo mense, & messis venit, id est, frugum collectio? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem. Si adhuc quatuor menses restabant ad messem, manifeste constat non de corporali messe Christum fuisse locutum. Est igitur sensus. Leuate oculos mentis, & videte regiones, id est, habitatores terræ interiori visu aspicite, quia iam albæ sunt ad messem, id est, tempus est, vt congregentur in

Pulchra similitudo de messe, & messoribus.

in horreum meum, & perducantur ad fidem. Venit enim tempus miserationis, & gratiæ. Id etiam specialiter refertur ad Samaritanos Christo appropinquantes, qui dispositi erant ad fidei receptionem, quasi velit dicere Dominus. Hos Samaritanos oculo compassionis aspicite, & magis curate eorum saluti, quam corporali cibo. Dicitur autem collectio hominum messis, quia quemadmodum in messe colliguntur fructus terræ in aream, deinde in horreum clauduntur, sic electi congregantur in ecclesiam militantem, postremo in ecclesiam triumphantem. Rursus, Subdit Dominus mercedem messorum, scilicet, Doctorum, & prædicatorum dicens. Et qui metit, hoc est, falce, seu verbo prædicationis homines ad fidem inducit, mercedem accipit, scilicet, gloriam Regni cœlestis, & congregat fructum, id est, spirituales filios sua prædicatione conuersos in vitam æternam, quia ad eam finaliter dirigit eos. Vel congregat fructum, hoc est meritum copiosum in vitam æternam, quæ est finis, & præmium. Et qui seminat, id est, Chorus sanctorum Patriarcharum, & veterum Prophetarum, qui primo cœperunt verbum Dei in cordibus hominum seminare, atque principia fidei tradere. Simul gaudeat, id est, cum electis, & à se conuersis in cœlo lætetur. Et qui multi, id est, Chorus Apostolorum, & prædicatorum qui homines ad fidem dispositos per doctrinam Patriarcharum, & Prophetarum ad Christi gratiam suis sermonibus perduxerunt, etiam cum Patriarchis in cœlo exultent. Vt verificatur illud adagium, & commune prouerbium, quo vtebantur Iudæi dicentes. Alius est qui seminat, & alius qui metit. Hoc dicebant de messe corporali, quando alius seminat, sed alius colligit fructum, quod, & in spirituali messe interdum verificatur, vt dictum est.

Seminatores Prophetæ fuerunt messores Apostoli.

Ego misi vos metere, hoc est ad fidem colligere populum Iudæorum, quem vestris prædicationibus scripturis, & laboribus non disposuistis ad fidei receptionem. Alij laborauerunt, sicut antiqui vates populum Iudæorum ad Messiæ receptionem præparan-

tando, ipsius aduentum prænunciando, docendo vnius Dei cultum, & vitia populi extirpando. Vos autem in labores eorum introistis, id est, populum ab illis Sanctis præparatum cõuertistis ad Christi fidem, vt liquet pro toto tempore quo Apostoli in Iudæa prędicarunt. Non enim tot milia Iudæorum conuertissent, nisi per Prophetarum scripturas dispositi fuissent ad Christianę fidei susceptionem. Nempe Petrus Apostolus in die Penthecostes vaticinio Ioëlis Prophetæ conuertit tria milia Iudæorum. Act. 1.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt illum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies, et multo plures crediderunt in eum, propter sermonem eius, & mulieri dicebant, quia non iam propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est vere Saluator mundi.

De ciuitate Sychar multi crediderunt in eum Samaritanorum, credentes ipsum esse Christum propter verbum mulieris testimonium perhibentis. Ecce fructus sermonis habiti cum Samaritana, Ecce primitiæ gentium, Ecce quotquot receperunt eum propter verbum mulieris testimonium reddentis quia dixit omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani credente propter verbum mulieris, rogauerunt eum vt ibi, id est, apud se maneret. Ecce effectus fidei, scilicet inuitatio ad manendum in ciuitate. Ita quod non solum venerunt ad videndum, sed ad rogandum vt apud se maneret. Et mansit ibi benignus Saluator duos dies, qui non negat se Samaritanis. Et multo plures crediderunt. Ecce fructus ex tam parua mora subsecutus. Crediderunt quippe propter sermonem eius. Ecce Christi exercitium illis diebus. Ecce promptitudo, Samaritanorum credentium sine miraculis ad solam prędicationem Iesu. erat enim sermo eius viuus, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Et mulieri dicebant, quia nõ propter tuam loquelam credimus. Ecce fructus sermonis

Mirabilis Samaritanorum conuersio.

nis Iesu,adeo talis,vt qui prius crediderant propter verbum mulieris in tantum profecerunt prædicante Iesu, quod mulieri dicebant, se credere iam non propter sermonem eius.Non enim ipsi audiuimus, ecce quare credimus, & scimus quia me vere Saluator mundi, id est Christus,& verus Messias in lege promissus.

SABBATO POST TERTIAM Dominicam Quadragesimæ,super Euangelio Ioannis.

PErexit Iesus in montem Oliueti.& diluculo iterum venit in Templum. Et omnis populus venit ad eum,& sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ,& Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio,& dixerunt ei. Magister hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum,vt possent accusare eum.

Ioan. 8.

Solebat Dominus ascendere in montem Oliuarum, vt ibi cum Discipulis suis vsque dum dilucere pernoctaret.Pernoctauit igitur in monte illo, & diluculo venit in Templum,quia vt alibi ille idem ait. In his quæ patris mei sunt,oportet me esse, Et omnis populus venit ad eum,& præcipue vulgus. Iam enim celeberrima fama Iesu erat in Doctrina, & eloquentia, in signis, & sanctitate. Et sedens in Templo,docebat eos. Adducunt autem Scribæ,& Pharisæi qui Doctores fuerunt, & qui videbantur religiosores. Vnde,& isti cum fuerunt vani,nomen scientiæ,& sanctitatis affectantes, præcipue Christo inuiderunt,eo quod in sapientia, & sanctitate in operibus, & signis eos excederet, non solum quo ad rei veritatem,quinimò, & secundum populi reputationem. Siquidem excellentiæ,& humanæ laudis amatores inuident iugiter his qui eis, vel excellentiores, vel pares videntur, timentes ne sibi præferantur. Adducunt itaque mulierem in adulterio deprehensam,

hensam, vt iudicetur à Christo. Sed cur non adduxerunt adulterum, cum eandem pœnam meruerit? Forte quia euasit manus eorum, vel muneribus eos placauit. Mulierem autem adduxerunt, non virum, optantes vt Iesus parceret ei iudicando, vt dimitteretur, sicque accusarent eum de legis transgressione, quoniam lex iussit huiusmodi lapidare. Solent enim iudices facilius mulieribus indulgere, quàm viris, quoniam ceteris paribus minus peccant in eodem genere culpæ, cum sit in eis fragilitas maior, concupiscentia fortior, intellectus debilior, propter quod mulier nomine carnis frequenter exprimitur in scripturis. Deinde statuerunt adulteram in medio Templi, in medio totius populi congregati coram Christo, & dixerunt; Magister. Ecce vocant eum Magistrum, cuius noluerunt esse Discipuli. Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, id est inuenta est in tali crimine, propterea excusationi locus non patet. In lege autem præcipit nobis Moyses huiusmodi lapidare. Tu ergo qui in aliquibus legem non seruas, quasi vim dispensandi habens, & Dominus legis, quid dicis esse agendum cum ista nefaria muliere? Hæc autem dicebant tentantes eum intentione fallendi, experiri volentes quid diceret, vt possent eum accusare. Proposuerant enim sibi quæstionem, cuius responsio pro vtraque parte increpabilis videbatur. Quia si respondisset, quòd dimitteretur, accusarent eum de Mosaycæ legis destructione. Si vero iudicasset ipsam occidendam, obijcerent ei contra propriam prædicationem loqui, qui in omnibus misericordiam docuit, non rigorem iustitiæ. Magis tamen optabant vt iudicaret eam dimitti, quia sic grauius videretur redarguendus.

Adultera quomodo præsentatur Christus, & cur

Malignitas scribarum, & Pharisæorum.

O Scribæ, & Pharisæi, seruanda quidem est lex, quia iusta, & sancta, sed pium est etiam parcere delinquenti, præcipuæ pœnitenti. Quid igitur discernendum inter misericordiam, & iudicium. Dauid dicit, Misericordiam, & iudicium, cantabo tibi Domine. Properastis ad Christum, sed tentatione maligna, vt decernat inter

iustitiam & misericordiam. Vestra enim tentatio intendebat, vt si pro iustitia decreuerit velut crudelis reus habeatur a populo. Si pro misericordia fit reus in lege, quæ mandat adulteros lapidare. At quid respondet Dominus scripto & verbo, videamus.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus. Et remansit Iesus solus, & mulier in medio stans.

Cur Christus scribebat in terra.

Christus digito scribebat in terra, vt ostenderet se esse Deum qui olim digito scripserat in tabulis lapideis mandata Decalogi. Scribit non in lapide sed in terra, & non calamo sed digito, vt ex modo scribendi se eundem Deum esse monstraret. Ex differentia autem inter terram, & lapidem, differentiam status noui Testamenti, a statu veteris Legis pulcherrime significat. Digito quidem Dominus in terra scribebat, ac si Iudæis diceret. Vos testimonia legis mihi affertis, & legis verba narratis, qui legem ipsam non intelligitis. Hic est digitus ille qui quondam ipsam legem scripsit in lapide. Præcepit enim lex mulierem huiusmodi lapidari, sed nō sicut vos intelligitis, neq; à talibus quales vos estis. Præuaricatores legis, legem implere cupitis. Et cum in temeritate perseuerarent interrogantes eum, erexit se, ad eorum importunitatem reprimendam, & proposuit

Sententia Christi contra Iudæos accusatores.

eis sententiam iustitiæ, dicens. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Prudentissima responsio, nec legi contraria, nec aliena a virtute clementiæ, sed via ad clementiam, sine offensione legis cū confutatione malignantium. Qui ergo sine peccato est vestrum, non simpliciter loquitur de peccato, quia si dixerimus, vt inquit Ioannes, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, sed de crimine adulterij est sermo, quasi dicat. Qui non est adulter; primus in adulteram lapidem mittat.

Volo

Volo quidem seruari legem mulierem quoque secundum legem puniri, sed non decet adulterum adulteram lapidare. Ascendat igitur vnusquisque ad tribunal mentis suæ, & conscientiam suam discutiat. Aut ergo illam dimittite, aut simul cum illa pœnam legis accipite. Puniatur peccatrix, sed nõ à peccatoribus. Lapidetur adultera, non autem ab adulteris. Impleatur lex quam allegatis, sed non à legis præuaricatoribus. Prius iusti sitis postea eam puniatis. Ecce plena iustitia, vt iustus mala puniat, non reus. Non dixit Christus non lapidetur ne contra legem dicere videretur. Absit autem vt diceret lapidetur. Venit enim non perdere quod inuenerat, sed quærere quod perierat. Non vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Siquis ergo in mortali crimine est, neminem iudicare debet. Qui enim alium iudicat, de illo vel consimili quo ipse tenetur obnoxius, seipsum in hoc damnat. Ergo antequam aliquem iudicemus conscientiam nostram videamus, & iuxta examinatione dirimamus. Rigor enim diuinæ iustitiæ exigit, vt nemo alium de crimine arguat, accuset, iudicet, vel testimonium ferat, si de tali vel maiori redarguendus est. Rursus, Christus prolata sententia, inclinans se, digito scribebat in terra. Et quid scripsit, nisi illud quod voce expressit. Nam sententia prius scribitur, deinde ore profertur. Inclinatus etiam denuo scribebat in terra, vt ostenderet maiorem suæ sententiæ firmitatem, & vt eos sua visione priuaret. Vnde cum eos zelo iustitiæ percussisset, non est dignatus eos amplius aspicere, sed inclinãs se, faciem suam auertit. At illi discesserunt omnes, vnus post alium, quia omnes peccatores se esse sciebãt, quod & in tali discessu, de se confessi sunt. Incipientes à senioribus, tum quia grauioribus implicati erant peccatis & criminibus: Tum quia melius agnoscebant æquitatem sententiæ prolatæ. Et ita euanuerunt eorum astutiæ. Et remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Sed quomodo solus? Nonne aderant Discipuli, & turba copiosa? Remansit quidam solus à

Reum non decet iudicare reum.

Quid Iesus scribebat in terra.

societate mala. Iustus ab impijs, æquus iudex à iudicibus iniquis, verus a falsis, misericors à seuis, à quibus solitarium fieri æquum est. Relicti ergo sunt duo, scilicet, Iesus misericordia, & mulier miseria. Et merito remansit misericordia cum miseria. Nam miseriæ necessaria est misericordia, vt abyssus abyssum inuocet, abyssus myseriæ, abyssum misericordię. Posito igitur timore iustitiæ, calumniatoribusque confutatis erigens se iterum Iesus, dixit mulieri. Vbi sunt, qui te accusabant? Quasi diceret. Qui venerant ad quærendum iustitiam, fugati sunt iudicio iustitiæ. Illæ autem qui aduersarios repulerat, lingua iustitiæ leuans in illam mansuetudinis oculos, interrogauit eam, dicens. Nemo te condemnauit? Quemadmodum subdit Euangelista.

Erigens autem se Iesus, dixit ei. Mulier vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit. Nemo Domine. Dixit autem Iesus. Nec ego te condemnabo. Vade & amplius iam noli peccare.

Et quia mulier territa, poterat timere ne ipse qui sine peccato est, eam puniret, & timens ei dicere, nemo quippe me condemnauit, tu vero, qui sine peccato es, si vis potes, quia tibi soli peccaui, & malum coram te feci, ideo subditur absolutio Christi. Nec ego te condem-

Ioan. 8. nabo. A quo forte te condemnari timuisti, quia in me peccatum non inuenisti. Nec mirum, quia veni peccatores saluare, non condemnare. Si non te condemnauit homo, nec ego Deus, & homo, quia nō misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Noli timere, sed secura sis, quia tantummodo non abijcio peccatores, sed suscipio pœnitentes. Quasi diceret. Illi dimiserunt te indamnatam

Absolutio Christi super mulierem adulterā. propter peccata sua, & ego te absoluo ex misericordia mea. Vade absoluta a culpa, & à pœna, & iam amplius noli peccare, hoc est, non sit tibi voluntas peccandi. Facta secura de præterito, caue de futuro. Deleui quod commisisti, obserua quod præcepi, vt inuenias quod promisi. Ergo & Dominus damnauit, sed peccatum, non homi

hominem. Saluando enim naturam, damnauit culpam. Erectus itaque, dedit sententiam iustitiæ in accusantes. Et iterum erectus, sententia misericordiæ erga mulierẽ accusatam tulit. Vtrunque enim facere, diuinę est potentiæ. Vtrunque proprium est Deo, punire, scilicet, & parcere. Et æque iustum est, misericordiam sicut iustitiam seruare. Punit iuste, & parcit pie. Et sicut primo protulit iudicium iustitiæ salua misericordia, sic secundo protulit iudicium misericordiæ, salua iustitia, scilicet, vt misericors peccata præterita dimittens, & vt iustus, ne amplius peccaret interdicens. Si quidem vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas. Sic ergo lit erata est miseria, iubente misericordia. O igitur Iesu bone, te dicente, non ego te condemnabo, quis condemnabit? Deus est, qui iustificat, quis est qui condemnet? Audiatur tamen de cetero vox tua, Vade & iam amplius noli peccare, quia venit tempus pœnitentiæ, appropinquante Regno cœlorum.

Alia Euangelij expositio.

Iesus, vt totam Euangelicam historiam iterum exponamus, inclinauit se per misericordiam, quia in natiuitate sua mulier apparuit de cœlo clamans. Misericordia Domini plena est terra, & alia sequebatur, dicens. Veritas de terra orta est. Ideo Christus scribebat in terra, vt secundùm veritatem iudicaret. Deinde iustitia de cœlo prospexit, & videns nuptias filij Dei, clamauit. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Iccirco Christus erexit se, vt secundùm iustitiam iudicaret. Rursus: Pax de cœlo descendit, cum ramo Oliuarum, præ nimio gaudio, dicens: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, &c. Ideo Christus vt inter iudices pacem poneret, daretque pacem mulieri, ait: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Christus ergo quattuor fecit.

Primo, inclinauit se de cœlo in terram, de vita ad mortem, de morte ad inferos, de terra ad terram, per misericordiam suam.

Secundo, scribebat in terra, propter veritatem, & mãsuetudinẽ, quia (vt dictum est.) Veritas de terra orta est.

Tertio, erexit se per iustitiam.

Quarto, protulit sententiam propter pacem capescendam dicens. Qui sine peccato est vestrum, &c. Inclinauit enim se Christus, vt iudicibus palàm insinuaret in iudicando reum, suam fragilitatem propriamque malitiam considerare. Erexit autem se, vt doceret nos erigere caput ad Deum, à quo omnia bona, & nulla mala. Postremo Christus ostendit amorem salutis proximi, magis quàm peccatorum vindictam, dicens. Vade, noli amplius peccare.

Spiritualis expositio. Sed spiritualiter loquendo, per mulierem in adulterio deprehensam, significatur quælibet persona Christo desponsata per fidem, deinde per mortale crimen cum diabolo adulterata. Per scribas vero, & Pharisæos significantur dæmones, recte diuisi à Christo, & sanctorum consortio. Hi mulierem ad iudicium adducunt, quia damnationem hominum sollicite quærunt. Et quia Dominus non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat, ideo subdit. Vade, & amplius noli peccare. Nam pœnitentia vera est detestatio vel displicentia peccati commissi, quod idem est, velle non peccasse, vellique punire peccatum cum firmo non amplius peccandi proposito. Et hæc sufficit ad salutem. Potest etiam hic fieri concio de adulterio, & de ipsius gradibus, de malis quoque quæ oriuntur ex eo, & quantum sit detestabile crimen, necnon & de adulterorum pœnis. Tomo 3. libro 4. cap. 4 car. 88.

DOMINICA QVARTA QVAdragesimæ, super Euangelij Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis.

Matth. 14. Marc. 8. Luc. 9. Ioan. 6.

Abijt Iesus trans mare Galileæ quod est Tyberiadis, et sequebatur eum multitudo magna, quia videbat signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum Discipulis suis.

suis. Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum.

Ab inclita ciuitate Hierusalem, & Iudeæ abijt Iesus nauigio trans mare Galileæ. Mare inquam non illud magnum Oceani, sed iuxta consuetudinem loquendi Iudæorum, congregationem quandam aquarum, quia stagnum hoc in longitudine passus habebat decies milles, in latitudine quinquies mille. Dicebatur autem mare Galileæ à prouincia in qua situabatur. Et mare Tyberiadis à famosa ciuitate nomine Tyberias, quæ sita erat in huius littore maris. Abijt autẽ Iesus cedens per secutionem Iudæorum, ne ante tẽpus præfixum ab eis occideret. Abijt etiã, vt cederet furori Herodis, qui occiderat Ioannem Baptistam. Abijt proinde, vt Discipuli sui post laborem paululum requiescerent. Nã vt scribitur in Marco erant euntes & redeuntes, vt nec spaciũ manducãdi haberent. Ideo Christus ait Discipulis suis. Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Et sequebatur eum multitudo magna, pura ad recipiendam gratiam sanitatis, & escam spiritualem, doctrinam quoque, & refectionem cœlestem. Siquidem etiam ex Mattheo constat, quod audientes turbę, Christum properasse in desertum, secute sunt eum ex ciuitatibus. Marcus vero ex omnibus ciuitatibus turbas adcurrisse, & ante Christum trans mare refert venisse. Tãto tenebantur ardore & desiderio salutarem Christi doctrinam audiendi, quamuis non idem omnibus esset in illum affectus. Alij nanque ipsum ex charitate sequebãtur, vt iusti & boni. Alij ob necessitatem, vt infirmi. Alij ex præsumptioue quadam temeraria. Nonnulli ex inuidia & cupiditate capiendi eum in sermone quemadmodum etiam his temporibus, fieri certum est, vt non omnes ex pietate audiant verbum Dei. Euangelista tamen rationem cur secutæ Dominum sint turbæ ostendit. Quoniam videbant signa quæ faciebat, miracula quoque super his qui infirmabantur.

Cur turba sequebatur Christum.

Narrat insuper Euangelista ascẽdisse Christum cum Discipulis suis in montem, vt locus corresponderet locato. Siquidem Christus propter sanctissime vite excel

Cur Christus dicitur Mons. lentiam, ob miraculorum eminentiam, propter contemplationis cellitudinem, propter charitatis omniumque virtutem incomparabilem sublimitatem, Mons pulcherrime appellatur, dicente Daniele. *Dan. 2* Et lapis abscissus sine manibus creuit in montem magnum, impleuitque vniuersam superficiem terræ. Mons ergo montem petijt, & mons in montem ascēdit, implens vaticinium *Isa. 50* Isaiæ. Super montem excelsum, ascende tu qui euangelizas Syon. Ascendit ergo in montem, qui est locus orationi, contemplationi, instructionique aptus. Opportunitas quidem loci plurimum ad deuotionem confert. Ascendit quoque in montem, exemplo nos docens, terrena, atque carnalia relinquere, cœlestia autem, ac diuina omni affectu perquirere, quatenus cum *Paulus.* Apostolo quæ sursum sunt quæramus, non quæ super terram, & quæ retro sunt obliti, in anteriora extendamus nos ipsos. Omnia sensibilia vana, atque caduca arbitrantes vt stercora, vt semper inuisibili Deo ardenti desiderio vniamur. Et ibi sedebat cum Discipulis suis, docens eos. Deinde latitudinem terræ, quam condidit circunspiciens, magis autem habitatoribus terræ compatiens, eis auxiliari proposuit. Erat autem proximum *Beda.* Pascha dies festus Iudæorum. Nam, vt Beda testatur, *Pascha secundum ad decollationem Ioan.* inter decollationem Ioānis. & Christi passionem, vnius anni extitit spatium. Et ita fuit Pascha secundum, circa quod decolatus est Ioannes, in quo Christus non fuit in Hierusalem, cedens aduersarijs suis. Ideo excusationem habuit Dominus, cui iam mortem minabantur, & quotidie intendebant Pharisæi. Et nota, quòd illud Euangelium, vbi dicitur, Erat proximum Pascha Iudæorum, legitur post mediam Quadragesimam propinquante Paschali solemnitate, quia conuiuium hoc ex quinque panibus typum gerebat sacrosancti Sacramenti Altaris, quod nos adhuc tempore Paschali suscipimus, sicut eodem Christus instituit tempore, auctore *Conuiuium hoc typum Sacramenti gerebat.* Euangelista Ioanne per hoc totum sextum caput, vbi grauissime refert Christum de Sacramento loquentem.

Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum. Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.

Eleuatis iam oculis Dominus, vidit multitudinem ad se venientem, quæ & designabat magnam illam hominum copiam, qui ad confessionem fidei, & nominis Christi venturi erant, atque Euangelicam veritatem suscepturi. Docere insuper voluit prælatos Ecclesiæ sollicitos esse debere de subditorum necessitate, quemadmodum & veteres Episcopos fecisse constat. Ipsum quoque Paulum qui sollicitus subinde fuit de collectis pauperum. Nos quoque hinc agnoscere debemus quomodo misericors Dominus oculos suos attollit, si modo ad eum velimus accedere. Cunctis enim ad se venire cupientibus, gratia misericordię cœlestis accurrere consueuit, omnes clementissima voluntate vult saluos fieri dummodo nullum in nobis vitium, nullus maneat defectus. Ecce enim hic Dominus in Monte, docens Discipulos archana, vtique fidei nostræ misteria, non tamen turbæ obliuiscitur, quam erat admirabili pascendi modo satiaturus. *1. Cor. 16.*

Dicit ergo Philippo. Vnde ememus panes, vt manducent ij? Nam Matthæus, Marcus, & Lucas scribunt Discipulos vesperi Domino dixisse, vt sineret homines abire in proximas quasque villas, vbi cibum emerent. Disputant etiam hic Doctores, an idem sit hoc miraculum cum illo quod apud Lucam legitur. Chrysostomus enim duo. Augustinus vnum tantum esse fatetur. Sed quia quæstio ista non est magni momenti, ideo an sit idem, vel non, parum refert. Cur autem præ omnibus interrogauit Dominus Philippum, huiusmodi causa assignari solet, quoniam Philippus in finibus illis natus erat, & hominibus præ ceteris notus, magis etiam, quam alij Discipuli misericordia erga turbas mouebatur. At quia Andreas, & Petrus ibidem erant progeni- *Mar. 8* *Luc. 9.* *Chrysost.* *August.* *Cur Christus interrogat Philippum.*

ij, alia

ti, alia adhuc ratio assignari potest, quia nondum Philippus confirmatus erat animo, & intellectu, in rebus diuinis, eruditione itaque adhuc indigebat, sicut ex ipsius petitione post cœnam patet, dum dixit. Domine, ostende nobis patrem, &c. Hic etiam iam oritur quæstio, cur Christus ante miraculi operationem Philippum interrogauit. Dicendum est, vt miraculum magis clarescceret, & innotesceret, quemadmodum, & in nuptijs prius vini penuriam permisit innotescere pluribus quam ex aqua vinum faceret. Sed vt Euangelista fatetur, Philippum Dominus interrogauit tentans eum. Non enim interrogauit vt ignarus quid responderet illæ, cum thesauros scientiæ, & sapientiæ omnes in se haberet absconditos. Interrogauit autem vt miraculum omnes considerarent attentius, quemadmodum, & Moysen interrogauit Deus quid gestaret in manu. Non inscius vtique virgam esse. Ita hic cum Philippo similiter egit Dominus, quem interrogauit, eo maxime vt tarditatem fidei suæ ipse cognosceret, & per miraculum emendaret, & castigaret. Prouida id totum dispensatione agens, quoniam ille nullo modo dubitare debebat, considerans coram his adesse rerum omnium conditorem, qui educit panem de terra, multo facilius paucis panibus, multa hominum millia eundem esse satiaturum. Tentauit ergo Christus Philippum, non sicut Diabolus tentat, aut caro, non sicut homo vel mundus. Tentat enim Diabolus vt decipiat, dicente Petro ad Ananiam. Cur tentauit cor tuum Sathanas, mentiri te Spiritui sancto? Tentat caro vt inficiat, quia caro concupiscit aduersus spiritum, &c. Tentat mundus, vt sua vanitate alliciat. Ideo Ioannes. Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Tentat homo alium hominem, vt experimentum capiat, sicut tentauit regina Saba Salomonem. Vel vt mores illius inspiciat. Tentat Deus vt erudiat, & probet. Sic Deus tentauit Abraham, an filium suum sibi immolaturus esset. Ita Dauid precatus est dominum Proba me Domine, & tenta me. Tentationem huiusmodi

Act. 5.
Tentatores quinque.
1. Ioan. 2.
3. Reg. 10.
Gen. 12.

ſiue probationem Deus facit non propter ſe, vel in ipſius hominis, vel in aliorum commodum. Niſi enim durum, & mandatum graue Abrahæ dediſſet Deus, ad huc nos, & fidem illius tantam, & ardentiſſimam erga Deum charitatem, neſciremus. Ideo hoc genere tentationis, Chriſtus tentauit Philippum, vt ſua reſponſione, fidei ſuæ cognoſceret infirmitatem, quam deinceps miraculi tam excellentis virtute poſſet confirmare. Philippus autem potentiam hanc non agnoſcens, dicebat. Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Tanquam diceret. Non habemus precium ad emendum, nec poſſumus eis prouidere, iccirco remitte eos ad loca habitabilia, vt ſibi ipſis prouideant.

Dicit ei vnus ex diſcipulis eius Andreas frater Simonis Petri. Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos, & duos piſces. Sed hæc quid ſunt inter tantos? Dixit ergo Ieſus. Facite homines diſcumbere. Erat autem fenum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque milia.

Solet quiſpiam dici puer, pluribus de cauſis, vt diuinæ teſtantur hiſtoriæ.

Primo, quia gerit perſonam ſeruilem. Nam ſicut puer annorum eſt ſub diſciplina parentum, ita ſeruus ſubijcitur domino ſuo, ideo puer merito dicitur, iuxta verba Centurionis dicentis. Domine puer meus, id eſt ſeruus meus iacet in domo paralyticus. *Puer quis dicitur multis de cauſis*

Secundo propter ſtoliditatem, & inconſtantiam, Eſaia teſte. Puer centum annorum morietur, id eſt ſenex fatuus. *Matth. 18.*

Tertio, propter ætatem, ſecundum quod Lucas ait. Puer Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia, coram Deo, & hominibus. *Luc. 2.*

Quarto, propter puritatem, & innocentium, & ibi. Laudate pueri Dominum. Ad quam pueritiam obligamus, Chriſto dicente. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli non intrabitis in regnũ cœlorum. Apoſtolus quoq;. Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia *Matth. 18.* *1. Cor. 14.*

paruuli

paruuli estote. De hac puritate loquitur Andreas frater Symonis Petri, cum dixit. Est puer vnus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces. Sed hæc
Chrysost. quid sunt inter tantos? Vbi Chrysostomus: Prudentior, inquit, quam Philippus Andreas, non tamen penitus rem intellexit. Nam credidit illæ centum posse Dominum panes istos multiplicare, sicut Helisæus viginti panes ordeaceos viris centum multiplicauerat. Verum
4. Reg. 4. tot hominum millia tam exiguo pane pascere posse [illegible] dem quo [illegible] suam longe superabat. Maior tamen
Num. 11. fides illius, quam Iudæorum clamantium in Deum: Quis poterit nobis dare carnem ad vescendum? [illegible] Dauid: Male locuti sunt de Deo. Dixerunt: numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo in Deserto?

Iussit tamen Dominus discipulis, vt facerent homines discumbere, non increpando eos de tanta pusillanimitate, aut paucitate fidei, sed rebus ipsis ad fidem inducit. Facite, inquiens, homines discumbere, & cognoscetis omnipotentiam meam in panis istius multiplicatione. Commoditatem quoque sedendi, in hoc loco Euangelista insinuat cum ait, fænum multum fuisse ibidem, idque ex magno regionis illius calore, quo citerius omnia maturescunt. Neque enim mirum est fæ-
Leuit. 23. num ibi iam fuisse tempore Paschali, quo frumenta noua offerre etiam in lege præceperat Dominus. Cogitabant vtique ipsi apud se Discipuli, quomodo Helias
3. Reg. 17 viduæ vrceolum olei, & vasculum farinæ benedixerit,
4. Reg. 4 vt non deficeret, donec Dominus iterum pluuiam daret super terram. Et sicut Helysæus plurima illa vasa viduæ [illegible] Prophetæ impleuit, vt debita exolueret. Similiter vt ex viginti panibus homines centum satiasset, remanentibus etiam adhuc reliquiis. Hinc omnino credebant Apostoli simile quid miraculi patraturum esse Christum, cum homines iussit discumbere. Discubuerunt autem [illegible] in Euangelio habetur, viri numero quasi quinque millia. Ita Ioannes
Matth. 14. & Lucas testantur. Sed Matthæus ait: Manducantium [illegible]

fuit numerus quinque milia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis. Quoties enim, inquit Hieronymus, Sacerdotes, atque Leuitæ, & exercitus, vel turbæ pugnantium describuntur, serui & mulieres paruuli quoque, & vulgus ignobile, absque numero permittuntur. Hieron.

Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit Discipulis suis, Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.

Accepto Dominus pane in suas venerabiles manus, vt per hunc contactum virtus operaretur diuina. Inspiciens in cælum teste Matthæo, gratias egit, vt maior ei fides daretur, quod non sit contrarius Deo, sed cælitus a Patre venerit. Et si quispiam dicat, cur Dominus cum sanaturus esset paralyticum, cum resuscitaturus mortuum, cum maris sedaturus tempestatem non agit gratias, hic autem cur gratias agit? Respondendum est id miraculum saturationis turbarum, fuisse magnæ reputationis apud Iudæos, quia in hoc ostendebatur quædam similitudo potestatis ad Deum, qui pauerat Iudęos in Deserto quadraginta annis. Nec tale, aut simile miraculum vnquam Christus egerat. Ideo ipsum diuina virtute fuisse factum palam, insinuari opus fuit, quoniam multitudo magna aderat, quam persuaderi oportebat propria Dei id fieri voluntate. Suspexit itaque in cœlum, gratias egit, panem benedixit, vt sic omnis tolleretur suspicio Pharisæorum tanta miracula auctori diabolo attribuentium. In alijs autem miraculis non opus erat semper Christum orare, ne quis cogitare posset eum illa non propria fecisse virtute. Sed aliter respondet Chrysostomus, & melius dicens. Christus accepit panem, & suspiciens in cælum gratias egit, vt palam insinuaret semper ante cibum gratias Deo agendas, more, & pio, ac laudabili, quem veteres quondam Christiani seruabant [illegible] quemadmodum Paulus ad Timotheum. Omnis enim creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim

Cur Christus hic gratias agit.

Chrysost. Ante cibum semper sunt gratiæ agendæ.

1. Tim. 4.

per

per verbum Dei,& orationem .

Quamuis pro dolor consuetudo illa quæ maxime pia , & sancta erat ac Christianis hominibus dignissima,ita parum nunc obseruatur,non in vulgo tantum, sed,& in ipsis principum aulis,sicut, & aliæ consuetudines bonæ abolitæ sunt.Quinque tamen rationibus veterem illam consuetudinem sanctam, esse præcipue obseruandam ostendi potest .

Quomodo decet Christianos benedicere mensam.

MEnsa benedicenda est.Primo,quia pro sustentatione corporali quæ in mensa apponitur Christus præcepto suasit ad Deum orandum esse . Et non semel quidem,sed quotidie,dicens. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,id est omni tempore in quo cibus corporalis nobis necessarius est . Nam illum toties a Deo expectare, & petere debemus .

Theoph. Cyrill. Mensam esse benedicendam rationibus ostenditur. Chrysost.

Secundo , quoniam singularissimi Doctores exemplo Christi ita esse agendum , nos docuerunt . Dicit enim Theophilus , intuetur autem Christi cœlum , vt nos instrueret a Deo patre escam,& non à Diabolo nobis facit,vt discamus quod,& in principio mensę quando frangere debemus panem, tenemur Deo offerre, & elicere super ipsum benedictionem supernam . Chrysostomus quoque subdit . Hic orat Dominus gratias agens,vt ostendat eos qui comestionem incipiunt gratias agere oportere Deo .

Tertio,propter nimiam necessitatem, quia nihil magis nobis necessarium est in hac peregrinatione, quam cibus,& potus,quibus vitam tuemur . Et quia quanto aliqua res est nobis magis necessaria , tanto magis pro ea orare debemus cum post salutem animę nihil magis necessarium quam corporis sustentatio,erit multum pro ea orandum .

Quarto,quoniam terra per pluuias,&moderatos calores omnia hæc non necessitate quapiam producit.

sic.

ſed magis ex quodam beneficio, licet natura aliquid conferat, & interdum ſubtrahuntur à nobis propter iniquitates, & ſequitur fames. Vt ergo id periculum euadamus valde orandum eſt, præcipue autem, quia quanto aliquid eſt magis gratuite donatum, tanto maiores gratiarum actiones pro eo exhibendæ ſunt.

Quinto, vt non efficiamur indigni his corporalibus alimentis. Nam licet Deus ex liberalitate tam bonis quam malis hæc omnia concedat, interdum tamen ſubtrahit nobis corporis neceſſaria cum mali ſcimus, affligens nos famæ. Cum autem conuertimur, omnia donat abundanter, quemadmodum in Leuitico palàm inſinuatur, vbi Iſraëlitis populis, & præcipue bonis, ſic loquitur Deus. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, dabo vobis pluuias temporibus ſuis, & terra gignet ſemen ſuum, & pomis arbores replebuntur, & apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate, & cetera quæ ſequuntur. De malis autem Iſraëlitis dicitur eodem capite. Si non audieritis mei, neque audieritis omnia mandata mea, & ſpreueritis leges meas, viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore qui conficiat oculos veſtros. Fruſtra feretis ſementem, quia ab hoſtibus deuorabitur, & dabo vobis cœlum ferreum, & terram eneam, &c. Rurſus, in Deuteronomio ita ſcribitur de bonis. Aperiet dominus theſaurum ſuum optimum, cœlum pluuiam tribuet terræ tuæ temporale ſuo. De malis autem dicitur. Mittet dominus ſuper te famem, & eſuriem, & de cœlo deſcendit ſuper te cinis donec conteritis. Et ita propter peccata populorum in tantum Deus percuſſit terras fame, ſiccitate, & & ſterilitate, quod inhabitabiles factæ ſunt, teſte Pſalmiſta qui ait. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea. Econtrario autem facit Deus, vt terræ quæ malæ erant, bonæ reddantur, vt ſubdit ibidem.

Leuit. 26. *Deut. 28.* *Pſal. 10.6*

Poſuit

Posuit Desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. Vt ergo non efficiamur ingrati hac temporali sustentatione, summoperæ orandum est, ac gratiarum actiones reddendæ sunt Deo, in fine, & in principio mensæ.

Christus igitur (vt ad primum propositum redeamus) eleuatis oculis in cœlum gratias agens in manibus suis multiplicauit quinque panes, qui (vt inquit Augustinus) de paucis granis multiplicat segetes. Panes isti quinque vt semina fuere, non tantum in terram proiecta, sed ex his quæ terra produxerat, multiplicata. Et si quæras vnde Christus materiam tantæ multitudinis panis creauerit, dicendum est, quod ille qui ex sua omnipotentia hoc mirabile magnum fecit, Dominus omnium nouit in altissima sapientia sua. Legimus enim in Genesi, Deum ex dormientis Adæ latere costam desumptam in mulieris formam præparasse, locumque costæ carnibus impleuisse. Qui ergo costam in totam muliebris corporis potuit conformare imaginẽ per ipsius augmentũ multo facilius hic potuit ex quinque panibus tantam hominum multitudinem satiare, vt etiam fragmenta manerent. Vt autem impleti sunt, id est discumbentibus copiose refectis, ac satiatis, dixit Discipulis suis. Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant, sed pauperibus remanentibus pro viatico conferantur.

August.

Quomodo Christus quinque panes multiplicauit.

Gen. 2.

Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis, & duobus piscibus quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cum vidissent quod fecerat signum dicebant. Quia hic est veræ Propheta, qui venturus est in mundum.

Chrysost.

Admiratur hic Chrysostomus immensam Domini sapientiam, quod tantum omnino reliquiarum superfuit, vt cophini implerentur duodecim. Quod sanè mirari oportet non tantum quoniam superfuerunt panes, verumetiam, quia neque plures, neque pauciores, quam qui numero pares essent Apostolis cophini reliquiarum vt omnes gestēt, & neq; Iudas ipse expers relinquatur.

Ideo

Ideo merito ex hoc miraculo debebat didicisse magistrum suum esse Deum, & ex hoc profecisse, quamuis etiam hoc propter malitiam eius in condemnationem ipsius cesserit. Eum enim qui tantas reliquias fecerat, de quibus,& ipse cophinum portauit,prodidit. Miraculum istud tam magnumq́, & præclarum attonite mirabantur turbæ, dicentes. Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum, id est verus Messias in lege promissus.

Sed mistice loquendo, per quinque panes, quinque dona Spiritus sancti intelligi possunt, quæ sunt scientia,sapientia,intellectus,consilium,& fortitudo. Et per duos pisces, alia duo sequentia dona, scilicet, donum pietatis,& timoris, quæ numero sunt septem. *Mistica expositio.*

Primus igitur panis, reficiens animam, est donum scientiæ, quod in vera Dei cognitione consistere videtur. Statim enim cum quispiam istud primum consequitur donum contemplando opera Dei, considerat elementa, eorumque proprietates, qualiter in aliquibus qualitatibus contrariantur,in alijs autem sunt symbolizantia,& quomodo mouentur à corporibus cœlestibus,& præcipuæ Luna per motum,& influentiam dominatur eis. Luna autem mouetur à Mercurio, & ita consequenter vsque ad primum mobile, quod mouetur à primo motore.Illæ autem cum sit primus Motor immobilis, ipsum non habere principium, neq; finem opus est,& ex consequenti non esse compositum ex actu,& potentia, quare esse summum simplex pariter,& æternum,simul,& infinite virtutis euidens est.Et ita ex cognitione creaturarum potest quispiam deuenire præ donum scientiæ in cognitionem Dei. Quemadmodũ & summi Philosophi,de quibus Apostolus. Inuisibilia Dei à creatura mundi,per ea quæ facta sunt,& intellecta conspiciuntur.Sempiterna eius quoque virtus,& diuinitas, ta vt sint inexcusabiles. Quia cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt. *Primus panis.* *Rom. 1.*

Secundus panis,magis reficiens animam,est donum sapientiæ,quod per diuinarum Scripturarum testimonia, *Secundus panis.*

nia, non ſolum docet nos vnum Deum agnoſcere, ſed & Trinitatem perſonarum, Patrem, ſcilicet Filium, & Spiritum ſanctum. Incarnationem quoque filij Dei, necnon & omnes articulos fidei. Habens enim illud donum, mox incipit tam nouum quam vetus teſtamentum ſcrutari, & ita diuinorum ſecretorum conſequitur cognitionem, quemadmodum Apoſtoli, Eccleſiæque doctores illuminatiſſimi, quibus aiebat Chriſtus. Vobis datum eſt noſce miſterium Regni Dei, alijs autem qui foris ſunt in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Item

Matth. 12. Confitebor tibi Domine pater cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Hoc dono noui, & veteris teſtamenti, ſcripturæ ſincere & recte intelliguntur. Hoc dono

Donum ſapientiæ.

Luc. 24. Chriſtus illuſtrauit mentes Diſcipulorum vt intelligerent, quæ de ipſo erant, aperiens illis ſcripturas, Ideo ſapientiam ſanctorum narrabunt omnes populi. Hoc dono cæci Iudæi carent qui exteriori literæ legis ſunt affixi, ſuper quorum oculos velamen poſitum eſt, vt non poſſint intendere in faciem Moyſi. Hoc dono hæretici vocant, qui paulinas epiſtolas in quibus ſunt quædam difficilia indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas ad ſuam aliorumque

Ariſt. *Demoſth.* perditionem. Hoc donum Ariſtoteles, Demoſthenes, ceteríque Philoſophi ignorauerunt. Hoc eſt illud donum Spiritus ſancti de cœlo deſcẽdens à patre luminũ, quod neque naturæ beneficio, neque humana ratiocinatione aut ſtudio acquiritur, ſed ab illo illuſtrante da-

Eccl. 1. tur, de quo ſcriptum eſt. Omnis ſapientia à Deo eſt.

Iac. 1. Ideo Iacobus Apoſtolus. Si quis indiget ſapientia poſtulet a Deo, & dabitur ei, &c.

Tertius panis. Tertius panis eſt donum intellectus, quod in ſeruatia diuinorum præceptorum conſiſtit, & præcipue in illius magni præcepti de dilectione Dei. Cum enim quis tale donum adeptus eſt, incipit diligere Deum, ſicut ipſe præcepit dicens. Diliges Dominum Deum

Luc. 10. tuũ ex toto corde tuo, & ex toto anima tua, & ex omnibus

nibus viribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum. Siquidem obseruare tam magnum & admirabile præceptum est donum Dei, dicente Propheta. Da mihi intellectum, id est, donum intellectus, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Necnon & aliud huic simile, scilicet, proximum tam amicum quam inimicum, sicut seipsum, vt Dominus ipse alibi ait, Diligite inimicos vestros, &c. *Matth. 5.*

Quartus panis

Quartus panis est donum consilij, quòd vltimum finem intuetur, & omnia media qbus huiusmodi finem consequi valemus. Quod enim prodest nobis agnoscere Deum nisi ei seruiamus, & nisi vtemur omnibus medijs quibus ipsum tandem possideamus? Siquidem per donum consilij iudicamus quàm suauis est Dominus, & beatus vir qui sperat in eo. Nam postquam aliquam cognitionem accipimus de Deo, orandum nobis est voluntatem etiam ad seruiendum ei capiamus, scilicet, in bonis operibus insignioribus: Nempe ieiunio, eleemosyna, & oratione, diuinis ue vocationibus & meditationibus. Hoc est illud donum quo audemus dicere. Volũtarie sacrificabo tibi, & cõfitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est. Hoc dono cognoscimus vltimã nostram felicitatem nõ esse in bonis huius mundi, sed in bonis æternis. Hoc dono finem nostrum amplectimur, & omnia media quibus tandem vna cum beatis possimus frui Deo. Huic spirituali consilio opponitur consilium humanum, dicente Psalmista. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat cõsilia principum. Consilium autem Domini manet in æternum.

De dono cõsilij.

Quintus panis

Quintus panis est donum fortitudinis, quòd in aggrediendo aspera, & in resistendo tentationibus consistit. Hoc dono res labentes forti animo contemnimus, nullis illecebris emollim᷑, nullis aduersis perturbamur, non lucris aut diuitijs vincimur. Hoc dono adulatione non flectimur, non fauore delinimur, nullius potentiæ terrore prosternimur, sed inuictum animum pro conseruatione Christianæ iustitiæ tenemus.

2. Tim. 3. Hoc dono omnia poſſumus in eo, qui nos confortat. Et nullum aliud eſt magis nobis neceſſarium, quandiu in hac vita viuimus, quæ militia eſt ſuper terram. Omnes enim qui pie volunt viuere in Chriſto, oportet in hoc mundo perſecutionem pati. Hoc dono agnoſcit quilibet an ſit verus Chriſti fidelis, dum perſecutionem patitur. Hoc dono inſtructi Apoſtoli, ibant à conſpectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, tribulationem, & mortem.

Primus piſcis. Primus piſcis eſt donum pietatis. Pietas enim idem eſt, quod animus pius erga proximum præcipuæ, cum quis charitatem amplectitur eleæmoſynas pauperibus elargiendo, hoſpitalibus ſeruiendo, & cum quis vtitur operibus miſericordiæ, vt Dei voluntatem exequatur, & obſequiũ Deo præſtet, quia fæneratur Domino qui miſeretur pauperis. Hanc pietatem nobis commendat
1. Tim. 4. Apoſtolus ita ſcribens ad Timothæum. Exerce teipſum ad pietatem. Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia valet. Hoc dono muniti, facile condonamus fratribus, libenter largimur egentibus, ſubuenimus oppreſſis, ac cetera miſericordiæ opera libenter præſtamus. Quam quidem miſeri-
Matth. 9 cordiam nobis Chriſtus mirifice commendat, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Secundus piſcis Secundus piſcis eſt donum timoris. Eſt autem duplex timor, ſcilicet ſeruilis, & filialis. Seruilis eſt, quo ſerui plagarũ timore metuunt Dominos ſuos, & Deus timetur, ne ſcilicet mittat in gehennam. Sed hunc timo-
Paulus. rem (teſte Apoſtolo) perfecta charitas foras mittit. Timor autem caſtus, & filialis, eſt timor ſyncerus abſque prauo affectu, quo præditi mandata Dei cum quadam reuerentia, & ex intimo affectu cuſtodiunt. Semper ſolliciti ne alicubi offendant, ſuam ſalutem in timore, ac tremore operantes, quos Dauid beatos pronunciat. Beati, inquit, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. De quo timore alibi idem Propheta dixit, Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi.

Vtri-

Vtriusque timoris exemplum ponit Augustinus in Psalmo 127. Fingit enim duobus timoribus similes esse duas vxores. Pone (inquit) aliquam mulierem castam timentem virum. Aliam pone adulteram etiam timentem virum. Casta timet ne discedat vir, adultera ne veniat. Casta timet, quia virum amat, eius optans præsentiam, cui se castos debere amplexus agnoscit, cogitatque tantum vt placeat viro suo. Adultera vero timet virum, quia adhuc nequitiam amat, plusquam maritum. Et grauis est illi, mariti præsentia. Cui si speraret occultum fore, adulterum committeret. Illius timor ex mariti reuerentia, & amore procedit, istius vero timor ex metu pœnæ proficiscitur. Admodum igitur castæ, & pudicæ mulieris se habet castus timor erga Deum, qui perpetuo curat ne offendatur Deus, ex ipsius amore, & reuerentia, amans sinceritatem, nequitiam fugiēs, cupiens tantum placere Deo, cui se iungi equidem optat, dicens cum Apostolo. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Seruilis vero lōge secus se habet, quia odit peccare non Dei amore, sed formidine pœnæ. Talis autem timor non est donum Dei, sed ille castus, & filialis timor, quo Deus amore timetur.

August.

Pulchra similitudo de duobus timoribus.

Paulus.

Hæc septem dona Spiritus, Primo habuit Christus, iuxta illud Isaiæ. Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectus, Spiritus Consilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientię, & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.

Dona spiritus in Xpo. Isa. 21.

Si quidem apparuit in eo Spiritus Sapientiæ, quando mysterium incarnationis dæmonibus occultauit.

Apparuit Spiritus intellectus cum Pastoribus, & Magis, necnon & animalibus brutis suæ incarnationis cognitionem præstitit, quia cognouit Bos possessorem suum, & Asinus Præsepe Domini sui.

Apparuit Spiritus consilij cum adolescentulo consuluit, dicens: Si vis perfectus esse, Vade, & vende omnia quæ habes.

Rursus, Spiritus fortitudinis quo diabolus eiectus est de mundo.

Proinde, Spiritus scientiæ, cum esset annorum duodecim in medio Doctorum disputationis Prouinciam assumpsit.

Item. Spiritus pietatis, quando pro persecutoribus orauit.

Apparuit denique in eo Spiritus timoris saltem naturalis, quando tempore Passionis cœpit pauere, & tedere. Timorem etiam filialem habuit erga Patrem. Communicauit præterea hæc septem dona spiritus Apostolis suis, quando in die Pēthecostes misit eis Spiritum sanctum in linguis igneis, vt legem igneam prædicarent, ignea quæ verba proferrent. Et propter septem proprietates ignis conuenientes septem donis Spiritus sancti. Ignis enim alta humiliat, emollit dura, restringit fluida, illuminat obscura, clarificat aurum, calefacit frigida, sursum tendit. Ita Spiritus sanctus humiliat corda nostra per donum timoris, emollit per donum pietatis, fortificat per fortitudinis donum, illuminat per donum scientiæ, clarificat per donum intellectus, calefacit p donum consilij, sursum eleuat per donum sapientiæ. Rursus sicut ignis, ita, & Spiritus sanctus extinguitur per ventum superbiæ, per libidinis aquam, per separationem lignorum, id est discordiam. Conseruatur insuper per suppositionem lignorum, id est bonorum operum, per appositionem cineris, id est mortis meditationem, per insufflationem feruentis desiderij suspiria concipiendo, per custodiam contrariorum, scilicet à peccatis.

Conditiones ignis conuenientes septem donis.

Hoc septem dona Spiritus fuerunt etiam in primis operibus Dei creaturæ præfigurata.

Dona spiritus figurata in operibus Dei.

Nam prima die, facta est lux, in qua denotatur donum timoris. Lux enim timorem incutit. Nempe Saluatore nato, pastores timuerunt timore magno, quando claritas Dei circumfulsit eos. Apostoli quoque in transfiguratione, dum resplenduit facies Christi sicut sol. Pariter, & mulieres in ipsius Resurrectione visa claritate vultus Angeli, quibus dixit, Nolite expauescere, &c.

Secunda die, factum est firmamentũ diuidens aquas superiores ab inferioribus, ad denotandum donum sciẽtiæ seiungentis veram scientiam a falsa.

Tertia die, fecit Deus germinare terram, arbores quoque producere fructus per donum pietatis.

Quarta die, Solem, & Lunam, in quibus donum consilij pulcherrime figuratur per hæc duo luminaria magna intellectum, scilicet, & voluntatem.

Quinta die, fecit volatilia cœli, & pisces maris, ad donum fortitudinis insinuandum.

Sexta die, factus est homo in animam viuentem, in quo non inepte notatur donum intellectus.

Septima die, requieuit Deus ab operibus suis per donum sapientiæ.

Non est ignorandum præterea septenarium numerum esse perfectum, ex primo ternario in pari, & primo quaternario pari consistentem. Dicitur autem perfectus, quoniam incipiendo à binario vsque denarium, omnes alij ab septenario producunt, vel producuntur, vt bis duo sunt quattuor, bis tria sunt sex, & bis quattuor sunt octo Septenarius autem numerus à nullo producitur, nec producit, Ideo Pithagorici ipsum esse perfectum, Virginem, & Mineruam ingenue fatebantur. Deus igitur qui solus nullam nouit imperfectionem, ferè omnia in numero septenario condidit, & ordinauit. Siquidem septem Planetis corpora inferiora naturaliter reguntur, & cœlum ornatur. Septem in Tauro Virgiliæ, Septem in Polo Arctico Triones sunt, Septem circuli circumaxis longitudine, Sex diebus operatur est Deus, & septimo die requieuit ab operibus suis. Septẽ Mundi ætates, Septem diebus mulier erat immũda, Septẽ diebus offerebant Holocausta. Septẽ boues, & septẽ spicas, vidit Pharao Septẽ diebus azima comederunt Iudei, Septẽ virtutibus, tribus Theologicis, & quattuor Cardinalibus, Christus animam adornauit. Septẽ Sacramentis, & principalioribus fidei Articulis, Christus Ecclesiam dotauit. Librum signarum Septem sigillis Ioannes vidit in Apocalypsi: & Septem candelabra

De numero septenario.

lucentia ante Altare: ac Septem cornua Agni immaculati, qui sunt septem spiritus Dei. Septem quoque capita Draconis. Vidit insuper Ioannes Septem Angelos, habentes septem plagas nouissimas, ac septẽ phialas iræ Dei: & alios Septem Angelos, cum septem tubis, locutaque sunt septem tonitrua. Scripsit etiam Septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia. Fuerunt proinde Septem Sapientes: suntque Septem dies Hebdomadis: ac Septem opera Misericordiæ: Septem horæ Canonicæ, & Septem Artes liberales: & tandem Septem dona Spiritus sancti, de quibus supra.

Concio de sacramento Eucharistia

Potest etiam super hoc Euangelio fieri concio de sacramento Eucharistiæ, quoniam manifestaturus Dominus hoc venerabile Sacramentum Altaris, corporis, & sanguinis sui, quod in sui memoriam relicturus erat perpetuam, magnum, & eximium prius exhibuit miraculum in specie panis, quoniam in eadem specie Sacramentum illud erat instituturus, vt animos audientium permoueret ad credendam sublimem huius Sacramenti altitudinem. Dicebant enim Iudæi, quemadmodum etiam ex his temporibus clamant recentiores hæretici: quomodo, inquiunt, potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum? Id autem posse se facere Dominus, docet hoc admirando miraculo, quando quinque milia hominum ex quinque panibus, & duobus piscibus satiauit. Nam si naturam solam consideremus, vtrunque est impossibile, sed apud Deum possibile est omne opus. Id etiam clarius liquet in subsequenti Dialogo, inter Christum, & Iudæos. Vide librum Disputationum, &c.

FERIA SECVNDA QVARTAE Dominicæ Quadragesimæ, super Euangelio Ioannis.

Ioan. 2

Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Et inuenit in Templo vendentes Boues, & Oues, & co

& Columbas, & numularios ſedentes. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo. Oues quoque, & Boues, & numulariorum effudit es, & menſas ſubuertit. Et his qui Columbas vendebant, dixit. Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negociationis.

Ioannes ſcripſit hoc Euangelium omnibus Chriſti fidelibus, pluſquam ſexaginta annis elapſis à Paſſione Domini, & iam deſtructa Hieruſalem, in qua ſola celebrabatur Paſcha Iudæorum, & propterea ad differentiam Paſchatis Chriſtianorum dicit. Propè erat feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam, cum quo aſcenderunt etiam mater eius, fratres, atque diſcipuli. Aſcendit autem Hieruſalem ut legem impleret, vt ſacrificia offerret, & orationum vota perſolueret, quemadmodum lex præcepit, & vt nobis exemplum daret cum omni vigilantia cordis, & reuerentia obediendi diuinis præceptis. Præceperat enim Dominus in Lege, vt omne maſculinum Iudęorum ter in anno appareret coràm Domino in loco quo licuit ſacrificia fieri, ſcilicet, in feſto Paſchæ, Penthecoſtes, & Tabernaculorum. Et licet interdum diſpenſabatur cum longe habitantibus quantum ad vltima duo feſta, tamen in feſtiuitate Paſchali præcipuæ tenebantur Iudæi legis præceptum ſeruare. Et inuenit Ieſus in templo, non in atrio Sacerdotum continente Altare holocauſtorum, ſed in anteriori atrio Templi, vbi vulgus orabat, & Doctores Legem docebant. Inuenit quippe in illo vendentes Boues, & Oues, & Columbas. Permittebant enim hæc omnia Sacerdotes, propter eorum auaritiam, vt ſupra dictum eſt Feria tertia Dominicæ primæ Quadrageſimæ. Fecerant enim Templum domum negociationis, & ſpeluncam latronum, in quo ſpolia quæ latrones rapiunt congregantur. Quemadmodum enim latrones in ſpeluncis ſuis latitantes, cum agnoſcunt mercatores diuites per nemora tranſire, ſtatim proficiſcuntur ad ſpoliandum illos. Cum autem ſciunt aliquos tranſire parum habentes, non exeunt de ſpeluncis,

Cur Chriſtus aſcēdit ad diem feſtum.

Exod. 23

cis, sed famulos mittunt. Ita clerici quam plurimi cum lucrum magnum agnoscunt, ad Ecclesiam currunt. Sed quando lucrum est modicum remanent in domibus, & se subtrahunt, aliosque clericos ad Ecclesiam mittunt, vt liquet in diuitum, & pauperum exequijs. Sed est plurimum considerandum, quòd Dominus voluit Ecclesiam materialem construi quadruplici de causa.

Quattuor de causis ecclesia construitur.

Primo, vt sit domus reconciliationis quo ad pœnitentes, iuxta illud Genesis. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.

Secundo, vt sit domus orationis, ipso dicente. Domus mea, domus orationis vocabitur.

Tertio, vt sit domus instructionis quo ad perfectos, secundùm illud Isaiæ. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, &c.

Isa. 2.

Quarto, iubilationis & laudis quo ad omnes, dicente Psalmista. In Ecclesijs benedicite Dominum. Rursus: Beati qui habitant in domo tua Domine. Efficitur autem Ecclesia spelunca Latronum, & domus negociationis, Quando diuinæ Scripturæ corrumpuntur ab hæreticis, Quando Sacramenta & beneficia venalia efficiuntur, Quando Sacerdotes Sacramentis, & Ecclesiarum beneficijs male vtuntur, Quando lucra magis, quàm salutem animarum sectantur in Ecclesijs. Ideoque Christus flagellum fecit ex funiculis, & eiecit omnes vendentes, & ementes de templo. Nempe funiculus primus, est infidelitas Paganorum. Secundus, obstinatio Iudæorum. Tertius, perseuerantia Christianorum in peccatis. His enim tribus funiculis eijciunt omnes de Tabernaculo Dei, & societate Sanctorum.

[illegible]ellum [illegible]

Recordati vero sunt Discipuli eius, quia scriptum est, Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi [illegible] ei. Quod signum nobis ostendis quia hæc facis? [illegible] Iesus, & dixit eis. Soluite templum hoc, & [illegible] tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi. Quadra-

5

ginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? ille autem dicebat de Templo corporis sui.

Loquebatur Dauid in persona Christi, cum dixit. Zelus domus tuæ comedit me, id est, affectio magna honorandi templum tuum ò pater, comedit me, id est, consumpsit & interfecit me. Huius igitur versiculi memores fuerunt Discipuli post resurrectionem Christi, post acceptum Spiritum sanctum. Est autem duplex zelus, videlicet carnalis & spiritualis. De primo sic loquitur Apostolus. Cum sit inter vos zelus & contentio, nõne carnales estis vos? Dauid quoque. Neque zelaueris facientis iniquitatem. De secundo, loquitur Heiyas ad Dominũ. Zelo, inquit, zelatus sum pro Domino exercituũ. Hoc zelo zelatus est Phineæs pugione perfodiẽs Zambri, & Cosbi, concubentes cum muliere Moabitas, pro quo meruit pactum sacerdotij sempiterni. Hoc zelo accendi debemus, Dei honorẽ, proximorum correctionem, iustitiæ obseruationem cordialiter affectantes, eorum quoque impedimenta pro viribus dissipantes. Est igitur hic zelus feruor animi, quo mens abiecto humano timore, pro defensione veritatis humanæ accenditur. Et ita secũdùm Augustinum ille, zelo domus Dei comeditur, qui vniuersa mala quæ videt studet corrigere. Quod si non potest, tolleret & gemit. Dum ergo Discipuli viderunt Christum hũc zelum exercuisse pro honore patris sui & emundatione domus suæ, ac populi correctione, agnouerunt scripturam illam psalmographi in Christo esse completam.

Duplex zelus.
1. Cor. 3
3. Reg. 19.
Num. 25.
Quid sit comedi zelo Dei.
August.

Responderunt ergo Iudæi corrigi nolentes & superbi, dicentes. Quod signum, id est, quale ergo miraculum ostendis nobis quia hæc facis, per quod sciamus tibi licitum esse hæc facere. Tanquam dicerent, Eiectio talis non spectat ad te, nec tua interest corrigere nos & Sacerdotum opera, cum non habeas auctoritatem, nec sis Sacerdos, neque Propheta. Et si huiusmodi auctoritatem habere profiteris, ostende signum quo sciamus tibi diuinitus commissam potestatem.

At Iesus respondens, dixit eis. Soluite Templum hoc. Illud enim signum demonstratiuum poterat ostendere corpus Christi, quod erat diuinitatis Templum, de quo loquebatur. Soluite ergo Templum hoc per mortem. Si quidem soluitur, cum separatur anima à corpore. Et in tribus diebus, id est, tertia die repente, ego excitabo illud, per resurrectionem, reuniendo animam ipsi corpori. Poterat insuper illud signum demonstratiuum ostendere illud materiale Templum, quemadmodum arbitrabantur Iudæi. Ideo dixerunt, irridentes ei, optantesque redarguere verba eius. Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, à Neæmia, & Zorobabel, prophetantibus Aggæo, & Zacharia. Non quòd Iudæi quadraginta & sex annis continue perseuerauerint in ipsius ædificatione, sed quoniam à tempore quo cœperunt Templum ædificare, vsque ad ipsius consumationem fluxerunt tot anni.

3. Esd. 2. Agg. 1. Zac. 6.

Interim enim frequenter retardabantur, propter quamplura Gentilium impedimenta, regiamque prohibitionem, vt patet in libro Esdræ. A primo si quidem anno Regis Cyri qui licentiam dedit Iudæis ædificandi Templum, vsque ad sextum annum Darij Regis, quo consumatum est Templum, quadraginta sex annos fluxisse leguntur, vel circa. Voluerunt igitur ita arguere Iudæi. Cum hæc domus sit tanto tempore fabricata, quomodo tu poteris in tribus diebus reparare illam? Id enim impossibile videtur. Iesus autem loquebatur de Templo corporis sui, in quo diuinitas, & anima Christi per beatificam fruitionem morabatur. Quibus verbis ostendit Christus se esse Deum omnipotentem, cui omnia licet. Nam seipsum à morte resuscitare non competit nisi Deo, mortali natura induto. Merito autem peruersis, induratis, incredulisque Iudæis datur signum obscurum præteriti temporis rememoratiuum, sicut Regi Achaz. Huic simile signum futuræ Incarnationis datum est, dicente Isaia. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, &c.

Duplex tēplum Dei, spirituale, & materiale.

Isa. 7

Cum

Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt Discipuli eius, quia hoc dicebat de corpore suo. Et crediderunt Scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus.

Subiungit proinde Euangelista dispositionem Discipulorum post Resurrectionem Christi, circa hoc dictum, quod ad memoriam reuocauerunt. Et non statim post Resurrectionem, sed postquam Christus aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas. Vnde clare constat Discipulos tunc non intellexisse verba Christi, dicentis. Soluite Templum hoc, sed post resurrectionem, vt dictum est. Et crediderunt Scripturæ Prophetarum, loquenti de Christi Passione, & Resurrectione, ac sermoni præmemorato, quem dixit Iesus, videlicet, soluite Templum hoc, &c. Discipulos nempe ante Resurrectionem non habuisse perfectam intelligentiam Prophetarum eloquiorum euidens est. Credebant tamen illa esse vera, sed resuscitato Christo, perfectiorem notitiam sortiti sunt.

Quomodo Discipuli crediderũt verbis X̄ſi.

Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimoniũ perhiberet de hoĩe. Ipse enim sciebat quid esset in hoĩe.

Existente Domino in Hierosolymis in Pascha, hoc est in solemnitate Paschali continente septem dies, multi crediderunt in nomine eius asserentes ipsum esse Christum, ac verum Prophetam in Lege promissum. Non tamen suspicabantur ipsum esse filium Dei naturalem. Causa vero credulitatis subiungitur, videntes signa eius quæ faciebat. Qualia autem fuerint hæc signa non commemorat Euangelista. Fecit tamen ibidem miracula magna, propter quod Nicodemus dixit ad eum. Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum eo. Supernaturalis quippe doctrina supernaturalibus argumentis, seu diuinis miraculis erat comprobanda, vt tam certa sit fidei veritas, quàm certum est Deum falsitatis non esse confirmatorem, cooperatorem, vel assertorem.

Ipsæ autem Iesus non credebat semetipsum eis. Et quid est dicere, Iesum non credidisse semetipsum eis, nisi, quod ipse non committebat semetipsum eis, tanquam fidelibus, constantibusque amicis. Nec voluit inter eos conuersari tanquam inter Discipulos veros. Et licet dicat Euangelista quod ipsi crediderunt in nomine eius, non habebant tamen fidem spe, & charitate formatam, stabilem, & firmam. Illi enim sic credabant in Iesum, quemadmodum principes sacerdotum, de quibus infra ita loquitur Ioannes. Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur. Dilexerunt enim gloriam hominum, magis quã gloriam Dei. Huiusmodi autem non vere credunt, teste Saluatore qui ait. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis. Loquitur ergo Euangelista secundum communem modum loquendi, quo aliquis dicitur se ipsum alteri credere, quoniam illius fidei se committit, certus de amicitia, & fidelitate eius. Sed cur Christus non credebat semetipsum illis, subditur ratio. Quoniam ipsæ nouerat mentes hominum, & abditas voluntates, quo Deus esse declarabitur, cuius proprium est corda, & renes scrutari. Et quia opus non habet vt quis de homine testimonium ferat, cum ipsæ apertissime sciat quidquid siue bonum siue malum fuerit in homine. Quemadmodum Salomon ita pulcherrime fatetur. Tu domine solus nosti corda omnium hominum. Et in Apocalypsi, ipsæ dominus de seipso testatur. Et scient omnes ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda, & renes.

Quomodo Christus nõ credebat semetipsum Iudæis. Ioan. 12. 3. Reg. 8. Apoc. 2.

Et quia dicitur in Euangelio, quòd Iesus non credebat semetipsum Iudæis, eo quod ipsæ nosceret interiora omnium hominum, & quid bonum, vel malum sit in homine, ideoque potest hic fieri concio de prædestinatione, & primo quid sit prædestinatio, & de tribus terminis ipsius prædestinationis. s. initio, medio, & fine. Quorum extrema sunt æterna, medium autem est temporale, vt clare liquet primo Tomo, scilicet libro disputationum,

Concio de prædestinatione.

tationum, tractata de prædestinatione, in primo, & secundo Compẽdio cum Historia Rebeccæ, vxoris Isaac, gestantis in vtero duos gemellos, Iacob, & Esau.

Deinde de quattuor fundamentis prædestinationis, quorum. Primum est, quòd Deus cognoscit omnia præsentialiter simul perfecte, & immutabiliter.

Secundum, quomodo cognitio Dei cum sit vna, & eadem, tamen respectu nostri multipliciter nominatur.

Tertium, de regina Sabba quomodo venit audire sapientiam Salomonis, & tria quæsiuit ab eo concludendo illud Apostoli. Quos Deus præsciuit conformes fieri imaginis filij sui, illos, & prædestinauit.

Quartum, quomodo Deus quæcunque non videt reprobat, & approbat, ita ab æterno eodem lumine illa eadem intuebatur, reprobabat, vel approbabat. Antichristus enim, est iam senex in conspecti Dei. Ideo Deus sua misericordia qua videbat opera nostra bona futura, nos elegit ante mundi constitutionem, pariter, & iustitia sua qua reproborum opera mala intuebatur in illa æternitate reprobati fuerunt. Igitur misericordię Dei attribuenda est nostra prædestinatio, sicut iustitiæ suæ malorum reprobatio. O mulier si tu es ab æterno prædestinata causa est, quia Deus qui omnia videt opera tua bona futura intuebatur. Quamobrem ille sua misericordia te elegit, non primo propter huiusmodi opera bona, tum quia nondum erant, tum quia parui momenti. Da igitur gloriam Deo, & nos cum Apostolo dicamus. Non ex operibus quæ fecibus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Ita dicẽdum est de viro malo, quem Deus sua iustitia reprobauit, propter futura mala, in quibus vsque ad finem vitæ perseueraturus erat. Et huius probatissimæ opinionis est etiam Hieronymus in prologo super Malachiam Prophetam. Hieron.

Rursus, considerandus est finis prædestinationis nostræ, qui est æternę beatitudo, felicitasque perpetua. Qui quidẽ finis sine debitis medijs minime acquiri potest quia omnia quę à Deo sunt ordinata sunt, & nunq̃

perue

peruenitur ad aliquem finem nisi per debita media, vt liquet multis exemplis.

Quomodo finis nostræ prædestinationis multis medijs acquiritur.

Primo, de Angelis, & corporibus cœlestibus, quæ omnia ad finem nostrum sunt ordinata. Nam Deus se solo creauit mundum, sed noluit se solo regere mundum, sed mediantibus Angelis, & hominibus, vt quilibet homo suum consequatur finem.

Secundo, constat de agricola seminante, quoniam multis medijs acquiritur panis naturalis finis humanæ naturæ.

Tertio, de viatore, ante quam ad suum proficiscatur finem per quot media transit.

Quarto, de medijs datis à Christo, quibus homo suam beatitudinem consequi potest, vt ibidem Pater. Deinde discurrendo media prædestinationis, quam Apostolus assignat ibi: Quos Deus prædestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, & quos iustificauit illos, & magnificauit. Cum exemplo de calamo, & scriptore, quomodo debemus omnia Deo attribuere. Ideo Augustinus: Initium salutis nostrę Deo miserante habemus, &c.

Paulus.

August.

Præterea quomodo illa quattuor quæ sunt in Christo, videlicet, Verbum, Incarnatio, Passio, Resurrectio comparari possunt ad ista quattuor, scilicet, Prædestinationem, Vocationem, Iustificationem, & Magnificationem, vt ibidem. Deinde quomodo de illorum quattuor, duo sunt ad diuinam Sapientiam pertinentia, alia vero duo ad nostram considerationem. Ideo redarguitur insolentia multorum qui audent loqui de Prædestinatione, ignorantes quid sit Prędestinatio, nescientes Scripturarum profunditatem. Ideo illis duobus extremis prætermissis, scilicet, Prædestinatione, & Magnificatione, tantum considerare debent ea quæ sunt intermedia, vocationem videlicet, & iustificationem, quæ humanæ sapientiæ congruunt, de quibus homo aliqualem cognitionem habere potest, qualiter, & quomodo, & quibus modis Deus vocat hominem internis. s. inspirationibus, concionatoribus, euangelicis documentis, mina-

nitionibus, increpationibus, &c. Et de ipſius iuſtificatione quonammodo iuſtificatur à Deo, & de magnitudine gratiæ ac iuſtificationis beneficio, qualiter bis iuſtificatur homo, ſcilicet, fide, ſpe, & charitate, deinde operibus bonis prætermittendo curioſæ quærere cur Deus elegit Petrum, & non Iudam, cur mali, & reprobi creantur, cuius quadruplex eſt reſponſio. Nec audacter aſſerere, ſi ſum prædeſtinatus neceſſario ſaluabor, quia quemadmodum Deus non præſtat nobis victum, & veſtitum, nec infirmis præſtat ſanitatem niſi debitis medijs concurrentibus, ita non eſt nobis præſtaturus vitam æternam niſi mediante fide, & operibus bonis. Omnia vt ibidem.

FERIA TERTIA QVARTAE dominicæ Quadrageſimæ, ſuper Euangelio Ioannis.

IAm die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat, & mirabantur Iudæi dicentes. Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? Reſpondit eis Ieſus, & dixit. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoſcet de doctrina, vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar. *Ioan. 7.*

Erat feſtiuitas tabernaculorum ſeptem diebus ſolemnis, & iam die feſto mediante quarto, ſcilicet, die, aſcendit Ieſus in templum Hieroſolymitanum, & docebat ea quæ filium Dei docere decebat in aſſumpto homine & præcipue legis intelligentiam, vt non in littera ſolum ſiſterent, ſed apprehenderent illam veritatem ad quam facta erat, Aenigmata quoque, & vmbra ſcripturarum educebat in lucem, nec non, & vaticinia prophetarum docendo, ad terminum perducebat. Scripturas inſuper ore facundo diſerta lingua proferebat, adeo vt in admirationem ſui traheret animos auditorum, eorum preſertim qui educationem eius agnouerant quod nunquam fuerit in ſcholis, vt ex admiratione mu- *Quæ docebat Chriſtus.*

tua dicerent. Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? Chriſtus enim ad veritatem humanitatis oſtendendam, & ad legem cuſtodiendam voluit circuncidi, præſentari in Templo, fugere in Aegyptum, ſubdi parentibus, baptizari, ieiunare, comedere, bibere, fatigari, dormire, lacrymari, & cetera talia. Addiſcere vero ab hominibus recuſauit, tum quia addiſcere ignorantiam præſupponit, & ignorantiæ malitiam, & vitium, quia omnis ignorans malos, tum quia ipſæ erat ſapientia Patris, ideo mirabantur. Admiratio quippe conſurgit cum aliquid noui apparet, cuius cauſa ignoratur. Illud vero nouum, & inſolitum fuit, quod ipſi neſciebant Chriſtum eſſe illum, de quo Iſaias ita vaticinatus eſt. Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, &c. Latuit eos Ieſum eſſe Deum, & hominem, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, qui ſecundùm naturam aſſumptam accepit à Deo omnium præſentium, præteritorum, & futurorum plenam ſapientiam ab incarnationis exordio. Ideo Chriſtus propter eorum ignorantiam, dixit eis. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me. Sed ſi iuxta Dialecticorum dogmata nulla propoſitio verior eſt, quam illa, in qua idem affirmatur de ſeipſo, & nulla falſior, quam illa, in qua idem de ſeipſo negatur, quomodo ergo ait, Mea doctrina non eſt mea? Si mea, quomodo non mea? Si non mea, quomodo mea? Ergo doctrina Chriſti, non fuit Chriſti. Dicendum eſt, quod ſi per doctrinam Chriſti intelligamus illam æternam ſapientiam, quæ à Patre procedit, quæ eſt ipſemet filius, equidem verum dixit, quia quidquid habet filius, habet à patre, à quo & ipſe genitus eſt. Pariter & ſi per doctrinam intelligamus illam ſapientiam à principio ſuæ Incarnationis infuſam, rectè dixit, Mea doctrina, hoc eſt Euangelica prædicatio, quam profero lingua carnis, & ideo mea, non eſt mea, ex auctoritate carnis, ſiue humanitatis, ſed eius, qui miſit me Patris, cui æqualis ſum in forma deitatis. Referebat enim Chriſtus omnem ſuam pote-

Cur Chriſtus noluit ab hominibus addiſcere.

Iſa. 11.

Mea doctrina non eſt mea, quomodo intelligitur.

potestatem, omnemque doctrinam in Patrem. Tum quia omnia recepit à patre, tum quia missus fuerat ab eo. Et loquebatur, quæ Pater dicenda mandauerat, quemadmodum doctrina, & sermo oratoris, non est oratoris sed eius qui misit eum. Vnde si legatus quispiam quæreretur cuius esset legatio respondere posset, mea est legatio, quia mihi commissa. Et non est mea, quia non auctoritate propria, sed illam ab alio missus accepi.

Deinde subdit. Si quis voluerit voluntatem eius facere, hoc est Deo patri obedire, eiusque præcepta seruare, mihi quoque vnico filio suo credere, cognoscet per experientiam quandam, & per admirabilem certitudinem ex diuina illustratione manantem, de doctrina, hoc est, Euangelica disciplina, quam doceo, vtrum ex Deo sit, & mihi à Patre collata consistat, an ego à meipso loquar, id est proprio corde eam confingam. Qui enim voluntatem Dei facit dono sapientiæ meretur impleri ad cognoscendum ea quæ fidei sunt. Meretur quoque supernaturaliter consolari, ineffabiliterque delectari in Domino, & certificari ab ipso, per quæ in omni veritate fidei prorsus certissimus efficitur, ita vt nihil ei videatur rationabilius, certius, pulchrius, assertionibus fidei benedictæ.

Qui facit voluntatē Dei multa cōsequitur.

Talis insuper certissime scit, quod in Christiana lege præcipuæ condemnatur omne pactum cum dæmone, omnis operatio magicæ artis, & ita cognoscit miracula Christi, & quæ sancti operati sunt non esse facta dæmonis operæ, arteq; magica, sed auctoritate diuina.

Talis præterea cognoscit, quam sancta, perfecta, simplex, & pura, sit Christiana religio, in qua omnia ad diuini amoris perfectionem sunt ordinata. Scit etiam quam virtuosi fuerunt Patres, quam patientes, casti, & humiles, quam charitatiui, contemplatiui, veraces, atq; pacifici, & quam diuina sit Christi doctrina.

Hæc sunt dona, quæ consequuntur illi, qui per mandatorum obseruantiam seruiunt Deo. Proinde subiungit Dominus.

Qui à seipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit. Dæmonium habes, quis te quærit interficere?

Orator ab aliquo Rege missus, si loquatur nomine Regis quæ loqui non est iussus, à seipso loquitur, mendax est, necnon, & gloriam suam, non regis quærit. Si vero solum loquatur ea, quæ loqui iussus est, verax est, non suam, sed regis sui voluntatem atque gloriam quærens. At quia Dominus nihil loquebatur nisi illa quæ iussus fuerat loqui, ideo neque gloriam suam, sed patris quærebat, neque voluntatem suam vt suam volebat, licet voluntas pariter, & gloria ipsius, & patris non esset diuersa, sed eadem, Quamobrem verax erat, & iniustitia non erat in eo vlla, sed nec esse poterat. Rursus, quemadmodum illi qui faciunt voluntatem regis qui suum misit oratorem palam agnoscunt sermonem oratoris non esse oratoris, sed regis qui miserat illum. Ita qui faciunt voluntatem Dei sciunt doctrinam Christi esse à Deo. Iudæi vero si Dei voluntatem facerent, vt ipsi se facere ore fatentur, profecto agnoscerent Prophetam illum quem occiderunt fuisse verum Messiam in lege promissum, verba Dei proferentem. At quia ipsum non agnoscunt, ideo facere voluntatem Dei minime possunt. Et hoc est quod subdit Dominus. Nonne Moyses dedit vobis legem Deo iubente per Angelum suum, qui inter cetera præcepit, insontem, & iustum non occides? Et nemo ex vobis facit legem. Illæ enim legem facit, qui implet ea quæ in lege præcipiuntur. Præsertim enim hic sermo ad eos dirigebatur qui conspirauerant in mortem eius, & qui illis consentiebant: qui sane plurimi erant. Causam vero subdit cur nemo eorum faceret legem cum adiecit. Quid me quæritis interficere? In multis alijs legem non implebant, vt ex Matthæi capite vicesimo tertio, & plerisque aliis Euangelistarum locis licet intueri. Sed in hoc eos hic potiss.

Pulchra similitudo de oratore.

Exod. 23.

potiſſimum tranſgreſſionis arguit, quòd ipſum qui ſolus ſine peccato erat interficere volebant, quemadmodum fecerunt. Id autem Dominus manifeſtum fecit quod præcipue volebant ipſi eſſe occultum. Quamobrē dixerunt. Dęmonium habes, hoc eſt quaſi inſenſatus, & malitioſus loqueris, malum ſuſpicando de nobis, quaſi dicerent. Nemo te quærit interficere. Sed mentiti ſunt imponentes filio Dei inſaniam atque mendacium. Cui mendacio etiam blaſphemiam adebant, dicentes. Dęmonium habes. Quemadmodum contra eos teſtatus eſt Iſaias dicens. Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraël, ab alienati ſunt retrorſum. Quibus tamen Dominus ita moleſtiſſime reſpondit. *Iſa. 1.*

Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyſes dedit vobis circunciſionem non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus, & in ſabbato circunciditis hominem. Si circunciſionem accipit homo in ſabbato vt non ſoluatur lex Moyſi, mihi indignamini, quia totum hominem ſaluum feci in ſabbato? Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.

Hoc opus fuit quando Dominus ſanauit paraliticum triginta, & octo annos habentem in infirmitate ad piſcinam aquæ. Et mirabantur Iudæi quod in ſabbato ſanaſſet eum, & quod inſuper iuſſiſſet ei vt tolleret grabatum ſuum, & ambularet. Propterea dixit. Moyſes nonne Deo iubente, dedit vobis circunciſionem ita ſcribens in lege. Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus iuxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octauo circuncidetur infantulus. Non quod circunciſio ex Moyſe eſſet, ſed ex patribus, Abraham, Iſaac, & Iacob, & eorum ſucceſſoribus. Propter quod ad Romanos ait Apoſtolus. Dico Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circunciſionis ad confirmandas promiſſiones Patrum. Hoc Chriſtus adiecit ad oſtendendam magnitudinem præcepti circunciſionis, quaſi velit dicere. Nam ſi licebat partem hominis ſanare ſabbato, & inferre, & auferre quod ad ſanandum erat neceſſa- *Ioan. 5.* *Leuit. 12.* *Rom. 15*

rium non violando Sabbatum, quanto magis licet mihi Domino, hominem verbo curare in Sabbato, & homini tollere, & inferre quod sibi infirmo est necessarium, non violato Sabbato, & presertim cum non humana, sed diuina sit huiusmodi curatio? Quamobrem Iudæi ex hac lege Mosayca cognoscere debuerant id ei licuisse, & minime illi indignari, sed studere iustum iudicium facere, dicente Moyse. Quod iustum est iudicate. Ex quibus verbis manifeste constat omnes, quos Christus curauit in corpore, etiam in anima curasse. Propterea subdit. Nolite iudicare secundùm faciem, id est secundùm apparentiam tantum, & secundùm signa incerta, non secundùm corticem, & sensum exteriorem, sed iustum iudicium iudicate, hoc est iudicando decernite secundùm rationem informatam prudentiæ, regulatam iustitiæ, producentem secundùm ordinem iuris, & veritatem rei, dicente Isaia: Non secundùm visionem oculorum iudicabit homo, neque secundùm auditum aurium audiet, sed iudicabit in iustitia.

Pulchra ratio Christi.

Isa. 11

Propter igitur huiusmodi Christi dictum, scilicet, nolite iudicare secundùm faciem, & vaticinium Isaiæ, omnibus Iudicibus, Principibus, & Sacerdotibus, dantur decem regulæ ad rectum iudicium proferendum.

Decem regulæ omnibus iudicibus.

Prima, vt iudicium procedat ex lumine rationis, nō ex impetu Passionis, iuxta illud Iob. Quid perdis in furore animam tuam? Passiones quippe rectum iudicium rationis impediunt.

Iob 6

Secunda, vt iudicium sit absq; personarum acceptione, quemadmodum Moyses loquitur in Deuteronomio Dixi Principibus, & Iudicibus, quòd iustum est, iudicate, siue peregrinus sit ille, siue ciuis nulla erit distantia, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis cuiusque personam.

Deut. 8.

Tertia regula, vt iudex aliquorum, vel plurimorum fauore non moueatur, iuxta illud Legislatoris Moysi. Ne sequaris turbam ad faciēdum malum, nec in iudicio acquiescas sententiæ plurimorum, vt à vero deuias.

Exod. 25.

Quarta, vt causa dubia, vel ignota debitis medijs inquira

quiratur, dicente Iob. Causam quam ignorabam diligentissime inuestigabam. *Iob 29*

Quinta, ne propter timorem æquitas deseratur. Propter quod scriptum est: Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis. *Eccl.7.*

Sexta, ne iudex in iudicando plusquam oportet, vel decet alicui compatiatur, secundùm quòd Dominus præcepit in Lege. Pauperis non misereberis in iudicio. Et rursus: Non declinabis in iudicio pauperis Et alibi: Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. *Exod. 23* *Leuit. 19.* *Exod. 13.*

Septima, & aliarum potissima, ne iudices dona recipiant, iuxta illud Domini dicentis. Non accipies munera quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum.

Octaua, ne preces admittantur in præiudicium aduersariæ partis.

Nona, vt iudices alteram partem audiant, & quilibet æquanimiter suam causam proponere permittatur, secundùm quod legitur in Actis Apostolorum. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is, qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. *Act. 25.*

Decima, ne pœna excedat mensuram delicti, dicente Moyse. Iuxta mensuram culpæ, erit quantitas plagarum. Iudicium quoque fit ad vtilitatem eius qui iudicatur. *Deut. 25*

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis. Nonne hic est quem quærunt Iudæi interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid vere cognouerunt Principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit. Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit.

Ciues Hierosolymitani, qui melius, quàm alij nouerant machinationem Sacerdotum, Scribarum, & Pharisęorum, aduersus Iesum, dicebant. Nonne hic est quem quęrunt interficere? Tanquam dicerent. Vtique hic est.

Ecce palàm loquitur contra illos dicendo. Nemo ex vobis facit legem. Et quid me quæritis interficere? Et nihil ei dicunt, quasi timentes eum, vel scientes ipsum esse Christum. Ideo addunt. Nunquid vere cognouerunt principes, hoc est principales in populo, scilicet sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, ac seniores, presertim pontifices, quia hic est Christus? Ex eo quod silent, & loqui non audent.

Sed, & hunc scimus vnde sit. Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit. Duplicem enim generationem habuit Christus, æternam, scilicet, & temporalem. De secunda quidem loquebantur Iudæi dicentes. Sed, & hunc scimus, id est cognoscimus vnde sit, hoc est de qua progenie, & de quo loco, videlicet Nazareth Galileæ. Cum vero subdunt, Christus autem cum venerit nemo scit vnde sit, de prima generatione asserere videbantur, de qua Isaias. Generationem eius quis enarrabit? Et Malachias. Quis inquit poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans. Hieremias quoque. Quare venturus es quasi vir vagus, & fortis qui non potest saluare? Et iterum. Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Rursus Esaias. Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini qui reuelatum est? Verum est igitur quod nemo scit, hoc est comprehendere potest Christum secundum ipsius æternam diuinam, & ineffabilem generationem, sed nec generatio eius de virgine potest à nobis perfecte cognosci. Quis enim capere queat qualiter de clauso semper virginis vtero exijt verum Christi corpus?

Duplex Christi generatio.

Isa. 53.
Malach. 3
Hierem. 14

Clamabat ergo Iesus docens in templo, & dicens. Et me scitis, & vnde sim scitis: & à me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum. Et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

Ex magno salutis Iudæorum affectu, voce sonora clamabat Dominus in templo, quemadmodum (teste

ste Hieronymo)prædixerat Isaias. Clama necesses, qua si turba exalta vocem tuam. Dicebat quidem clamans. Et me scitis, id est secundum carnem, & vnde sim scitis, secundum carnis originem. Vel forte ironicæ, & econtrario sensu loquebatur ac si diceret. Dicitis quod me scitis, & vnde sim, sed neque me scitis, neque vnde sim scitis. Putatis quod me vltro ingesserim ad ea vobis prædicanda quæ vobis annuncio, at non ita est, quia à me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Et hic erat summus pater cœlestis de quo Isaias. Spiritus Domini super me. Et infra. Ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis aperitionem. Et subdit. Ego scio eum. Et si dixero quia nescio eum ero similis vobis mendax, qui fatemini me agnoscere, & vnde ego sim. Et quomodo Christus non cognoscet eum qui missus à patre semper erat cum patre in eiusdem naturæ maiestate, & potentiæ qualitate qui est ipsa per quem condita sunt omnia sapientia patris. Et subdit, Sed scio eum, quia ab ipso sum, vt filius, scilicet à patre, & ipsæ me misit. Erat siquidem magni concilij angelus, idest nuntius à summo Patre missus, & ea quæ nunciabat, non vt à se sed vt à summo Patre omnibus palàm loquebatur. Vbique patris qui miserat ipsum præferens honorem. Et ita in homine Deo, omnem hominem docens, omnia æterno Patri referebat. Hec autem cum dixisset Dominus. Iudæi cum nihil haberent quod contradicerent, nitebantur ipsum apprehendere, dicente Ioanne.

Hieron.
Isa. 42.
Isa. 61.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum.

Nemo, inquit, misit in illum manus quia nondum venerat hora eius. Nondum venerat hora qua noluit permittere se capi Non enim pro voluntate inimicorum suorum captus est, sed pro sua, id est quando voluit, quemadmodum scriptum est. Oblatus est quia ipse voluit. Et hæc videntes, & audientes multi de turba, cre

Isa. 53.

ba, crediderunt in eum. Considerabant quippe quomodo aduersarij eius nihil aduersus eum proficiebant, quomodo ex lege, & scripturis confusi, loqui non audebat, quomodo etiam alia omnia quæ alij clàm moliebantur ipse sciebat, & reuelabat, ideo crediderunt in eum.

Quattuor signa reproborum hominum.

Ex hoc Euangelio eliciuntur quattuor signa hominum reproborum.

Primum est, impugnatio agnitæ veritatis, quemadmodum Iudæi pariter, & hæretici contradicere veritati non desistunt. Dicebant enim Iudæi: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Quibus Christus. Mea doctrina non est mea, &c. Ita quilibet Catholicus concionator clamare debet. Mea doctrina non est mea, sed Dei, qui misit me. Tum quia fundamentum habet in Scripturis, tum quia auctoritate sanctorũ Patrum corroboratur, tum quia per Ecclesiæ determinationem fortificatur, quæ omnia virtute Spiritus sancti approbat, & confirmat.

Secundum signum est, ambitio, & superbia, propter quam eiectus est diabolus de cœlo, & Pharao submersus est in mari. Ibi, qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.

Tertium est, in obseruantia mandatorum Dei, ibi: Nonne Moyses dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit legem? Incipiendo à primo præcepto, vsque ad vltimum. Ideo omnes declinauerunt simul, &c.

Quartum est, iudicium falsum, & temerarium, scripturas tantum secundùm litteram, & corticem, non secundùm Spiritus sancti intelligentiam interpretando, necnon & humana opera secundùm apparentiam solum. Ibi: Nolite iudicare secundùm faciem ex innata malitia, odio, seu consuetudine mala, sed iustum iudiciũ iudicare, secundùm debitum iustitiæ &c.

Septem signa electorum hoĩum

Sunt præterea septem signa prædestinatorum, & electorum hominum, citra ea quæ in libro Disputationum scripsimus.

Primum, libenter audire verbum Dei, & legem eius. Ibi: Qui ex Deo est, verba Dei audit.

Secundum, Legem Dei in corde gestare, ibi. Lex eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius, scilicet à diabolo, quia non superabitur ab eo.

Tertium, Legem Dei in toto corde, & animo diligere, ibi: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum, scilicet, lethalis criminis.

Quartum, Legem Dei obseruare, dicente Apostolo: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Iacobus quoque: Estote factores legis, & non auditores tantũ. Ideo omnis qui audit verba mea (inquit Christus) & seruat ea, assimilatur viro sapienti, &c. Et alibi: Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Paulus.*

Quintum, dare propriam vitam pro defensione legis Christi, quemadmodum Mathathias ita alloquebatur filios suos, dicens: Æmulatores legis ò filij estote, & date animas vestras pro testamento Patrum. *1. Mach. 2*

Sextum, Legem Dei iugiter meditari, dicente Psalmista. Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Item: Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Rursus: Testimonia tua, meditatio mea est.

Septimum signum, Legem Dei alios libenti animo docere, iuxta illud Saluatoris: Qui seruauerit vnum de mãdatis meis minimis, & sic docuerit homines, magnus vocabitur in Regno cœlorum, &c. Potest igitur hic fieri concio de numero prædestinatorum, & reproborum, vt in Dominica Septuagesimæ liquet.

FERIA QVARTA DOMINICAE quartæ Quadragesimæ, super Euangelio Ioannis.

PRæteriens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate. & interrogauerunt eum Discipuli eius. Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus. Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestetur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius, qui misit *Ioan. 9.*

misit me, donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.

Cum Christus abscondisset se à Iudæis volentibus ipsum lapidare, & exisset de Templo, præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate. Vidit inquam non videntem se, iuxta illud Iob. Si venerit ad me non videbo eū. Et si abierit, non intelligam. Nam visio notat misericordiæ aspectum. Vidit ergo quia misertus est, dicente Psalmista. Respice in me & miserere mei. Item: Respice Domine in seruos tuos. Miseranda enim cæcitas condictio. Et interrogauerunt eum Discipulis eius. Rabi, quis peccauit, hic aut parētes eius vt cæcus nasceretur? De alterius cæcitate lumen sibi quærebant intelligentiæ. Nam cæcitas contingit in Israël vt illuminaretur gentium multitudo. Cuius peccato ergo cæcitas accidit ei, suo, an parentum? Putabant enim Discipuli sicut & amici beati Iob neminem in hoc mundo flagellari, nisi propter peccatum. Ideo quærunt cuius peccatum fuerit causa cæcitatis. Siquidem cęcus hic dum nascebatur, nullum præter originale peccatum habere potuit, parentes vero eius & actualia habebant. Quærunt ergo an originali culpa, an parentum crimine cęcitatis illi contingerit. Defectus enim corporales aliquādo contingunt ex culpa parentum in pœnam originalis peccati ad remedium culpæ ad exercitium patientiæ, ad vindictam malitiæ, sicut disponit iustus iudex.

Iob. 9.

Defectus corporales cur contingunt hominibus.

Pœna multis de caussis infligitur hominibus.

Sed vt clarius loquamur, non est ignorandum corporalem pœnam quæ hominibus infligitur, interdum respicere peccata præterita, præsentia, & futura. Siquidem pro peccatis præteritis multa passi sunt discrimina filij Israël, Maria soror Moysi, Dauid, Paraliticus cui dixerat Dominus. Vade, noli amplius peccare. Et alij quā plures, vt ab huiusmodi delictis expiarentur & mundarētur. Rursus, pro pręsentibus culpis tota Italia vexatā, ferro, fame, igne. Mali insuper iusto iudicio Dei propter nimia eorū scelera puniūtur, vt futura atq; eterna pęna in præsenti quodammodo inchoetur. Vt Pharao, Sodomitæ, Dathan, & Abyrō, Chore, Senacherib,

Antiochus, Herodes. Quinimo & ad illorum scelerum detestationem eadem corporali pœna puniuntur & eorum filij quemadmodum paruulos sodomitarum non excusauit ignorãtia quin ꝓ paterno scelere cęlesti igne consumarentur, dicente Domino. Ego sum Dominus Deus tuus fortis & zelotes, visitans iniquitatem patrũ in filijs, vsque ad tertiam, & quartam generationem. Itẽ, pro peccatis futuris ne labatur in eis passus est stimulum carnis Apostolus Paulus, etiam ad custodiam virtutum spiritualiumque bonorum, ne ob superbiam amittantur, ipso attestante qui ait. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus sathanę qui me colaphizet. Aliquando pœna ordinatur ad meritorum augmentum, & ad virtutis probatioem, seu manifestationem, quemadmodum Iob ita testatur. Probauit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit. Thobię quoque dixit Angelus. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. Sæpenumero temporalis pœna considerat diuini consilij dispositionem ad satisfaciẽdum pro alijs, sicut egit Christus, de quo Dominus per Esaiam. Propter scelus populi mei percussi eum. Postremo infligitur pœna ad gloriam conditoris manifestandam, qua de causa Lazarus obijt, vt à Christo ad Dei gloriam suscitaretur, dicente Saluatore. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt clarificetur filius hominis per eam. Et ita de cæco nato idem Dominus ait. Non peccauit hic, neque parentes eius, vt cæcus nasceretur, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Et signanter dicit opera Dei, quia plura sunt & non est tantum vnum opus.

Exod. 20. — 2. Cor. 12 — Iob 23. — Thob. 12. — Isa. 53. — Ioan. 11.

Deinde subdit. Me oportet operari opera patris mei. Non enim operatur filius nisi operante patre, quia opera patris, & filij sunt indiuisa. Et quæ sunt hæc opera patris? Nisi ad humani generis liberationem pertinentia. Hoc est dicere. Mea interest miseris subuenire, peccatores conuertere, infirmos sanare, debilia confortare, electos custodire, donec dies est, id

est,

est,durante tempore gratię,seu vita præsente sub Euangelica lege, de quo tempore per Esaiam, ita Dominus

Esa.49. asserit. Tempore accepto exaudiui te,& in die salutis adiuui te. Apostolus insuper. Ecce nunc tempus acce-

2. Cor.6. ptabile, ecce nunc dies salutis. Appellat enim totum tempus ab initio primi aduentus, vsque ad tempus secundi aduentus diem, ad similitudinem diei sensibilis. Consueuimus nanque opera nostra exercere, donec dies est,iuxta illud. Ortus est Sol, & exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam, vsque ad vesperam. Ratione itaque temporis idonei ad operandum cuiuscunque hominis appellatur totum tempus vitæ

Dies quid importat. suæ,vsque ad mortem. Vniuersale quoque tempus totius naturæ humanæ ad operandum est, vsque ad iudicium, eo quod vsque ad tempus illud liberum habemus arbitrium ad operandum bona,vel mala. Et vsque ad tempus illud extenduntur opera Christi spectantia ad primum eius aduentum,in quo gubernatio Ecclesiæ continuatur vsque in finem,ipso dicente. Ecce ego vo-

Matth. 19. biscum sum,vsque ad consummationem seculi. Venit nox,quando nemo potest operari. Hæc enim nox est tempus mortis, vel tempus secundi aduentus, in quo completa erit dies merendi,vel demerendi,& erit nox, hoc est tempus,in quo non poterit quispiam bona,vel mala efficere.

Postea sequitur. Quam diu sum in mundo,lux sum mundi. Siquidem quandiu Sol visibilis lucet,dies sensibilis est. Cum autem se abscondit,nox est. Ergo quandiu mentibus fidelium per gratiam lucet,dies est. Et vbicunque lucet,per eandem gratiam dies est. Vbi autem non lucet,nox est. Nunc igitur Iudæis,& Paganis nox est,& vniuerso penè mundo sedente,& iacente cæco opus esset, vt Dominus misericordiæ transiens videret illum, & oculos eius,vt cæci nati inungeret, vt iterum opera patris, opera summæ clementiæ, & inexcogitabilis bonitatis suo transitu manifestarentur, dicente Ioanne.

Hæc cum dixisset,expuit in terram,& fecit lutum ex sputo, &

to, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei. Vade & laua in natatoria Syloë, quod interpretatur missus. Abyt ergo, & lauit, & venit, videns. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant. Nonne hoc est qui sedebat, & mendicabat? Aly dicebant, quia hic est, aly autem nequaquam, sed similis eius est. Ille vero dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei. Quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit, Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad natatoria Syloë, & laua. Et abyi, & laui, & vidi. Et dixerunt ei. Vbi est ille? Ait. Nescio.

Iesus expuit in terram, & ex sputo, & terra, fecit lutum, quemadmodum a principio fecit hominem de limo terræ. Et liniuit lutum super organum clausum huius cæci, & dixit ei, Vade & laua oculos in natatoria Syloë, id est piscina, vel aqua. Nam fons Syloë, Oriens erat in pede montis Syon, descendens in vallem Iosaphat, cuius aqua in quodam stagno recepta, atque collecta, non longe a monte Syon, vocata est natatoria Syloë, id est piscina, ex fonte illo collecta. **Quid natatoria Syloe.**

Sed hic non incongrue quæri potest, cur Christus sapientia Patris nihil sine legitima causa efficiens, qui potuit solo nutu, solo verbo, solo imperio huic cæco visum præstare, lutum fecit, liniuit oculos cæci, & imperauit ei vt lauaret oculos ad natatoria Syloë? Respondendum est, quod non sine grandi misterio, non sine mistica ratione id contigit. Nempe per exteriora ista quæ fecit, palam insinuare voluit quonam modo, & ordine interior oculus illustretur. Quid est enim sputio in terra, nisi infusio diuinæ sapientiæ super humana corda? quoniam per saliuam, qua gustus cibos dijudicat, & lingua verba pronunciat, sapientia designatur, quæ in rebus diuinis saporem præstat. Linguam quoque erudit ad loquendum, quæ Dei sunt, cum discretione rectissima prout docet Apostolus. Sermo vester semper sit in gratia sale conditus. Et quid lutum, nisi cor humanum? Quoniam sensus, & cogitatio hominis proni sunt in malum, & ad terrena iugiter inclinan- **Pulchra q̃o** *Coloss. 4*

clinantur, nisi cor ipsum diuina gratia perfundantur, & eleuetur, propter quod mentes peccatorum dicuntur carnales, non suapte natura, sed inhęsione, & inclinatione. Et quid est lauare oculos suos in natatoria Syloë? nisi cor suum ab omni vitiorum caligine atque ignorantiæ cæcitate in fonte sapientiæ, scilicet, Christo purgare, quatenus se sciat sine virtute, & gratia Christi, & sine Dominicæ Passionis merito nihil boni efficere posse, sicut ipsæ testatur. Sine me nihil potestis facere, Christus enim cum sit fons sapientiæ missus in mundum, non inepte per natatoriam Syloë (quæ interpretatur missus) exprimitur.

Ioan. 15.

Cum autem aducunt qui illuminatus fuit à Deo, vicini, & ceteri qui eum viderunt cæcum, admirabantur. Quorum quidam id negabant, quidam fatebantur, alij palam veritatem prædicabant, Dei donum agnoscentes, & manifestabant lucis auctorem, quia vbique terrarum id cogniti dignum est. Nam ille homo Iesum, homo factus propter homines, id est, Saluator aperuit oculos cæci, quibus cęlestia percipere poterat. Sed alij ab illuminatis sciscitabantur vbi esset ille illuminator, sensibilem cognitionem eius qui sensibus cognosci non potest, requirentes. At illæ qui cæcus natus fuerat interrogatus respondit. Nescio, Erant enim qui interrogabant infideles, prout immediate subdit Ioannes.

Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis. Lutum posuit mihi super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam. Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij dicebant. Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum. Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit, quia Propheta est.

Increduli ergo vicini adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat, vt ipsi tanquam maiores ac religiosiores id opus iudicarent, remque diligentius examinarent.

minarent, vel ut ipsum violatione Sabbati coram Pharisæis accusarent. Erat autem Sabbatum, videlicet septima dies festiua, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos cæci nati. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset, vt aliquam calumniandi occasionem ex verbis cæci illuminati elicere possent. Ille autem dixit eis. Lutum posuit mihi super oculos, & laui in præfata Piscina, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis indurati, quidam cæciores cæcis. Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Sed mentiabantur asserentes Christum nō custodire Sabbatum, dicente Chrysostomo. Ipse potius Sabbatum custodiebat, qui sine peccato erat. Sabbatum enim obseruare, Spiritualiter est, non habere peccatum. Et hoc admonet Deus, quando commendat Sabbatum, dicens. Omne opus seruile non facietis in eo. Quod sit opus seruile, à Domino audite. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Isti ergo Sabbatum tantum carnaliter obseruabant, spiritualiter vero, & secundum Dei legis latoris intentionem, minime. Rursus: Sabbatum diem Domini significabat. Dies autem Domini est, in qua Dominus diuina operatur, vt dies homini, in qua humana operatur homo. Et ideo qua Dominus Deus erat, in suo die operabatur. Non opera quidem hominis, sed opera Dei. Quinimò nullus illuminat, nisi in suo die, qui Sabbato figurabatur. At miseri Iudæi non vident factum hominis, sed Dei, in Sabbato. Siquidem illuminatio cæci nati, non est opus hominis, sed Dei. Quomodo ergo audent appellare hominem illum, cuius opus est opus Dei? Certe potius considerare debuerant Sabbatum diem Domini esse, & in eo opus Dei esse factum. Non ergo homo, sed Deus operatus est, aut certe Deus, & homo, qui à Deo est. Ideo alij Pharisæi videntes id magnum opus, aduersus alios, dicebant. Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Per quod sentire videntur id impossibile esse. Et sic scisma, id est dissentio erat intereos, quemadmodum his temporibus inter hæreticos, &

Chrysost.

Quid sit obseruare Sabbatum spiritualiter.

Sabbatum dies Domini est, in quo fit opus Dei.

K fide

fideles, qui non audent conſcientia reclamante contra illuminationem gratiam iudicare, ſed veritatem ingenue fatentur. Nam quod falſum eſt, infirmum, & inconſtans eſt. Interrogant autem cæcum, dicentes. Tu quid dicis de illo qui aperuit tibi oculos tuos? Ecce ad quantum miſerabile iudicium ſunt inducti, vt quærant veritatem agnoſcere ab illo qui cæcus fuerat adeo cæci neſcientes ipſi diſcernere inter verum, & falſum. Ipſe vero reſpondit. Et verum quidem reſpondit, quod ille erat Propheta. Et ille quidem qui in lege expectabatur, de quo ita vaticinatus eſt Iſaias. Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Et tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. At ipſi quod illuminatus fatebatur, audire nolebant, quinimò ſtimulante ipſos infidelitatis conſcientia credere voluerunt, quod non fuiſſet cæcus natus, donec conuicti teſtimonio parentum non habuerant quo diffugerent, dicente Ioanne.

Iſa. 35.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuiſſet, & vidiſſet: donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos, dicentes. Hic eſt filius veſter quem vos dicitis, quia cæcus natus eſt? Quomodo ergo nunc videt? Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt. Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt. Quomodo autem nunc videat neſcimus, aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus, ipſum interrogate. Aetatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quia timebāt Iudæos. Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt quia ætatem habet, ipſum interrogate.

Conuocatis parentibus, dixerunt illis increduli Iudæi. Hic eſt filius veſter quem dicitis cæcum natum eſſe? Quaſi dicerent. Si id affirmatis, non bene dicitis. Nam quomodo nunc videret, ſi cæcus natus fuiſſet? Quo interrogationis modo innuere volebant id eſſe impoſſibile. Optabant enim pallio cooperire miraculum Chriſti, ſed non potuerunt. Voluiſſent inſuper parentes eius ipſum natum eſſe cæcū negaſſe. Quibus nihil

nihilominus viriliter responderunt. Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Hanc enim secundam particulam audire nolebant. Audierunt nihilominus etiam nolentes. De modo autem subdiderunt. Quomodo autem nunc videat, nescimus. Quis enim scire possit quomodo abdita, & secreta virtus diuina operetur in rebus? Diuinæ si quidem virtutis est operari, nullo nobis comprehensibili modo, necnon & modus eius operandi supra omnem modum est. Bene igitur, & congrue dixerunt. Quomodo autem nunc videat, nescimus. Rursus, Se nosce eum qui aperuit oculos eius dissimulauerunt, dicentes. Aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus, quanquam & id scirent, filio & his qui viderant rem ipsam palàm diuulgantibus. Sciebant etiam (vt verisimile est) eum qui aperuit oculos filij ipsorum Christum esse, atque Messiam. Sed reliquerunt particulam illam filio dicendam, cum subdunt. Ipsum interrogate quomodo, & quis oculos eius aperuit. Aetatem habet, ipsæ de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius (vt inquit Euangelista) quoniam timebant Iudæos. Conspirauerant enim, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Et quid est fieri extra Synagogam, nisi a congregatione, & communitate extrudi? Quemadmodum apud nos extra Ecclesiam eijci, est excommunicari. At illæ qui illuminatus fuerat animosæ, & generosæ pro suo illuminatore decertans, & quod timebant parentes, paruipendens Iudaicam illam excommunicationem confitebatur ipsum esse Christum, ideoque factus est alienus a Synagoga prout subdit Euangelista.

Malignitas Iudæorum magna erga miraculum Christi

Quid sit extra Synagogam fieri.

Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei. Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille. Si peccator est, nescio. Vnum scio, quia cum cæcus essem modo video. Dixerũt ergo illi. Quid fecit tibi? Quomodo aperuit oculos? Respondit eis. Dixi vobis tã & audistis. Quid iterum vultis audire? Nũquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ei, & dixerunt. Tu discipu-

lus eius sis, nos autẽ Moysi Discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus. Hanc autem nescimus vnde sit.

Vocato rursus eo qui cæcus fuerat, dixerunt Pharisæi. Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Sed quid est dicere da gloriam Deo? nisi confitere veritatem, quia Deus veritas est. Sic Iosue ad Achã qui furtum fecerat de anathemate Hierico, dixit. Da gloriam Domino Deo Israël, & confitere. Et hic erat quidam apud Iudæos adiurationis modus, ad veritatem extorquendam. Et quam confessionem ab eo requirebant? Siquidem istam, aut quod non fuisset cæcus natus, aut quod illuminationem istam miraculo recepisset à Deo, & non à Iesu. Ac si dixissent. Da gloriam Deo, & confitere quod hic homo peccator est, & solus Deus est qui illuminat. Hæc est gloria quam ipsum dare Deo volebant. Nos inquiunt scimus: nos Pharisæi, nos doctores in lege, nos qui iudices sumus scimus quia peccator est. O sceleratissimos homines ò mendaces, & blasphemos, Blasphemi quidem erant dicentes. Hic peccator est, attribuentes homini Deo, quod ei conuenire minime potest. Mendaces autem cum dicebant. Scimus, id quod simpliciter nesciebant, cum essent ignorantes. Ille vero quem gratia Dei illuminauerat, respondit eis. Si peccator est nescio. Et quidem probe, quia quod falsum est, sciri non potest. Vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video. In quo beneficium Dei agnouit, quod illi nolebant, & veram gloriam Deo dedit. Ex qua confessione destruxit illi mirum quod peccator esset, quæ eorum erat blasphemia, execrandumque mendacium. Dixerunt ergo iterum illi, Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Hoc rursus quærebant insidiose, vt possent aliquid reprehensionis elicere, tantumque miraculum obfuscare, & pallio cooperire. Timebant enim si miraculum illud diuulgaretur, quod propter nouitatem, & magnitudinem eius multi crederent Iesum esse Christum, & verum Messiam in lege promissum. Videns autem cæcus

Iosue 7.

Quid sit dare gloriam Deo.

Iudæi quomodo mendaces, & blasphemi.

cæcus

cæcus fuerat eorum insaniam, responsione sua eos magis insanire fecit, dicens eis. Dixi vobis iam, & audistis. Quid iterum vultis audire? Nunquid, & vos vultis discipuli eius fieri? Quia responsione palam insinuauit quod non à se loquebatur, sed ab eo de quo Saluator dixit. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et rursus. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris qui loquitur in vobis. Illi vero statim exacerbati, in conuitia, & maledicta proruperunt, & dixerunt ei. Tu discipulus illius sis, nos autẽ Moysi Discipuli sumus. Quasi velint dicere. Tu es alienus a lege Moysi. Et addũt. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Ecce magna cæcitas Iudæorum. Dicebant enim se scire quod nesciebant, quia Deus per Angelum Moysi locutus est. Et negabãt se scire quod scire debuerant, dicẽte Hieremia de ipsis. Negauerunt Dñm, & dixerunt, non est ipse. Matth. 10. Hierem. 5.

Respondit ille homo, & dixit eis. In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem quia peccatores non audit Deus, sed siquis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo non poterat facere quicquam. Responderunt & dixerunt ei. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

Verum qui cæcus natus fuerat, non vt cæcus, sed vt clare tam mente quam corpore videns, respondit eis dicens. In hoc mirabile est, quod vos cum doctores populi sitis, id ignoratis, asserentes ipsum peccatorem esse. Nos autem infirmi scimus quod peccatores Deus non exaudit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit hunc exaudit, quemadmodum scriptum est. Longe est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudit. Eum vero qui me sanum fecit, in omnibus audit Dominus. Ex hoc enim esse à Deo cognoscite, quoniam à seculo, id est, à mundi exordio non est auditum, quod quis quantumcunque iustus, & Prou. 15.

ſanctus fuerit, aperuerit oculos cæci nati. Hic autem aperuerit oculos meos, ergo à Deo eſt. Et multo quidem magis à Deo, quam illi qui id à Deo non ſunt cõſecuti. Niſi enim hic eſſet à Deo non potuiſſet facere quidquam. Non potuiſſet quippe meos qui cæcus à natiuitate eram aperire oculos, & id facere quod vniuerſa non potuit natura. A Deo igitur eſt, & præ ceteris quidem, ac omnium maxime à Deo. Hæc autem cum audiſſent Phariſæi in indignatione, & ira rumpentes, dixerunt ei. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras, & factus eſt extra Synagogam verum affirmans. Solent enim ſuperiores, ac Legũ Doctores interiorum informationem deſpicere. Veruntamen veri ſapientes, & docti, humili, & diligenti animo cogitant quæ eis dicuntur, informarique appetunt, nec propter dicentis paruitatem contemnunt, quod prædicatur, quoniam veritas ſuapte natura eſt acceptione digna. Ideo Salomon ait: Argue ſapientem, & diliget te, doce iuſtum, & feſtinabit accipere. Eiecerunt ergo eum foras increduli Iudæi, id eſt, ex Templo, & Synagoga, ſeu populo expulerunt tanquam excommunicatum. Sed quem Iudæi repellebant, hunc Chriſtus recipiebat. Nam quanto magis quis propter Deum ab hominibus contemnitur, tanto magis à Deo diligitur. Et quanto amplius ab illis eijcitur, tanto amplius ab ipſo recipitur. Vnde Chryſoſtomus, Qui propter veritatem, & Chriſti confeſſionem iniuria opprimuntur, ij maxime honorantur. Quod in cæco factum eſt. Eiecerunt enim eum ex Templo Iudæi, & inuenit eum Dominus Templi, & ſuſcepit eum, ſicut ſubdit Euangeliſta.

Mali informationem bonorum deſpiciunt.

Prouerb. 9.

Chryſoſt.

Audiuit Ieſus quia eiecerunt eum foras, & cum inueniſſet eum, dixit ei. Tu credis in filium Dei? Reſpondit ille, & dixit. Quis eſt Domine vt credam in eum? Et dixit ei Ieſus. Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt. At ille ait. Credo Domine. Et procedens adorauit eum.

A narrantibus audiuit Ieſus id, quod tamen antequam fieret nouerat futurum, ſcilicet, quod eiecerunt eum

eum foras. Et cum inuenisset eum, dixit ei. Tu credis in filium Dei? Non quasi ignorans id quærit, sed vt cæcum ad perfectiorem sui cognitionem promoueat. Quanto enim quis magis opprimitur propter veritatem, tanto apud Deum meretur ampliorem exaltationem, & gratiam. Cæcus iste nondum determinate credebat in filium Dei, ideo interrogatur à Christo, quia qui boni propositi sunt merentur gratiam Dei auxiliatricem, per quam dedicantur in executionem salubrē. Respondit autem ille qui cæcus natus fuerat. Quis est, ò Domine filius Dei, vt credam in eum? Nondum .n. cognouerat Iesum secundùm faciem. Et dixit ei Iesus. Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est: id est, Ego sum filius Dei, quem oculo corporali nunc inspexisti. At ille ait. Credo Domine in filium Dei Et procidens adorauit eum. Quod est officium soli Deo præstandū, & vere confitentis Dei filium esse Deum. Nam cum Dominus dixit, qui loquitur tecum ipse est; statim, nō solum mouit illi corporalem sensum, sed & mentem, & spiritum, vt adoraret eum, &c.

Quomodo Christus se manifestauit illi, qui cæcus fuerat.

FERIA QVINTA DOMINICAE quartæ Quadragesimæ. De filio viduæ suscitato à Christo.

IBat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, *& ibant cum eo Discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa.*

Luc. 7.

In hoc Euangelio, quinque præcipuæ sunt consideranda.

Primo, funera quæ laudabiliter fiunt in exequijs mortuorum. Dicit enim Euangelista: Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Ciuitas quidem parua prouinciæ Galileæ, duobus miliarijs distans a monte Thabor, non longe à ciuitate Endor (vt inquit Beda.)

Prima consideratio.

Naim ciuitas quæ sit.

Beda.

Et ibant cum illo Discipuli eius quos nouerat elegerat, & vocauerat. Et turba copiosa. Quotidie etenim creuit fama, & magnificentia Christi: ita quòd frequenter multa milia commitabantur eum, diuersis ex causis, vt supra dictum est. Precipue tamen confluebant ad eum, propter incóparabilem excellentiam atque frequentiam eius in faciendis miraculis. Nanque per miraculosos effectus cor hominis maximopere attrahitur, concutitur, vincitur & mouetur. Non igitur temere vel immerito Lucas hic commemorat in comitatu, & Apostolus fuisse, & turbam plurimam. Id enim co dispsuit Dominus, vt plures essent tanti miraculi testes: sicque conuerterentur ad fidem. Discipulos quoq; ideo h c secum duxit, vt in eo id cernerēt magisterium: quo ipsi quoque deinceps vterentur, post illius passionem & mortem, vniuersum mundum edocturi.

Cum autem appropinquaret Dominus portæ ciuitatis, efferebatur mortuus filius vnicus matris suæ. Hoc bat ex consuetudine Iudęorum qui sepulchra sua extra vrbem & menia habebant. Sic enim Christus quoque extra ciuitatem sepultus est in horto. Habebant insuper antiqui laudabilem morem conducendi funera ad sepulturam. Nam Ægyptij, vna profecti sunt, cum Ioseph, & fratres eius defunctum patrem suum Iacob duxerunt ad sepulturam. Ita enim habet scriptura. Ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Ægypti, & habuit in comitatu currus & equites: factaque est turba non modica. Quo exemplo nos docemur iniquum non esse sepulturam parentum & amicorum honorare. Nec malum fore si quis corpus suum de vna ciuitate in aliam deuehi sinat. Quemadmodum nobiles nonnullli, nunc facere solent: cum decedunt in aliena ciuitate, iubent corpora sua ferri in propriam patriam ad sepulchrum patrum suorum. Exemplo Iacob qui via admodum longa voluit se ex Ægypto aduehi in terram Chanaam, ibiq; sepeliri cum maioribus suis, scilicet Abrahā, Sara, Isaac, Rebecca, & vxore Lia. Ioseph quoq; moriturus, adiurauit

Funera sepulturæ laudabilia.

Gen. 50.

Gen. 49. 50

adiurauit fratres suos, & dixit. Post mortem meam visitabit vos Dominus, & ascendere faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Asportate tunc ossa mea vobiscum de loco isto. Quod & fecit Moyses, quoniam commigrans ex Aegypto abstulit secum ossa Ioseph. Igitur licet ossa mortuorum deferri ex vna regione in aliam, etiam longinquam, ibique sepeliri cum patribus suis. Quamobrem pium est sepelire mortuos. Honestum quoque, & laudabile deducere funus ad sepulturam, quo virtutis, & laudis genere, commendantur duo Iudæi. Alter princeps, alter legis doctor in sepeliendo Christum. Angelicum nanque opus est commitari mortuos, sicut anima Lazari ab Angelis delata est in sinum Abrahæ. Et si quispiam dicat: Cur cadaueribus cum ossibus putridis pompam exhibeamus: Dico vna cum Echio, quòd non est respiciendum corpus putridum, mortuum, exanime, exangue, & viribus destitutum omnibus. Sed considerandum est corpus esse hominis qui similis nobis fuit. Corpus inquam baptismate ablutum, cuius os sacrosanctum corporis Christi sacramentum suscepit, cuius lingua Deum adorauit, oculi respexerunt in cœlum, aures audierunt sanctum Euangelium Christi, manus quoque expandit ad Deum patrem cœlestem, cuius etiam corporis labore meruit vitam æternam, in quo & resurrecturus est in die nouissimo, & recepturus clarificationem gloriæ sempiternæ. Vnde Augustinus. Neque contemnenda, nec abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum & fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia opera bona sanctus vsus est spiritus. Quare laudantur formicæ, quæ (vt oculis intueri possumus) mortuas formicas sepeliunt, instinctu naturæ. Præterea, deducere funera ad sepulturam argumentum nobis certum est fidei nostræ, quam de resurrectione conceptam habemus. Sed & eadem re mouemur ad pœnitentiam peccatorum, ad emendationem vitæ, dum

Ossa mortuorum licet deferri de aliena ciuitate in patriam.

Angelicum opus commitari mortuos.

Luc. 16.

August.

Soluitur obiectio cōtra funera defunctorū

dum cogitamus eadem nocte quoque calcandum esse viam ignotam, quæ, vt nos quoque exanimes, sineque viribus, & spiritu, hic iaceamus. Facies nanque hominis mortui discoperta fertur ad sepulturam, qua facie homines moueantur, vt amaritudine mortis considerata, relinquant peccata. O faciem miserandam, ò vultum luctuosum, ò tristem, & lugubrem aspectum. Quantum deinceps sit laude dignũ sepelire mortuos, dicemus infra in decolatione Ioannis Baptistæ: quando Discipuli sepelierunt corpus eius, &c.

Secunda cõsideratio. Secundo, considerandæ sunt causæ, quibus Dominus misertus est huic viduæ, cum subditur.

Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eam, dixit illi, &c.

Fuerunt nanque multæ, atque fortissime rationes compatiendi viduæ illi. Primo, quia in maximo fuit constituta dolore propter mortem vnici filij sui. Quemadmodũ enim nil charius vnico filio, sic dolor de morte ipsius intensissimus extat. Propter quod Hieremias ait. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Zacharias quoque. Dolebunt super eum, scilicet, Christum, sicut doleri solet super vnigenitum. Sic Dauid dixit dilexisse se Ionatham, vt mater filium amat vnigenitum. Erat enim mortuus ille filius vnicus matris suæ viduæ. Quæ luctu, flectuque suo animum Christi percutit. Et quis dubitat multum contristatam fuisse viduã hanc, quæ filium vnigenitum amiserat, baculum senectutis, lumen oculorum suorum. Commouit itaq; cor matris exacerbatum, ipsum Dominum ad misericordiam. Secundo, quoniam talis amor ad vnicum filium maximus consistit in vidua, quia viri est destituta solatio. Iccirco dolor ipsius de vnigeniti morte vehementissimus est. Tertio, quoniam filius viduæ defunctus fuit in adolescentia sua, ideo plus fuerat condolẽdum. Adolescẽtum enim mors miserabilior est quia in flore ætatis suæ extant, & magno labore, solicitudineq; parentum ad illam ætatem, producti sunt. Quarto, quia vidua erat. Persona multum miserabilis, quemadmodũ orpha

Hier. 6.
Zac. 11.
2. Reg. 1

Quatuor de causis, Christus misericordia motus est, super viduã

orphanus, pupillus, ac peregrinus, & pauper. Vnde fertur in Psalmo. Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet. Et Sap. Viduæ preces non despiciet Dominus, si effundat loquelam gemitus. Ideo Iob: Viduæ non sunt vacuæ dimittendæ, lacerti pupillorum fouendi. Et Salomon in Prouerbijs. Viduæ terminos, firmos faciet Dominus. Præterea: Mandat Dominus omnibus hominibus in lege vt non noceant viduis dicens. Viduæ, & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabunt ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli. Rursus: Idem Dominus per Zachariam clamat: Viduam, pupillum, aduenam, & pauperem, nolite calumniari. Et per Esdram: Viduam iustifica, pupillo iudica, da egenti, tuere orphanum, nudum vesti. Quare, Dominus per Isaiam. Viduæ causa non ingreditur ad infideles Principes. Et infra: Viduæ præda sunt iudicum iniquorum, qui & pupillos diripiunt. Exempla etiam plurima habemus in Scripturis de Viduis, quarum Deus præcipue curam gerit. Præcepit enim Helyæ, vt pasceret viduam Sareptanam tempore penuriæ, vna cum filio suo, quem etiam mortuum, suscitauit Helyas. Tempore etiam Helysæi viduæ ex vxoribus Prophetarum creditor vult tollere ipsius duos filios in seruos, quia non esset soluenda debita mortui viri. Cuius oleum Propheta multiplicauit vt vasa oblata à filijs omnia impleret, donec deficientibus vasis oleum staret. Vnde vidua oleum vendidit, & creditori satisfecit. De reliquo vero, cũ filijs viuere iubetur. Quid de sanctissima illa Iudith vidua dicemus, cuius oratione & ieiunio, ciuitas Bethuliæ liberata est a ruina, quoniã caput amputauit Holophernis. Legitur quoque de Anna prophetissa vidua, quæ ad 84. vsque peruenit annos. Vixerat enim cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc non discedebat de Templo, ieiunijs, & orationibus seruiens Deo. Cui Iesus paruulus præbuit se videndum. Et non immerito quidem, quoniam viduæ

Eccl.35. *Iob 22.* *Prouer.15* *Exod.22.* *Zac.7.* *3.Esd.2* *Isa.1. 10.* *4.Reg.17* *4.Reg.4* *Iudith 8* *Luc.2.*

viduæ priuatæ sunt solatio viri, consolantur à Deo. Cõ mendat insuper Dominus viduam quæ duo minuta obtulit in gazophilatium, quòd est quadrans, de qua subdit. Vidua hæc pauper, plus omnibus misit qui miserunt in gazophilatium, quia de penuria sua, omnia quę habuit misit totum victum suum. Ceteri vero ex eo quod abundabat illis miserunt.

Mar.12

Præterea, Apostolus non tantum continentiam vidualem, at videat plurimum commendat, docetque eas quid agere debeant, & qualiter sint honorandæ, dicens ad Corinthios. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius liberata est à lege. Cui autem vult, nubat tantum in Domino. Beatior tamen erit si sic permanserit, secundum meum consilium. Et ad Timothæum. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt; id est quæ caste viuunt, Si qua autem vidua, filios aut nepotes habet: discat primum domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc est enim acceptum coram Deo. Quæ autem vera vidua est, & desolata, speret in deo, & instet obsecrationibus, & orationibus, nocte, ac die. Nam quæ in delitijs est viuens mortua est. Et hoc præcipe, vt irreprehensibiles sint. Et infra Vidua eligatur, scilicet honorabilis, non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens. Si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus, subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est, Hæc sunt enim pulchra documenta Apostoli Pauli, quæ dantur viduis. De iunioribus autem viduis, & discolis, ita subdit Apostolus. Adolescentiores autem viduas deuitas. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Similiter autem, & ociose vidue discunt circuire domos non solum ociose, sed & verbose, & curiose loquentes quæ non oporter. Volo autem iuniores, nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario, maledicti gratia. Iam enim quædã conuerse sunt retro

Paulus

1.Cor.7

1.Timo.5

Documenta data viduis ab apostolo

Paulus

De iunioribus viduis.

tro post Sathanam. Rursus. Apostolus Paulus, iubet viduas pauperes adiuuari, & substentari, cum subinfert. Siquis fidelis habet viduas, subministret eis vt non grauetur Ecclesia, vt his quę vere viduæ sunt, sufficiat. Cui fauet id quod Iacobus ait. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrem hæc est. Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, Postremo, asserit Dominus in Euangelio semen seminatum in terram bonam, aliud attulisse fructum centesimum, aliud sexagesimū, aliud trigesimum. Fructus enim centesimus (vt Doctores asserunt) debetur Martiribus Virginibus, & Doctoribus. Sexagesimus autem, viduis. Trigesimus vero, cōiugatis. Ideo viduarum statum illo coniugatorum excellentiorem esse censemus. Quinto, eum id miraculum efficere voluit Christus, scilicet adolescentem resuscitare, quoniam turba ciuitatis multa, erat cum illa. Vt viso miraculo, multi fierent Dei laudatores, & testes. (Et siquidem recte.) Nam quia vacabant pietatis officio, meruerūt videre miraculum. Prosequi enim funus ad sepulchrum, & interesse obsequijs mortuorum, pietatis officium est, & misericordiæ, & opus laudabile quidem, vt supra dictum est. Sic faciebat Dauid in exequijs Abner. Ita, enim scribitur in libris Regum. Rex Dauid sequebatur pheretrum. Et hæc est gratia ad quam monet nos. Sapiens, in ecclesiastico dicens. Mortuo non prohibeat gratiam, scilicet funus ad sepulchrum eius.

Iacob. 1

Exequijs mortuorū interesse, laudabile est.

2. Reg. 3.

Eccles. 5

Tertio considerandus est mortuorum fletus, an, scilicet flendum sit super mortuis, per id quod subditur. *Noli flere.* Visa itaque vidua, misericordiæ motus est Dominus, & dixit ei. Noli flere. Quasi dicere vellet. Desiste mortuum flere, quem mox viuum resurgere videbis. Neque enim ideo iam flere prohibuit Dominus, quasi fletus pro mortuis iniustus esset, & iniquus. Quēadmodum his temporibus hæretici lutherani fatentur. Siquidem si tam vetus quam nouum Testamentū scrutari volumus inueniemus flendum nobis esse pro mortuis. Ecce enim Sapiens ait. Supra mortuum plora quia

Tertia consideratio.

Eccles. 22.

defecit

Eccl. 38. defecit lux eius. Et inde: Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dyra passus incipe plorare. Sed quid multis indigemus scripturarum testimonijs? Tantum exempla sanctorum respiciamus. Abraham enim fleuit super Sarræ vxoris mortem. Mortuo quoque Iacob, procidit Ioseph in faciem suam, plorans, & osculans eum. Omnisque Aegyptus defleuit illum septuaginta diebus. Et rursus: Cum sepelissent eum, planxerunt eum septem diebus. Adeo vt Chananæi magni illum esse Aegyptiorum planctum profiterentur. Moysen insuper mortuum in campo Moab planxerunt filij Israël triginta diebus. Præterea, legitur in secundo Regum, Dauidem planxisse Saul, & Ionathan occisos, luctu maximo, ita ut etiam præciperet Iudæis hoc ipsum docere filios suos, dicens, Filiæ Israël flere super Saul. Doleo super te frater mi Ionatha. In eodem etiam scribitur. Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner. Fleuit autem & omnis populus, plangensq; Rex & lugens Abner ait. Nequaquam vt mori solent ignaui, mortuus est Abner. Iudam quoque Machabæum occisum, planxit omnis Israël maxima cum tristitia per aliquot dies. Constat proinde Christum ipsum fleuisse, atque adeo infremuisse spiritu, super mortuum Lazarum: ita vt Iudæi hinc argumentum sumerent magnæ dilectionis, & ardentis amoris. Flendum est itaque super mortuis, maxime parentibus, amicis, & cognatis nostris, & super ceteris hominibus bonis defunctis.

Gen. 25

Gen. 50.

Deut. 34.

Flere mortuos decet.

2. Reg. 1

2. Reg. 3

1. Mach. 9.

Ioan. 11

At contra dicta instant recentiores hæretici his debilioribus argumentis. Christus hic in Euangelio vetuit flere viduam etiam super vnigenito. Apostolus insuper ait. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Chrysostomus deinde lugere ait, & lamentari eos qui ab hac vita decedunt, ex pusillanimitate contingit. Legitur etiam in Concilio Tholetano prohibitum fuisse a Papa Anastasio, super defunctis lugere. Respondendum est primo, quòd hic Dominus viduam flere

Obijciunt hæretici.

Paulus.

Chrysost.

Soluuntur obiectiones

flere prohibuit, eo quòd illi filium à morte reſuſcitaturus erat. Et ſi hæretici mortuos reſuſcitare poſſent, priuſquam ſepelirentur, ſicut hic Dominus fecit, poſſent & ipſi fletum prohibere. Ad reliqua obiecta dicendum eſt planctum non abſolute prohiberi, ſed illum tantum qui ex diffidentia, & deſperatione prouenit. Sicut id manifeſte patet ex verbis Apoſtoli, vt egregie ſuperiori loco teſtatus eſt Chryſoſtomus, inquiens. Intelligendum hoc eſſe, ſi fiat ex deſperatione futuræ reſurrectionis. Non ergo abſolute dixit Apoſtolus, Nolle ſe triſtari fratres de dormientibus, ſed addidit, declarans ſeipſum, ſicut alij qui ſpem non habent. Illi enim ſic dolent ſuper mortuis, quaſi eos in perpetuum amiſerint. Poſtremo Chryſoſtomus concludit. Ex charitate, & vnanimitate bonæ voluntatis, vel etiam humanæ conditionis reſpectu, non prohibemur flere ſuper mortuos. Sicut legimus multos Sanctos vehementer lacrymas profudiſſe, ſuper aliorum funera. Sunt tamen non nulli qui non mortuum lugent, quaſi tantum ei faueãt, ſed proprium incommodum lugent, quod accidit ex morte ſua. Quamuis & hoc interdum in bono fieri poſſit, vt cum tota natio Principẽ amiſit, & ſuper eius morte turbatur, etiã propter ſe, eo quòd magnanimus Princeps erat, qui & fideliter ſubditos regebat. Ita domus turbatur cum amittit patremfamilias habentem filios quos ſuis laboribus nutriebat. Sic tota Iudæorum congregatio planxit ſuper Iudam Machabæum iam occiſum, dicẽs, Quomodo cecidit iuſtus qui ſeruauit Iſraël. Dixit ergo Dominus viduæ (vt ad primum propoſitũ redeamus) Noli flere. Non quòd ſuper mortuis flendum non ſit, ſed quia ipſe ille erat, qui hunc defectum, omnemque dolorem mitigare ei, & ſedare poterat, veteræque luctum in gaudium, defunctum ei reſuſcitando filium. Poterat vti que alacriter dicere. Noli flere.

Chryſoſt. *Paulus.* *Chryſoſt. ſententia.* *1. Mach. 9.*

Quarto, conſideranda eſt huius adoleſcentis admirabilis reſurrectio, cum ſubditur. *Quarta conſideratio.*

Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait, Adoleſcẽs, tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat

mortuus,

mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ.

Triplex tactus. Triplicem esse tactum, diuinæ testantur historiæ. Videlicet, corporalem, spiritualem & mixtum. Tactus simpliciter spiritualis, est in quo tangens, & tactum omnino spiritus sunt. Vt cum Deus qui spiritus est tangit spiritualem conscientiam nostram, sicut ipse testatur in Apocalypsi. *Apoc. 3.* Ego sto ad ostium, & pulso. Siquis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum. Dixit quoque Apostolo Paulo. *Act. 9.7* Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Dixit insuper Stephanus Iudæis, spirituali tactui resistentibus. Dura ceruice, & incircuncisi cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Tactus puræ corporalis exigit vt tangens, & tactum sit corpus. Vt in miraculis Christi, quando tangendo corpora omnes curabat infirmitates. De quo tactu, dicit Lucas Euangelista. *Luc. 6.* Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Tactus tum spiritualis tum corporalis, est cum Deus qui spiritus est corpora nostra tangit, ea aduersitatibus, & infirmitatibus affligendo. Quemadmodum tetigit oculos Thobiæ, & Iob dicentem. *Iob. 19* Manus Domini tetigit me. Quibus etiam modis tangit malos, hic & in futuro. Dicit ergo Euangelista. Accessit autem Dominus, & tetigit loculum. Ecce quomodo Dominus non solo verbo miraculum facit, sed, & loculum tangit. Vt discamus, quòd corpus eius viuificum sit, quia quando caro sua vnita est verbo, omnia viuificanti, ipse etiam que largitur vitam, propulsata morte. Cuius exempli notare merito deberent recentiores hæretici quæ sit efficacia sacramenti corporis Christi. Tactu enim suæ mundissimæ carnis dedit vim regeneratiuam aquæ per verbum vitæ in baptismate. Tactu suæ sanctissimæ carnis leprosos mundauit. Tactu fimbriæ vestis suæ fluxum sanguinis patientem mulierem infirmam, pristinæ restituit sanitati. Quinimò, & quotquot tangebant eum salui fiebant. *Mar. 6.* Vt euidens esset Christum esse verum Deum & hominem. Hi autem qui portabant, steterunt. Et

Dominus ait? Adolescens tibi dico surge. Qui portabant consideraturi erat quidnam facturus esset Dominus, quando matrem adeo humaniter consolatus fuerat. Et Dominus quidem tanquam ille qui potestatem haberet vitæ, & mortis, (dicente Anna Samuelis matre, cum exaudita esset oratio sua. Dominus viuificat, & mortificat, deducit ad inferos, & reducit) præcepit adolescenti, vt surgeret. Ex quo imperio multum potentiæ accessit huic miraculo, longeque plus maiestatis, quam in illa resuscitatione, tum Helyæ, tum Helysæi exhibitum fuerat. Christus nanque hoc totum quod fecit propria sua fecit auctoritate. Ceteri tantum per orationes, & inuocationes nominis Dei, multis gestibus suam declarantes imbecillitatem, dum se per modum crucis reponebant super mortuos, neque tamen idipsum sine misterio. Siquidem eo significare voluit, Spiritus sanctus eum qui redempturus esset orbem in cruce, potestatem habiturum viuificandi homines. Dixit ergo Dominus. Adolescens dico tibi surge. Loquens cum mortuo, tanquam cum viuente, & audiente. Quo etiam probat verbum suum quod dixerat Iudæis. Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic, & filius quos vult viuificat. Quotquot enim nobis veræ mortui sunt, coram Deo non aliter habentur ac si dormirent. Ideoque ille eos tam facile ex morte resuscitat ad vitam, quam facile nos, dormientem excitamus. Ecce quam hic Dominus potentissimus est, qui tribus verbis mortuum viuificat. Adolescentem illum vocat, sermonem suum ad eũ conuertit dicens, tibi dico: imperat, & addidit, surge. Ecce quomodo non est impossibile apud Deum omne verbum. Ecce qualiter omnipotens sermo Dei à regalibus sedibus venit. Ecce quomodo vocat Deus ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.

Imperãdo et non orãdo, Christus miracula faciebat.

Ioan. 5.

Luc. 1
Sapien. 18.
Rom. 4.

Et resedit qui erat mortuus. O quam statim vita voluit parere Domino suo, verbo nimirum omnipotenti. Neque resedit tantum, sed etiam cœpit loqui, vt miraculum magis euidens esset. Et dedit illum Dominus matri suæ. Sic Thabita quoque suscitata à Pe-

tro, respexit eum, & resedit, Solent hic nonnulli septem resurrectiones mortuorum ante Christum ostendere. Surrexit enim filius viduæ Sareptanæ? filius Sunamitidis. Et qui proiectus est in sepulchrum Helisæi, ad tactum ossium illius: contra maledictos hæreticos, qui nihil honoris reliquijs tribuunt. Resurrexit, & filia Iairi, & hic adolescens in Naym. Lazarus quoque Magdalenæ frater. Et illi qui sub passione Christi surrexerunt, & in sancta ciuitate apparuerunt multis. Octauus iam tandem est ipse Christus, qui surrexerit à mortuis, ita vt amplius non moriatur, neque mors illi sit dominatura magis. Et ita resurrectio nostra in die octauo, hoc est nouissima perpetuo durabit.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4. & 13. Marc. 5. Ioan. 11. Matth. Septem resurrectiones ante Christum.

Quinta cõsideratio.

Quinto, considerandus est timor, quo correpti omnes magnificabant Deum cum subiungitur.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes. Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitabit plebem suam.

Cum miraculum id admirabile valde vidisset turba, quæ partim Christum erat comitata: partim funus conduxerat, præadmiratione, timore correpta est ob magnitudinem facti, laudantes magnificabant dominum, dicentes. Quia propheta magnus surrexit in nobis. Et veræ equidem dicebat. Nam propheta dicitur, qui diuina reuelatione futura prænoscit, & veraciter alijs prænunciat. Talis autem erat Christus, qui Discipulis suis sæpius passionem suam, & resurrectionem prædixit. Ascensionem quoque, & alia quàm plura in Euangelijs conscripta. Subuersionem etiam vrbis Hierusalem à Romanis postea factam, prænunciauit. Signa insuper extremi iudicij ac tribulationem tempore antechristi toti mundo superuenturam, nunciauit. Quæ omnia suo tempore plene complebuntur. Prophetam eum vocabant, & forte illum in lege promissum, quem suscitaturus erat eis Deus, de quo dicitur in Euangelio, quod satiata illa hominum, turba ex quinque panibus & duobus piscibus, in admirationem tanti signi adducti, id publicorum protulit præconium. Hic est verè Prophe

Deut. 18.

Ioan. 6.

Propheta,qui venturus est in mundum. Et duo Discipuli euntes ipsa die resurrectionis in Emaus loquentes de Christo,dixerũt. Qui fuit vir propheta potens in opere,& sermone,coram Deo,& omni populo. Quinimò, & ipse Christus in Euangelio se Prophetam esse testatur,cum ait apud Lucam. Non capit Prophetam perire extra Hierusalem. Et apud Matthæum. Non est inquit Propheta sine honore,nisi in patria sua. At hic in loco propheta magnus appellatur à populo,communique celebratur pręconio. Alius enim quicunque Propheta solus erat, & purus homo Prophetico Spiritu illustratus. Hic autem verus Deus, & homo Prophetarum Dominus, ac ceterorum omnium Prophetarum conditor,& illustrator. Proinde,magnus erat Propheta,ob eminentiam Propheticæ cognitionis, quæ excellentior fuit in eo,quàm in quibusuis alijs Prophetis. Magnus itidem doctrinæ exhuberantia,& excellentia. In eo nanque omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ reconditi erant. Denique idem magnus erat miraculorum virtute. Nam vitæ,& mortis habebat imperium. Mortuos ad vitam cum voluerit reuocans. Mirabilia quoque alia efficiens opera,quibus magnitudinem sue potestatis palàm insinuauit. Hic autem talis ac tantus Propheta surrexit in populo Israël, & in Iudæa admirandus apparuit, quando per assumptionem nostræ mortalitatis illic conuersatus, & cœlestis vitæ Doctrinam tradidit,sua prædicatione, virtuteque diuinitatis suæ manifestauit se omnibus, per miraculorum operationem. Tunc etiam (vt hic profitetur turba) Deus visitauit plebem suam suæ misericordiæ benignitate: quoniam ipse vt cœlestis medicus mundum ægrotum tunc visitare venit, & totum genus humanam ab antiquo languore per aduentum suum eximere dignatus est.

Luc. 24. *Luc. 13.* *Matth. 13.* *Quomodo Christus fuit propheta magnus.*

Sed totum hoc Euangelium spiritualiter exponendo, per adolescentem hunc peccator quilibet pulcherrime intelligi potest, cuius anima lætali crimine mortua iacet, cum sit à deo separata, qui est

Spiritualis huius Euangelij expositio.

fons vitæ, iuxta illud Ezechielis. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Et is quidem per peccatum mortuus iamque efferebatur extra portas, hoc est peccatum quod in corde gestabat per verba, opera effert in mundum, tanquam per portas suæ ciuitatis. Quattuor portatores, huius defuncti, quattuor sunt passiones animæ scilicet Gaudium, Tristitia, Spes, & Timor. De quibus

Bernard.

Quæ porta, qui portatores, quid feretrum, quæ mater huius spiritualiter defuncti.

Bernardus. Peccatores amant quod non decet, timent quod non oportet, dolent vane, & vanius gaudent. Feretrum in quo mortuus effertur, male secura desperati peccatoris, conscientia est. Illius autem mortui peccatoris sic extra portam ciuitatis delati, mater est sancta Ecclesia, quæ fonte baptismatis nos Christo regenerauit. Et hæc pio ac materno affectu deplorat filium suum mortuum, quoniam eum quem deo genuit ad vitam, dolet vinculis peccatorum esse constitutum, & coram Deo mortuum. Est enim quisque fidelium velut vnicus filius matris suæ, scilicet ecclesiæ sanctæ singulari amore ab ea dilectus, quæ est vt Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt in statu vitæ spiritualis. Sed per mortem peccati, in interitum deciderunt. Et hæc mater nostra spiritualis vidua est: quia quandiu versatur in vitæ præsentis incolatu, & agone, ac malitia, sponso suo Christo, priuata videtur quantum ad corporalem præsentiam, visibilem, & conuersationem in terris. Quoniam ille per gloriam Ascensionem suam abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti ad iudicium. Quamuis nunquam huic matri nostræ desijt virtus diuinitatis eius, eam protegens, & vera corporis eiusdem præsentia admirabili in sacramento Eucharistiæ obtecta, absconditaque. Deinde Christus ob lachrymas, & preces ecclesiæ sanctæ matris nostræ, quas fundit dolens mortem filiorum suorum, & orans pro eorum conuersione, misericordia mouetur super eam. Et accedit tangit loculum. Et statim accedente Domino res melius habere incipit. Feretrum autem ille tangit flagello tribulationis, verbo suæ prædicationis, & gratia inspirationis

suæ

suæ. Sic Iob ait in persona perturbatorum. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici, quia manus Domini tetigit me. Ad mortuum igitur spiritualiter saluator accedit, & appropinquat, cum aliquam gratiam præuenientem, vel desiderium propriæ salutis ei donat. Loculum tangit, quando conscientiam, & cor durum peccatoris, ad pœnitentiam emolit, peccatoremque ad sui cognitionem reducit, clamans. Adolescens tibi dico surge. Ac si dicat. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. O vocem præclaram, ò vocem potentem, ò benignam tum, & clementissimā Christi vocem, quę excitat peccatorem vt surgat sedeatq. per contrictionem, & pœnitentiam, quam rectam eligit in corde suo peccator, dicens cum filio prodigo. Surgam, & ibo ad patrem. Mox etiam confiteri incipit, & loqui non tacens peccata sua. Ait enim. Pater peccaui in cœlum, & coràm te, iam non sum dignus vocari filius tuus, &c. Ad hanc confessionem susceptum illum Dominus tradidit matris suæ Ecclesiæ catholicæ, dum in sacramento pœnitentiæ, dicit illi Sacerdos. Absoluo te ab omnibns peccatis tuis. Ipseque ad eo restituitur sacramentis Ecclesiæ, cui vnitur [illegible]

Iob.19

Quomodo Christus accedit ad peccatorem & clamat.

Luc.15.

Legimus præterea, tres mortuis resuscitasse Dominum, singulos certis circunstantijs. Si quidem filiam Iairi resuscitauit in domo, puellam adhuc existentem, annorum forte duodecim. Adolescens autem hic excitatur, vt nonnulli putant annorum vigintiduo. Ideoq. resuscitauit eum Dominus iam elatum ad portam ciuitatis. Lazarus iam senior ex monumento fętidus prodijt resuscitatus. Neque omnino temere, aut sine rationabili causa, quoniam hi tres mortui in suis corporibus resuscitati, typicæ resuscitationem animarum pulcherrime significant. Nam peccatores in triplici discrimine reperiuntur. Quidam enim voluntate tantum peccant. Quidam etiam operæ complent. Alij assuescunt peccare, ita vt ex peccatorum sordibus fateant. Primi generis peccatores designantur per filiam Iairi.

Mar. 5.

Luc.7.
Ioan. 11.

Triplex peccatores per tres mortuos figurantur.

Itaque peccatum mors animæ eſt, & cum primum homo interius conſenſit per peccatum. anima iam mortua eſt, & tamen adhuc in domo detinetur, quia nondũ erupit in opus. Atque huiuſmodi peccatum facilioris curationis eſt. Sicut autem peccatum illud ſola voluntate committitur, ita eadem ſola deponitur. Quemadmodum ſi virgo tantum voluntate peccauit, rurſus per pœnitentiam Deus virginale acquirere poteſt. Si autem opere peccauerit, amplius iam non poteſt illud aſſequi. Ita qui tantum corde peccant. Sed vt Saluator huiuſce peccatores per gratiam ſuam viuificari poſſe oſtenderet, ſuſcitauit archiſynagogi filiam adhuc intra domum paternam iacentem: quaſi nequitiam delicti in ſecreto cordis latentem. De qua Dominus per Iſaiam Prophetã dicit. Auferre malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Et per Hieremiam. Vſque quo morabuntur in te cogitationes noxie? Rurſus Dauid in Pſalmo de huiuſmodi peccatore mortuo primi generis ait. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo.

Iſa. 1. *Hiere. 4.*

Secundi generis peccatores

Alij vero peruerſæ cogitationi inhęrentes poſt conſenſum peccati labuntur in opus exterius, qui per hunc noſtrum adoleſcentem deſignantur, qui extra portam delatus eſt mortus, Vt quod latebat in ſecreto, iam appareat in publico. Et peccata ſua erubeſcendo non abſcondant, ſed audatiores in malum facti, ea imitanda alijs proponant, de quibus Iſaias. Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt nec abſconderunt. Et rurſum ad huiuſmodi peccatricem animam loquitur Dominus per Hieremiam. Frons meretricis facta eſt tibi noluiſti erubeſcere. De his autem duobus peccatorum generibus, Iacobus ait. Concupiſcentia cũ conceperit, parit peccatum. Peccatum vero cum conſumatum fuerit, generat mortem, Prudenter itaque Dominus peccatum cordis voluit pudica illa duodeni puella ſignificari & peccatum operis exprimere Paulo robuſtiore adoleſcẽte, qui iam portatus erat extra męnia ciuitatis portæ animarum ipſi ſunt ſenſus externi, per quos anima à morte vulneratur, dicente Propheta. Aſcendit mors per

Iſa. 3. *Hiere. 3.* *Iacob. 1.* *Hiere. 9.*

per fenestras vestras: ingressa est domos vestras. Sed vt illis secundi generis peccatoribus (si resipiscant,) osten datur etiam esse via ad salutem, Christus iuuenem extra portam ciuitatis delatum suscitauit. Quo designa ret, & eos qui peccatum exterius perpetrant, etiam per pœnitentiam viuificari posse.

Tertij generis peccatores. Tertij denique generis peccatores qui assueuerunt in peccatis, in illis indurati, per Lazarum significantur, iam in sepulchro repositam, obuoluto iam lapide consuetudinis praue, & fetore inueteratum mali exempli, ita vt iam inde offendantur homines. Isti nimirum qui non solum cogitando, & interiori consensu, nec solum illicita exterius perpetrando peccant. Sed ipsa etiã consuetudine peccandi, se quasi sepeliendo obruunt, & ex frequenti iteratione peccati labuntur in consuetudinem, ac assuefactionem peccandi, & inde contrahunt quandam animi obdurationem, ægre profecto resuscitari possunt. Sicut in resurrectione Lazari infremuit spiritus Dominus, & fleuit, respiciensque in cœlum clamauit Lazare veni foras. Vsque adeo difficultatem ostendens eorum qui in peccati assuescunt resuscitari posse. Est enim peccatoris sepulchrum ipsa perdita consuetudo, & animi obduratio contra quam sapiens ait. Qui mentis est dure, corruet in malum. Et alibi. Cor durum male habebit in die nouissimo. Et iterum in prouerbijs. Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnet, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium. Et infra. Adolescens iuxta viam suã ambulans, ẽt cum senuerit, non recedet ab ea. De his deniq; assuetis in peccatis, loquitur Hieremias. Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, ita, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. Tales erant, & adulteri illi duo, quorum alteri dixit Daniel. O inueterate dierum malorum iam venerunt peccata tua quæ operaberis prius. Nos tamen hic de nemine desperare debemus, quia quemadmodum Christus Lazarum adhuc fetidum, iamque quatriduanum resuscitauit: ita quemlibet

Prouer. 28. Eccl. 3. Prouer. 18 21. Hiere. 13. Dan. 13.

assuetum in peccatis, vt resurgat præcipere potest. O igitur domine Iesu Christe rogamus te per immensam clementiam tuam, nostrum quoque digneris tangere loculũ gratia sancta tua, quatenus resurgentes a peccatis, viuamus iustitiæ per gratiam tuam. Sicque per absolutionem Sacerdotis restituamur matri nostræ Ecclesiæ sanctæ, hic per gratiam, & in futuro per gloriam. Postremo subditur.

Et exijt hic sermo in vniuersalem Iudæam de eo, & omnem circa regionem. Et nunciauerunt Ioanni Discipuli eius de omnibus his.

Hic tangitur vtilitas ex dicto miraculo subsecuta in absentibus. Et primo existentibus in Iudæa. Secundo, existentibus in regione vicina. Dicit ergo. Et exijt sermo, id est, fama huius facti in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem, scilicet maritimam, Tyri, & Sydonis, Samariæ, & Gerasemorum. Et nunciauerunt Ioanni Discipuli eius de omnibus his. Nam pro magistro suo zelantes, Christo inuidebant. Ideo nunciauerunt hæc omnia ei non simplici corde, sed inuidia stimulante, vt infra plenius dicetur.

Discipuli Ioannis inuidebant Christo.

FERIA SEXTA SVPER EVANgelio Ioannis, quartæ Dominicæ Quadragesimæ.

Ioan. 11.

Erat quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ, & Marthæ, sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

Languor duplex spiritualis & corporalis.

Est duplex languor, scilicet, corporis, & animæ. Crimine quidem languent iniqui, & nullus est languor peccato deterior. Vnde quot sunt peccatorum genera, tot sunt lãguorum species in peccatore. Corpore vero languent infirmi, & est languor grauis inuisceratus morb⁹. Ex quo elici potest quod infirmitas Lazari erat naturaliter incurabilis, quemadmodum rei exitus demonstra

monſtrauit. Dicit ergo Euangeliſta. Erat autem quidam languens nomine Lazarus, oriundus a Bethania inter quam & Hieruſalem medius fuit mons Oliueti. Oriundus itaque de caſtello Mariæ Magdalenæ, & Marthæ ſororum eius, vt conditio nobilis mulierum illarum deſcriberetur, vt potè quæ Dominæ eſſent oppidi illius. Aſſerit enim Euangeliſta caſtellum eſſe illarum, non ipſas eſſe de caſtello. Deinde determinat Ioãnes quæ fuerit iſta Maria dicens. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis ſuis. Nam lacrymis contrictionis pedes Ieſu rigauit, eosque ſiccauit crinibus ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Et nota, quòd non dixit Euangeliſta, Maria erat quæ poſtea vnxit, aut quæ vnctura erat, ſed quæ vnxit pedes Ieſu, & extersit capillis ſuis, vt intelligamus Mariam fuiſſe illam quæ vnxerat. Et ſi nulla alia apud omnes Euangeliſtas inuenitur de qua verum fuerit quod vnxerit pedes Ieſu ante infirmitatem, & mortem Lazari præter ſororem eius, ergo illam fuiſſe quam Lucas commemorat, & aſſerit ipſam eſſe peccatricem manifeſte conſtat. Et ſi non fuit illa, quærendus eſt illæ Euangeliſta qui vnctionem Christi ante mortem Lazari commemoret. Siquidem de illa citra Lucam nullus alius Euangeliſta commemorationem facit. Et hoc eſt potiſſimum, & euidens argumentum ad oſtendendam Mariam ſororem Lazari fuiſſe peccatricem. Sed infra loco ſuo id eſſe verum fortioribus rationibus oſtendemus.

***Luc. 7* Mariam ſororem Lazari fuiſſe peccatricẽ ratione liquet.**

Miſerunt ergo ſorores eius ad eum dicentes Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Ieſus dixit eis. Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eum, Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus.

Per internuncium miſerunt ſorores Lazari ad Christum, dicentes. Ecce quem amas infirmatur, tanquam

dicerent.

dicerent. Amicus tuus prædilectus in infirmitate laborat. Scimus enim, quòd non poteris sustinere nec differre seu negare quin ad eum curandum accedas. Non explicant quid affectant. Arbitrantur enim sufficere, vt causam insinuent, cuius insinuatio est species orationis. Quemadmodum virgo Maria in nuptijs dixit ad filium suum. Vinum non habent. Nec decuit eas personaliter ire ad Iesum, tum quia fœminæ erant quas non decet discurrere, tum quia frater languidus indigebat earum obsequio atque præsentia, nec ipse libenter recessissent à fratre tam carissimo, qui fuit strenuus ac nobilis miles, diues & iustus, ac Christi Discipulus eo modo quo Ioseph ab Arimathia & Nicodemus. Non dicunt sorores cum Regulo, domine descende antequam moriatur, nec cum Centurione Domine ne intres sub tectum nostrum, sed modum subueniẽdi Christo committunt, tanquam sapientiori. Non petierunt insuper gratiam sanitatis fratris per amorem quo frater amabat ipsum, sed sapientius per amorem quo ipse fratrem ipsarum amabat. Ecce inquiunt, quem amas infirmatur. Quoniam amare Christum magnum est, amari à Christo est longe maius. Est enim amor quo amat nos nostræ salutis ratio. Amor autem quo amamus ipsum, illius quædam tenuis adumbratio est, nec vnquam ipsum tantum amare possumus, quantum ipse nos amat.

Ioan. 2.

Melius est amari à Christo, quam amare Christum

Audiens autem Iesus verba sororum, dixit eis per nuntium. Infirmitas hæc non est ad mortem, de qua potest dupliciter loqui. Vel secundum se, & sic erat ad mortem. Nam vere Lazarus ex illa infirmitate mortuus est. Vel vt erat sub ordine diuinæ prouidentiæ, & sic verum est, quòd non erat ad mortem, vt, scilicet, Lazarus maneret mortuus vsque ad iudicium, sicut alij homines mortui. Sed pro gloria Dei, id est ad manifestationem diuinæ potentiæ ordinatur. Vel pro gloria Dei, id est, ad gloriosam resuscitationem defuncti soli Deo possibilem, vt in illa declaretur excellentia Dei, qui vitæ & mortis habet imperium. Et vt glorificetur, id est,

id est, gloriosius appareat Christus, & vt verus Dei filius naturalis per huiusmodi resurrectionem palam insinuetur. Siquidem Lazari resurrectio adeo fuit miraculosa, vt non potuerit esse nisi a Deo. Iccirco Deus per Iesum eam efficit, ostendit veram esse doctrinam eius, & ex consequenti ipsum esse Messiam ac Dei filium naturalem, patri consubstantialem, sicut ipsæ personaliter docuit. Fatetur enim Christus infirmitatem Lazari fuisse pro gloria Dei, moxque adiecit, vt glorificetur filius Dei, per eam. Quibus vtique verbis duo insinuare voluit.

Primo, quod sit vna, & eadem gloria Dei, & filio Dei.

Vna, & eadem est gloria patris, & filij.

Secundo, filium Dei esse Deum. Deinde subdit. Diligebat autem Iesus Martham hospitam suam, & sororem eius Mariam Discipulam suam præcipuam, pariter, & Lazarum in exterioribus strenuum, interioribusque deuotum. Ad denotandum tria esse genera personarum quæ diliguntur à Deo, scilicet, incipientes, proficientes, & perfecti. Et non solum diligebat has tres personas, sed vicissim ab illis diligebatur. Erat tamen amor Christi potentior quam omnium aliorum diligentium ipsum. Vt ergo audiuit quia infirmatur, tunc quidem mansit in eodem loco prope Iordanem duobus diebus, quatenus ante suum aduentum in Bethaniam Lazarus moreretur, sepeliretur, & quatriduanus efficeretur. Sicque miraculum gloriosius appareret, nec dæmoni posset ascribi, Obstinati quoque Iudæi inexcusabiles redderentur, & Discipuli cæterique electi in fide roborarentur, necnon & plures Iudæorum viso tanto prodigio conuerterentur ad Christum, sicut & factum est.

Deinde post hæc dixit Discipulis suis. Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei Discipuli. Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus. Nonne duodecim sunt horæ diei? Siquis ambulauerit in die non offendit, quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit

uerit in nocte offendit, quia lux non est in eo, Hæc ait, et post hæc dicit eis. Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo Discipuli eius. Domine si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius. Illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tūc ergo dixit eis Iesus manifeste. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur didymus ad condiscipulos. Eamus & nos, & moriamur cum eo.

Tertio die postquam recessit nuntius à Christo, dixit Discipulis suis. Eamus in Iudæam iterum. Cui dixerunt Discipuli. Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Ac si dicerent, ire non debes, ne præ odio in te concepto ipsi te perdant. Quibus verbis ostenderunt malæ memores esse verborum Christi quæ prius dixerat. Nemo tollit animam meam sed ego pono eam à meipso. Nunc intellexerunt quod ipsæ non pro arbitrio maleuolorum Iudæorum mori poterat, sed quando vellet, & quando tempus à Deo definitum aduenisset. Ideo respondit eis. Nonne duodecimum sunt horæ diei? Ac si velit dicere. Quemadmodum sunt horæ diei quæ prouidentia Dei definitæ sunt, & nequaquam nostro arbitrio aut plures, aut pauciores, protractiores aut cōtractiores fiunt, sic & dies, id est, tempus præsentiæ Christi super terram definitus erat neque pro arbitrio hominum augeri aut minui poterat. Nequaquam igitur deterrendus erat Dominus ne illuc iret metu Iudæorum volentium ipsi diem, id est, spacium vitæ adimere. Vel aliter. Nonne duodecim sunt horæ diei? Quia tunc temporis erat equinoctium. Ac si aperte dicat. Quemadmodum vtantur quæ geruntur non solum de hebdomada in hebdomadam, & de die in diem, sed etiam de hora in horā vniuiusque diei, non semel sed multoties, ita mutantur hominum corda, vt per hoc intelligerent, quòd licet pauloante quæsierint Iudæi ipsum lapidare, modo est aliud tempus, in quo forte non quærent hoc. Si autem per diem intelligamus illum æternitatis diem de quo Dauid in persona

Nonne duodecim sunt hora diei. Primo, exponitur.

Secūda aliter exponitur.

persona patris ita filium alloquitur. Filius meus es tu, ego hodie genui te, id est, semper, & perpetuo, huius diei duodecim sunt horæ.

Tertia intelligentia duodecim horarum.

Prima est, gloria Dei.
Secunda, vnitas ipsius.
Tertia, Trinitas personarum.
Quarta, paternitas Patris.
Quinta, generatio Filij.
Sexta, productio Spiritus sancti.
Septima, omnipotentia Patris.
Octaua, sapientia Filij.
Nona, bonitas Spiritus sancti.
Decima, cognitio Dei.
Vndecima, prædestinatio Sanctorum.
Duodecima, reprobatio malorum.

Si vero per diem intelligere volumus totum tempus Gratiæ, de quo supra dixerat Dominus, Me oportet operari donec dies est, illius diei etiam duodecim sunt horę, quorũ tres Deo attribuuntur, scilicet, Fides, Spes, Charitas. Tres animæ rationali, videlicet, Cognitio peccati, Contrictio, Oratio. Tres corpori, vt pote, Cõfessio, Ieiunium, suijpsius Abiectio. Tres proximo. s. Restitutio iniuriarum, Remissio, Eleæmosyna. Possumus etiã per diem intelligere Christum, & fidem eius, cuius duodecim sũt Apostoli. & Articuli, veluti duodecim horę. Porrò qui in die sensibili ambulat in aliqđ obstaculũ non impingit, quia lucẽ huius sensibilis Mũdi videt. Sic & qui ambulant in die Xp̃i, q̃ est lux Sp̃ũlis, lux diuina Mundi in vllam rẽ impingere possunt, quæ ipsis aliquod afferret detrimentum, quia lumen diei, & verissimi quidem diei habent. Non ergo debebant deterrere Dñum ne iret in Iudęam. Sed ne ipsi quidem timere cũ ipso ire, ꝙ tuti ab omni periculo ituri essent in sancta eius præsentiæ luce. Qui aũt in tenebris ambulant, id est, in hoc mundo illa luce priuati hi timere debent, ne in uaria impingant offendicula, quemadmodum & illi qui in nocte huius mũdi ambulant in crebra incidũt pericula, quia in tenebris non desunt offendicula.

Alia intelligentia horarum.

Post

Post hæc loquitur Dominus de statu Lazari,& morte eius dicens. Lazarus amicus noster dormit,sed vado vt à somno excitem eum . Vbi de dormitione,& somno quæ opponuntur vitæ temporali non vigiliæ, loquebatur,& de excitatione à morte. Discipuli vero non intelligentes verba Christi, sed de quiete quæ aduersatur labori, & vigiliæ cum intelligerent dixerunt. Domine si dormit,saluus erit. Ac si dicant. Cum dormiat, ab infirmitate sua conualescet , atque sanabitur. Pro quo non est ignorandum somnum multis modis accipi in diuinis scripturis .

Somnus multiplex.

Primo,pro quiete,& somno naturæ, qui est exteriorum sensuum quædam clausura , & quies , iuxta illud Saluatoris. Dormite iam,& requiescite .

Matth. 26.

Secundo,pro dormitione peccati , dicente Apostolo . Scientes quia hora est iam nos de somno surgere. Et rursus. Surge qui dormis,& exurge à mortuis,& illuminabit te Christus .

Rom. 13. *Ephe. 5.*

Tertio, pro negligentia,& pigritia , iuxta illud Salomonis. Vsquequo piger dormis,vsquequo de somno consurges? Esaias insuper . Speculatores cæci videntes vana , & dormientes . Contra quos Psalmista clamat . Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël. Ideo Petrus . Fratres sobrij estote,& vigilate in orationibus .

Esa. 56. *1. Petri 5.*

Quarto,pro spirituali quiete ac diuinorum contemplatione,sicut in Canticis . Ego dormio,inquit sponsa Christi,& cor meum vigilat .

Cantico. 5.

Quinto,pro æterna quiete sanctorum, dicente Psalmista . In pace in idipsum,dormiam,& requiescam . Et in Euangelica parabola.Iam pueri mei,inquit paterfamilias, sunt in cubili .

Luc.21.

Sexto,pro somno mortis , sicut Apostolus testatur. Nolumus vos ignorare de dormientibus. Ideo Dominus in Euangelio. Non est mortua puella,sed dormit. Et de hac dormitione loquebatur Dominus cum aperte dixit . Lazarus amicus noster dormit,id est,mortuus est. Et addidit. Ego vero gaudeo propter vos quod non eram

1. Thes. 4. *Matth. 9.*

eram ibi, quia hæc erit vobis magna credendi occasio. Non eram ibi corpore, sed virtute, ac si corpore præsens essem. Et quia corpore non fui præsens, corroborabitur vestra fides, & credetis quod aberam, & adderam. Quo dicto, Thomas qui dicitur Didymus, id est, gemellus quomodo nominari solent qui gemino partu editi sunt, dixit ad alios Discipulos, Eamus, & nos, & moriamur cum eo. Cuius verba ita interpretatur Chrysost. dicens, Thomas protulit verba ex quadam infirmitate, & timore seu diffidentia, tanquam diceret. Quemadmodum Christus exponit se periculo mortis eundo Iudæam versus, sic, & nos cum ipso tendamus exponentes nos eidem discrimini, à quo verisimiliter non euademus, sed occidemur. Nondum enim Apostoli stabiles erant in fide. Alij dicunt verba Apostoli Thomæ fuisse magni feruoris impauidique animi adhortantis alios Discipulos, quasi velit dicere. Eamus cum Iesu vt simul cum ipso moriamur simul lapidemur, simul occidamur. Et dixit hæc Thomas agnoscens Christi voluntatem eundi in Iudæam, & sponte offerre se Iudaicæ persecutionis periculo, quam manifeste viderant fuisse, & cognoscens illorum nequitiam arbitrabatur sicut veritas erat, quod non desisterent ab ipsius persecutione.

Verba Thome exponit Chrysost.

Aliter exponuntur.

Venit itaque Iesus, & inuenit eum quattuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam vt consolarentur eas de fratre suo. Martha autem vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum. Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus. Sed, & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus, resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit illi Iesus. Ego sum resurrectio, & vita. Qui credit in me etiam si mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi, Vtique domine.

Ego

Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui qui in hunc mundum venisti.

Venit Iesus cum Discipulis suis in Bethaniam, & inuenit Lazarum, id est corpus eius iam quatuor dies in sepulchro habẽs, vt ostenderetur excellentia illius miraculi super omnia prophetarum miracula. Erat autem Bethania distãs a ciuitate Hierosolymitana quasi stadijs quindecim, quæ duo ferè miliaria efficiunt. Et multi ex Iudæis Hierosolymitani venerant ad Martam, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Ex quibus verbis arbitrari possumus domum illam honorificam fuisse, Martham quoque, & Mariam, ac Lazarum, honorificas personas, cum ex tanta vrbe, quæ erat domina Prouinciarum, venerint non pauci ad tantam distantiam, & in ea difficultate ascensus, & descensus montis, vt consolarentur Martham, & Mariam, super morte fratris sui, & tanto tempore, vt quinque, aut sex diebus ibi remanserint. Siquidem hac de causa venerant, vt per septem dies luctus consolarentur eas. Diuinæ autem prouidentiæ nutu eorum pietas in Lazarum, & sorores eius ordinata est, vt intelligerent se non esse veros consolatores, sed eum, qui vere consolaturus erat eas, qui est omnium verus consolator, viderent, & videntes crederent, & credentes consolationem reciperent æternam. Nondum Dominus, & Discipuli intrauerant Bethaniam, cum Marthæ nunciatum est, quòd ipse veniret. Quæ vt audiuit venit illi obuiam. Maria autem in luctu domi sedebat, neque quidquam de Domino intellexerat. Vt autem Martha venit ad Dominum, veneratione ea, quam sciuit, & potuit exhibita dixit illi. Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed, & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus, Cum enim dixit, Si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus, fidem suam ex præsentia Christi manifestauit. Quia si fuisset præsens neque Lazaro ægrotanti, neque sorori petenti opem negasset. Et hæc erat vera fides. Cum vero adiecit, sed, & nunc scio quia quæcunque poposceris à Deo dabit tibi Deus,

Nobilis domus sororũ Lazari.

Magna fides Marthæ.

Deus maiorem fidem oſtendit, quaſi diceret. Certa ſum, quòd nihil irrationabile petere potes, & quod à Deo omnia quantumcunque magna, difficilia, & ſupernaturalia ſint, tibi facillima ſunt ad impetrandum.

Sed dicit illi Ieſus, reſurget frater tuus. Id eſt, de reſurrectione quę in pſenti futura erat loquebatur Chriſtus, quemadmodum prius dixerat Diſcipulis ſuis. Vado vt a ſomno excitem eum. At Martha cum id non intelligeret, dixit. Scio quia reſurget in nouiſſimo die. Et verum quidem dixit, ſed non reſpondit ad verbum Domini. Veram tamen fidem demonſtrauit, cum ait, Scio, id eſt, fideliter credo quemadmodum & Iob idem teſtatur dicens. Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, &c. Reſpondit autem ei Ieſus. Ego ſum reſurrectio, id eſt, cauſa reſurrectionis omnium mortuorum, potens ſuſcitare defunctos, etiam ſecundùm vtranq; naturam, quoniam diuina virtute fiet in die iudicij generalis reſurrectio mortuorum. Secundum humanam quoque ipſius naturam in iudicio mortui reſurgent. Nam pater dedit ei poteſtatem iudicium facere, quia filius hominis eſt. Et non tantum ſum reſurrectio, ſed vita per eſſentiam. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo. Sum quoque principium, cauſa, & origo omnis vitæ, naturæ, gratiæ, & gloriæ, dicente Apoſtolo. Cum autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſi in gloria. Qui credit in me fide formata, quæ vt ait Apoſtolus, per dilectionem operatur & vſque in finem perſeuerat, etiam ſi mortuus fuerit corpore, id eſt, quamuis contigerit eum de hoc ſeculo migrare, ſicut nunc Lazarus mortuus eſt, viuet in anima vita gratiæ pariter & gloriæ. Et tandem viuet vita corporali, quando immutabitur glorificato corpore. Et omnis qui viuit in hoc ſeculo vita naturæ, & credit in me per continuam perſeuerantiam quæ non eſt ſine gratia gratificante, non morietur

Iob. 19. *Ioan. 5.* *Collo. 3.* *Gal. 5.*

tur in æternum, id est finaliter non peribit, neque æter-
nam damnationem incurret. Iustorum enim animæ in
Sapien. 3. manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mor-
tiæ. Fides igitur viua causa est omnium bonorum, tam
corporis quam animæ, &c.

His dictis interrogat Christus Martham. Cre-
dis hoc? Quærit enim quod nouit vt illa confitendo ma-
iorem gratiam mereatur. Ore enim confessio fit ad sa-
lutem. Ait illi Martha. Vtique domine. Iam quæ
asseris credo, & iam fide maiorem habeo quam a[illegible]
His verbis auditis, aliquid [illegible] te fa[illegible]
se asserere arbitror. Ego credidi iam dudum, quia tu es
Christus filius Dei viui. Credidi inquam te esse Chri-
stum, id est vnctum, in Prophetam, regem, & sacerdo-
tem a Deo spirituali vnctione se omnium donorum
Charismatum plenitudine, dicente Psalmista. Vnxit
te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.
Act. 10. Petrus insuper ait. Vnxit eum Deus Spiritu sancto
& virtute. Et ipse quoque Christus per Esaiam
idem testatur dicens. Spiritus Domini super me,
eo quod vnxerit me, &c. Et non est mirum si Mar-
tha asserat Christum ac magistrum suum, quem
humana carne oculis intuebatur, esse filium Dei
ui. quem [illegible] Christus suam diuinitatem ex-
Quemodo Christus suam explicauit diuinitatem. plicite explicauit. Primo, per hoc, quod ait. Qui
credit in me, &c. Fides enim cum sit virtus theolo-
gica non habet nisi Deum pro obiecto immediato, cui
confidendum est, nisi soli Deo. Secundo per id quod
subdit. Non morietur in æternum. Qui enim
constituit nostram salutem in seipso, sed hominum
Hier. 17. 3. lus non nisi in vero Deo consistere videtur. Ideo Hie-
remias clamat. Maledictus homo qui cōfidit in homi-
ne. Et rursus. Vere in domino Deo nostro salus. Hinc
que Dominus protestatur per Oseam. Ego Dominus
Deus tuus & Saluator, non est alius præter me. Cre-
ergo dicit Martha, magistri sui verbis auditis. Tu es
Christus filius Dei viui qui in hunc mundū venisti per
humanitatis assumptionem, ac visibilē apparitionem.

Et

Et cum hæc dixiſſet, abijt, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens. Magiſter adeſt, & vocat te. Illa autem vt audiuit, ſurrexit cito, & venit ad eum. Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi igitur qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſet Mariam quia cito ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam dicentes. Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria autem cum veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum cecidit ad pedes eius, & dixit ei. Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus. Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum, & dixit. Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei. Domine veni, & vide. Et lacrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi. Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt. Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur.

Abijt Martha, & non ſine commiſſione vel licentia Chriſti, & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens. Magiſter adeſt, & vocat te, id eſt vocari te iuſſit per me. Ex quo conſtat, quod Ieſus fecit eam vocari, licet Euangeliſta id gratia breuitatis omittat. Illa vero vt audiuit ſe vocatam à magiſtro ſuo chariſſimo, quem præ ceteris hominibus amauit, ſurgit cito tanquam obediens ſeruidaque diſcipula, dans obedientiæ formam, vt cito, & feruide obediamus. Vehementer quoque fuit gauiſa audito Chriſti aduentu, preſertim quoniam vidit ſororem ſuam Martham quodam gaudio perfuſam, & venit ad eum. Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam quia cito ſurrexit, & exijt, ſecuti ſunt eam, dicentes. Quia vadit ad monumentum Lazari, vt ploret ibi interitum fratris. At Maria cum veniſſet vbi erat Ieſus, videns eum oculis carnis, & fidei cecidit ad pedes eius, & dixit. Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus. Cuius verba ſunt deplorantis in-

felicem ſortem ſuam abſentia Ieſu, in tempore ægritudinis fratris, fideliter credendo quòd ſi affuiſſet, tum amore proprio, tum precibus motus ſeruaſſet Lazarum à morte. Erat igitur vna & eadem fides Mariæ & Marthæ. Plorabat ſiquidem Maria abunde, & ſuſpiria cordis emittebat, cuius erant lacrymæ pietatis ab humano quidem corde. Et adeo potentes erant vt ab omnibus qui aderant lacrymę eijcerentur. Tales autem lacrymas audit & videt Deus, de quibus Propheta ait. Auribus percipe lacrymas meas. Ideo ſubditur. Ieſus ergo vt vidit eam plorantem Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infręmuit ſpiritu & turbauit ſeipſum. Infremuit quidem ſpiritu, quòd diuinam quandam ſignificat motionem, & ipſum magnum ac diuinum opus facturum indicat. Sed quid diuinum opus indicat, niſi Lazarum euocaturum ab inferis t[illegible] iam diebus mortuum? Tam enim fręmitus quàm turbatio nomen eſt paſſionis. Et fręmitus quidem ad feruorem animi, & ad arduum aggrediendum ſpectat. Turbatio autem ad quandam corporis triſtitiam, vt ſimul diuinam & humanam naturam oſtenderet. Deinde interrogat, vbi poſuiſtis eum? Non quod idipſum lateret, ſed vt qui perducerent eum ad locum diuinam cognoſcerent potentiam, & participes eſſent gaudij, qui ob pietatis affectum luctus fuerant participes. Et dicunt ei, Domine veni & vide. Parum fuiſſet eum veniſſe corpore, qui aderat diuinitate, niſi viſſet oculis miſerationis, & clementiæ ſuæ. Procedentibus itaque ex loco illo. & Bethaniam intrantibus peruenit Dominus ad locum vbi tumulatus erat Lazarus. Et lacrymatus eſt Ieſus, ex compaſſione ſororum, alijs de cauſis. Quod videntes Iudæi cum intelligerent eſſe lacrymas amoris quia non eſt commiſeratio ſine amore dixerunt. Ecce quomodo amabat eum. Et certe ſic amabat eum vt amat omnes, ita vt nullus amor in hominibus amatis illi reſpondere poſſit, ſicut nulla lux in rebus illuminatis eſt æqualis luci ſolis. Alij vero dicebant. Non poterat hic qui aperuit ocu-

los

Vna, & eadem fides Mariæ, & Marthæ.

Quid fremitus, & turbatio.

los cæci nati facere vt hic non moreretur? Commiſerationem videbant, turbationem intuebantur, inſpiciebant lacrymas, amorem intelligebant, vnde præter voluntatem eius mortem Lazari accidiſſe arbitrabantur. Triſtitia enim eſt de his quæ nobis nolentibus accidunt. Propterea vel dubitantes inquirendo dicunt non poterat, vel admirando dicunt non poterat. Ac ſi apertius dixiſſent. Mirum eſt, quòd non potuit, ex quo aperuit oculos cæci nati facere, vt hic non moreretur. Nondum enim in fide firmitatem habebant, nec Chriſti virtutem agnoſcebant.

Ieſus ergo rurſum fræmens in ſemetipſo venit ad monumentum. Erat autem ſpelunca; & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus. Tollite lapidem, Dicit ei; Martha ſoror eius qui mortuus fuerat. Domine iam fetet, quatriduanus enim eſt. Dicit ei Ieſus. Nonne dixit tibi quoniam ſi credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit. Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam quia ſemper me audis. Sed propter populum qui circunſtat dixi, vt credant quia tu me miſiſti. Hæc cum dixiſſet, voce magna clamauit. Lazare veni foras. Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dicit eis Ieſus. Soluite eum & ſinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Ieſus crediderunt in eum.

Venit Chriſtus ad monumentum iterum fremiens diſpoſitionem animi ad opus arduum in ſeipſo proportionatam oſtendens, vt magnitudinem operis penſemus. Erat autem ſpelunca, id eſt, cauerna & fouea magna, precioſe & artificioſe conſtructa iuxta conſuetudinem Iudæorum qui ſumptuoſiſſimas ſepulturas facere conſueuerũt more Patriarcharum Abrahę, Iſaac, & Iacob, qui pro ſepultura ſua ac ſuorum adeo erant ſolliciti, vt Tomo 2. circa finem ſatis abunde locuti ſumus. Et lapis grandis ſuperpoſitus erat ei, ſed ait Ieſus. Tollite lapidem, quatenus reſuſcitando pateat

Cur Chriſtus fræmẽs venit ad monumentum.

exitus. Dixit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat. Domine iam fetet, quatriduanus est, id est, quatuor dies habet in monumentum, ideo cadauer ex resolutione & putrefactione malum fundit odorem qui non decet sentiri à te magistro & Domino meo. Nam secundum Bedam Martha non dixit hæc verba ex incredulitate, vel diffidencia resuscitationis sui fratris, sed ne Christus malo offenderetur odore. Theophylatus vero oppositum asserit vt ex verbis sequentibus liquet. Nam dixit ei Iesus. Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Quasi dicat. Non propter temporis diuturnitatem diffidere, omnia enim possibilia sunt credenti. Tulerunt ergo lapidem de monumento, ipsa non amplius reluctante, sed humiliter consentiente.

Tunc Iesus in gratiarum actiones audiente turba prorupit. Tum vt verum hominem se esse testetur orat Deum & gratias agit ei. Tum vt Iudæi videant quod non ad dæmonem, sed ad Deum conditorem cunctorum recurrit. Tum vt magnitudinem operis significet.

Cur Christus orat Deum.

Tum vt internam mentis eleuationem. Etiam exterior eleuatione oculorum doceat. Et ait. Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Audierat & exaudierat eum non solum de suscitatione Lazari à corporis morte, sed de suscitatione eorum qui aderant à morte peccati, & infidelitatis, quæ est maior suscitatio, & magis optanda quam prima. Proinde subiungit. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circunstat dixi, vt credant quia tu me misisti. Id enim, Credere eis magis necessarium atque conducibile erat quam Lazarum suscitari. Et cum gratias egisset, voce magna clamauit. Lazare veni foras. Quam potēs, & quam magna fuerit hæc vox, liquet, quoniam eam audiuit infernus. Quam forte & quam validum fuerit imperium Christi dicentis Lazare veni foras etiam manifeste constat, quoniam neque mors, neque mortis principes potuerunt obsistere, vt intelligamus verbo Dei nihil esse impossibile, siue in cælo sursum

ne in terra deorsum, siue in profundis abyssi. Omnia enim parent verbo eius cœlestia, terrestria, & inferna. Nam simul cum verbo ipso prodijt qui fuerat mortuus, ligatus manus institis, cuius facies sudario erat ligata, quæ omnia erant mortis testimonia. Omittit hic Euangelista quanta admiratio, quantusque stupor apprehenderit circumstantes. Deinde dixit eis Iesus. Soluite eum. Vult enim Iesus vt alij soluant fascias Lazari, vt tangendo Lazarum etiam sensu tactus cognoscant veritatem miraculi, & alij hoc videntes firmentur. Et cum subdit, sinite eum abire, id ad perfectionem notitiæ spectat, vt etiam videant Lazarum ambulare. Quo facto qui prius fetebat & a tineis rodebatur, repente Dei gratia spirat, & omnis morbus, & quicquid illum consequebatur in momento simul cum verbo Christi interijt, vt nos intelligamus cum à morte peccati suscitat, & omnem fetorem, & quicquid mortem illam cōmitabatur plenissime aboreri. Tunc cognouerunt Iudæi quàm stulte dixerant. Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati facere vt hic non moreretur. Et hæc quæ fecit Iesus cum vidissent qui venerant ad Mariam & Martham, crediderunt in eum. Ecce primus istius miraculi fructus in Iudæis. Et hæc est verissime gesta.

SABBATO QVARTAE DOMINICÆ Quadragesimæ, Super Euangelio Ioannis.

Dixit Iesus turbis Iudæorum. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ. Ioan. 8.

Non accipitur hic mundus pro patre in diuinis qui dicitur mundus archetypus, de quo Ioannes, loquens de filio Dei ait. In mundo erat, id est, in patre. Nec accipitur hic mundus pro tota machina mundiali, *Mundus multiplex in scripturis.*

Ioan. 1. vt inde subdit Euangelista. Et mundus per ipsum factus
est. Nec sumitur mundus pro vita, & societate malo-
rum ac reproborum hominum, de quo Dominus in
Ioan. 7. Euangelio. Non potest mundus odisse vos. Me au-
Ioan. 15. tem odit, quia testimonium perhibeo de illo quia ope-
ra eius mala sunt. Et alio in loco. Vos de mundo non
estis, sed ego elegi vos de mundo, id est, de societate
malorum. Ioannes insuper in epistola canonica. Ca-
1. Ioan. 2. rissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in
mundo. Quia si quis diligit mundum, non est chari-
Iacob. 4. tas patris in eo. Iacobus quoque clamat. Adulteri an
nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo.
Huius mundi diabolus est princeps, Christo attestan-
Ioan. 12. te qui ait. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps
Ioan. 13. huius mundi ejicietur foras. Et infra. Venit enim prin-
ceps mundi huius, & in me non habet quidquam.
Ioan. 3. Accipitur autem hic mundus pro vita, & societate bo-
norum, electorum, & prædestinatorum hominum, de
quo Ioannes. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum
vnigenitum daret.

Prima similitudo inter hominem, & mundum. Homo enim cum isto corporeo, & materiali mundo
non modicam similitudinem gerit. Siquidem vniuersa-
lis hæc mundi machina in duo diuiditur in æthereum,
scilicet, & elementalem regionem. Elementalis quidem
alterationi subiecta est, & in quattuor partitur elemen-
ta. Aetherea vero regio lucida est, à variatione om-
sua immutabili essentia immunis existens, motu conti-
nuo circulariter incedit. Et hæc à philosophis quinta
nuncupatur essentia. Sic homo in duas principales di-
ditur partes, scilicet, in partem elementalem quę est cor-
pus compositum ex quattuor elementis, semper muta-
bile, & alterabile. Et in partem æthetream quæ est a-
ma, lucida per intellectum à variatione omni sua im-
mutabili essentia immunis existens, quia est immorta-
lis, & motu continuo circulariter incedit dum sem-
mouetur à cognitione, & amore creatoris descen-
ad cognitionem creaturarum, pariter, & amorem
iterum redeundo ad Dei amorem. Et hic motus
ration...

rationalis similis motui cœli ab oriente in occidentem redeundo iterum in orientem. Cuius est alius motus oppositus, scilicet, ab occidente in orientem, cui assimilatur motus sensus, & carnis qui habet initium, & finem in creaturis. Et quemadmodum motus circularis cœli est perfectissimus nullum habens contrarium ita motus animæ per intellectum excellentissimus est omnium motuum ceterorum animalium. Et sicut in cœlo, & in illa ætherea parte Deus posuit duo luminaria magna, Solem videlicet, & Lunam, ita in anima statuit intellectum, & voluntatem, tanquam duo luminaria magna. Quibus etiam adduntur alij quinque planetæ qui sunt quinque habitus intellectuales. Collocantur insuper aliæ stellæ, quarum vna supereminet alteri in claritate, quæ sunt omnes virtutes Theologicæ, & morales, ac septem dona spiritus.

Rursus. In hac vniuersali mundi fabrica sex differentiæ positionum reperiuntur, scilicet, sursum, deorsum, ante, retro, dextrum, & sinistrum. Oriens enim est pars dextera mundi, vbi incipit motus solis. Occidens vero est pars sinistra vbi definit. Pars eminentissima cœli super caput nostrum est sursum, quemadmodum centrum mundi est pars deorsum. Est etiam meridies pars anterior, septentrio vero posterior. Ita, & in homine huiusmodi differentiæ positionum reperiuntur, vt pote pars dextera, & sinistra vbi incipit, & definit omnis operatio per loci mutationem. Pars sursum a qua homo capit nutrimentum, & pars deorsum quæ maxime distat ab illa. Est autem pars anterior hominis vbi vigent omnes sensus, pars vero posterior in qua tantum sensus tactus percipitur, His igitur, & alijs differentijs homo micochrosmus merito dicitur, quasi paruus mundus. *Secunda similitudo.*

Christus insuper assimilatur soli propter septem ipsius proprietates, quibus in his inferioribus operatur.

Primo, Sol purgat, & mundat humorem noxium exsiccando, quemadmodum in locis super quibus lux Solis non transit multas sordes simul, & fetores perci- *Prima proprietas.*

pere

Quomodo Christus assimilatur Soli per septem ipsius proprietates. pere solemus. Pariter quodlibet quod in tenebris iacet, dum extrahitur fetet. Purgatur autem si apponitur Soli. Sic per carentiam diuinæ lucis anima sordibus concupiscentiarum marcet & fetet. Mundatur vero superueniente luce diuinæ gratiæ. Ideo sic orare debemus. Sancti spiritus adsit nobis gratia quæ corda nostra purget & mundet &c.

Secũda proprietas. Secundo, Solem habere virtutem viuificandi euidens est. Siquidem ipso elongante se à nobis per gradus Zodiaci vidétur arbores & fere omnia genera fructuum esse mortificata. Redeunte vero, omnia videntur viuificari pariter & gaudere. Sic absente ab anima diuini splendoris gratia, mortua in sordibus iacet, dicente Saluatore. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. uificatur autem per virtutem & assistentiam illius splendoris inaccessibilis.

Tertia proprietas. Tertio, Sol suapte natura nobis lumen ministrat, tenebras quoque fugat, lumenque suum etiam alijs sideribus tribuit. Est enim sol oculus mundi quo omnia videmus. Nam color nisi per medium illuminatum minime videtur. Ita sine lumine diuinæ gratiæ non possumus discernere quę bona agenda sunt a nobis, & quæ mala sunt dimittenda. Nec potest homo super omnia Deum amare. Ideo Propheta clamat. Illumina oculos meos per lumen diuinæ gratiæ, ne vnquam obdormiam in morte. Et rursus. Dominus illuminatio mea & salus mea quem timebo?

Quarta proprietas. Quarto, est quod proprium Solis lętificare. Ipse namque tristitiam discutit, atque humani etiam animi nubila serenat. Siquidem post longum ymbrem letantur omnes cum solem intuentur. Gaudent insuper ægrotantes ad ortum Solis, quasi ad in dictam in infirmitatibus singularissimam. Omnia quoque animalia precipue volatilia ad ortum Solis dum cantant gaudium & non modicam lætitiam præstant auditoribus. Sic splendor diuinæ gratiæ spiritualibus infirmis adueniens inextimabilem consolationem incutit. Et nimirum quoniam reconciliatur principi summo quod est

est quid maximum quod debet desiderare peccator. Et non est qui non gaudeat bonis operibus cum Domino in lætitia famulatur. Et non est lætitia quæ huic possit æquari.

Quinto, Sol habet virtutem fortificandi cum sit maioris quãtitatis & velocioris motus quam sydus quodlibet nobis propinquum. Et plus habet potentiæ in corporibus inferioribus. Semperque mouetur & nunquam quiescit. Ideo animalia quæque in sui eleuatione fortificantur, & ad laborem corroborantur. Flores insuper plantas & vites ad ortum Solis fortes esse conspicimus, simul & validiores. Quæ omnia in occasu suo, sol veluti destituta debilia relinquit. Si sol diuinorum donorum attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Fortificat ad bene operandum, roborat ad sufferendum. Ideo Apostolo in tribulationibus constituto ait Christus. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Iccirco subdit Apostolus. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Ibant igitur Apostoli gaudentes a conspectu concilij, &c. *Quinta proprietas.* *1. Cor. 12.*

Sexto, Sol eleuat vapores, & exhalationes à terra vsque ad supremam regionem aëris ibidemque incenduntur, & quodammodo conuertuntur in ignem. Sic splendor diuinæ gratiæ aliquos spirituales animos eleuat vsque ad contemplationem diuinarum rerum, & fiunt eis manifesta secreta Dei, ibidemq; incenduntur & ardent diuino amore, optantque insuper ibi diutius, morari, quemadmodum Apostolus Paulus raptus vsque ad tertium cœlum audiens Archana Dei quę non licet homini loqui, dixit. Cupio dissolui & esse cum Christo. Apostoli quoque eleuati ad illam supremam visionem claritatis corporis Christi in eius transfiguratione, dixerunt. Bonum est nos hic esse. Et ita de alijs contemplatiuis cum ex diuina gratia eleuantur in extasi. *Sexta proprietas.*

Septimo, Sol congregat homogenæa, id est, ea quæ sunt *Septima proprietas.*

ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſegregat ætherogenea ea videlicet quæ ſunt diuerſarum ſpecierum. Vt patet in luto, à quo ſol ſegregat aquam à terra exſiccando eam. Sic ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter ſplendore ac ſuæ diuinæ gratiæ calore congregat omnes electos in vnum faciens illos conuiuare, & congaudere, quemadmodum in domo Iob, & Thobiæ, in quibus conuiuabant, & congratulabantur ſoli boni. Segregat inſuper ætherogenea, id eſt bonos à malis, & non ſinet eos habitare ſimul, magis autem in die iudicij quando exhibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibique erit fletus, & ſtridor dentium, &c.

Math. 13.

Chriſtus ergo merito dicit, ego ſum lux mundi, ſpiritualis, & non corporalis, per eſſentiam, & non per participationem. Qui ſequitur me, ſcilicet fide, & operibus bonis ferendo crucem quemadmodum ipſæ teſtatur. Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Talis non ambulat in tenebris, ſcilicet ignorantiæ, & peccatorum, ſed habebit lumen vitæ gratiæ videlicet, & gloriæ.

Dixerunt ergo Phariſæi. Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. Reſpondit Ieſus & dixit eis. Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio vnde veni aut quo vado.

Tres conditiones ad verum teſtimonium.

Ad verum teſtimonium tria neceſſario requiruntur.

Primo, veritas vt ita ſit ſicut verba ſignificare videntur.

Secundo, iuſtitia vt teſtimonium ſit iuſtum non ex paſſione prolatum. Suſpecti enim teſtimonium, non habetur pro vero teſtimonio.

Tertio, vt ſit legitimum. Et ſi aliquid horum deſit, non eſt verum teſtimonium. Vtpote non conſtans ex his quæ requiruntur ad integram rationem teſtimonij. Quemadmodum nos eſt verum aurum ſi aliquid deſit ex requiſitis ad veritatem auri. Teſtimonium autem Chriſti has tres conditiones complectebatur, ideo ipſum fuiſſe verum operæprecium eſt. Habuit

buit enim primo veritatem, quoniam veritas sermonis pendet ex vera scientia. Siquidem oportet scire sic esse, qui testatur ita esse. Et propterea quantum ex parte scientiæ manifestat Christus suum proprium testimonium esse verum, dicendo. Quia scio vnde veni, & quo vado. Vniuersa enim materia à Christo testificata consistit in misterio incarnationis, & fructu ipsius. Quã obrem vtriusque se plenam habere notitiam explicat. Misterij quidem incarnationis dicendo, vnde veni. Nam in his verbis continetur vtraque natura. Cum enim dicitur, vnde, deitas significatur cum origine à patre iuxta illud. Exiui a patre, &c. Cum vero subditur, Veni, myſterium incarnationis explicatur. Fructus autem dicendo, Et quo vado. Totus nanque progressus eius ad salutem humani generis significatur, dicendo. Vado, scilicet explere redemptionis opus. Vos autem nescitis vnde venio aut quo vado. Differentia igitur inter me, & vos est penes scire, & nescire, vnde venio aut quo vado. Vos enim dicitis, testimonium tuum de teipso non est verum, & ego assero ipsum esse verum, quia scio. Sum quidem via veritas, & vita. Ac si apertius dixisset. Si vos sciretis vnde venio aut quo ego vado, non diceretis mihi. Testimonium tuum de teipso non est verum.

Prima conditio veri testimonij.

Vos autem secundum carnem iudicatis, ego iudico quenquam. Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me pater.

Testimonium Christi de seipso, habuit secundam conditionem, scilicet iustitiam. Nam iustitia veri testimonij in hoc consistere videtur, vt non procedat ex passione, ex nimio affectu, sed ex debito iustitiæ. Hanc quoque condictionem ostendit cum dixit. Vos secundum carnem iudicatis. Quasi velit dicere. Differentia inter me, & vos penes iustitiam est, quia vos secundum carnem iudicatis. Iudicare enim est proprius actus iustitiæ cum sit iusdicere. Vnde iudicare secundum carnem, est ius dicere secundum carnalem affectum. Ego vero non iudico quenquam. Non dicit, ego non iudicabo,

Secunda cõditio veri testimonij

Iudicare est actus iustitia.

cabo, sed asserit ego non iudico, quia quamuis futurus esset iudex, in præsenti tamen vita non iudicauit. Deinde subdit. Et si iudico ego, iudicium meum verum est. Nam contra iudicium secundum carnem distinguit iudicium verum. Contra iudicium illorum distinguit iudicium suum, significans quod illi iudicant non ex iustitia sed affectu. Ipse autem iudicat ex iustitia, ac apertius dixisset. Vos secundum carnem iudicatis, secundum carnem testimonium perhibetis, propterea ter vos testimonium proprium non est verum ex parte iustitiæ. Ego autem licet non iudicem, quia tamen si iudico, iudicium meum secundum veritatem iustum est. Ideo etiam testimonium meum de meipso verum est etiam ex parte iustitiæ. Et rationem assignat Christus dicens. Quia solus non sum, id est non sum purus homo, sed Deus, & homo. Hæc est enim ratio, quare iudicium meum verum est, Siquidem Deum se esse significat dicendo, quia solus non sum. Nam quælibet creatura habet hoc quod eius esse non est nisi ipsa ac per hoc sola est suo esse. Sed Christo conuenit vere dicere, solus non sum, cum habeat naturam diuinam humanitati coniunctam. Vnde, & subiungit. Sed ego, quòd est pronomen hypostasis, & qui misit me pater, quod est etiam nomen hypostasis. Et meminit missionis vt intelligamus esse hypostasim vtriusque naturæ, diuinæ, scilicet communis sibi, & patri, & humanæ secundum quam missus est.

Duplex iudicium.

Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater.

Testimonium Christi de seipso habuit tertiam conditionem, quia, scilicet legitimum fuit. Et hanc assignat cum subdit. Et in lege vestra scriptum est, videlicet in lege Moysi quam ipsi profitebantur, quod duorum hominum testimonium verum est. Siquidem quantum ex parte legis numeros binarius testium ad legitimam veritatem sufficit. Ego sum qui testimo

testimonium perhibeo de meipso, ac si aperte dicat. Si duorum hominum testimonium legitime verum est, multo magis testimonium duarum personarum, quæ sunt Deus. Ego enim sum vna persona diuina, & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Ecce alia persona diuina, Vnde me perhibente testimonium de meipso, pater simul testimonium perhibet de me. Ita, quòd testimonium meum de meipso, est testimonium duorum testium, scilicet meum, & patris. Ex quo manifeste constat testimonium Christi de seipso fuisse legitimum, cum esset testimonium duarum personarum. Et per hoc vult palam insinuare indiuisa esse opera diuinarum personarum. Vnde non est quærendum quid sit illud testimonium paternum, quoniam de eodem testimonio loquitur,

Testimoniũ Christi est duarũ personarum diuinarum.

Dicebant ergo ei. Vbi est pater tuus? Respondit Iesus. Neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est Iesus in gazophilatio docens in templo. Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius.

Volebant Iudęi carne attingere quod oportebat eleuatione spiritus, & fide cognoscere. Mens in eis iacebat, spiritus, & fides nulla erat. Et sensus carnis ad diuina percipienda prorsus impotens erat. Ignorantes ergo, dicebant, vbi est pater tuus? Quam ob rem verissime eis Dominus respondit. Neque me scitis, neque patrem meum, scilicet, secundum naturam diuinam. Si me sciretis, scilicet, esse filium Dei pariter, & virginis, forsitan, & patrem meum sciretis eodem modo. Cognitio nanque vnius correlatiui dependet ex cognitione alterius, quoniam per se inuicem diffiniuntur. Iudæi autem nullam diuinam personam nouerunt secundum esse relatiuum sed secundum esse absolutum, asserentes tantum esse vnum Deum. Et hęc diuinissima verba locutus est eis Dominus in Templo in ea parte quæ Gazophilatium dicebatur, vbi opes Templi, & quæ Deo offerebantur dona conseruabantur. Et quamuis voluntatem haberent (stimulante eos conscientia) manus iniicere apre-

Cognitio filij est cognitio patris.

henderent

henderent eum, nemo tamen apprehendit eum, quia
nondum venerat hora qua se apprehendi non solum
permisit sed & voluit.

DOMINICA IN PASSIONE, super Euangelio Ioannis.

Ioan.8. *Dicebat Iesus turbis Iudæorum, et Principibus Sacer-
lotum. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si ve-
ritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex
Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia
ex Deo non estis.*

Tegebant omnem orbem nebulæ falsitatis, & tene-
bræ inuisibiles in Aegypto huius mundi erant, quas
pro luce homines dilexerunt. Veritas exulabat, menda-
cium cuius diabolus inuentor & pater est, vere in om-
nes oppresserat, vt merito Adæ filij arguerentur per
Prophetam. Filij hominum vsque quo graui corde,
quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Om-
ne quoque negotiũ perambulabat in tenebris. Possi-
debatur à maligno diabolo mundus, vbi sua opera fie-
bantur. Ideo opus fuit filium Dei apparere vt dissolue-
ret opera diaboli quę nisi ab ipso dissolui non poterant.
Quamobrem apparens in carne falsitati & menda-
cio eius opposuit veritatem. Sic quippe repellendus erat.
Iudæi autem cum essent filij diaboli, & membra eius,
huic ipse veritatis luci se opposuerunt, & nitebantur ar-
guere Christum primo de moribus & vita, dicentes
Matth. 11. prout Matthæus testatur Euangelista. Ecce homo vo-
Ioan.9. rax & potator vini, publicanorum & peccatorum ami-
cus. Et alibi. Scimus quia hic homo peccator est.
non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.
Rursus, de doctrina asserentes ipsum seducere turbas.
Item. Tu de teipso testimonium dicis, testimonium
tuum non est verum. De miraculis quoque ipsum
arguentes aiebant. In Beelzebub principe dæmonio-
rum eijcit dæmonia. Et ita conabantur ipsius sancti-
tati doctrinæ & miraculis derogare Christus vero

lens eorum malitiam refellere clamabat. Quis ex vobis arguet me de peccato? Ac si aperte dixisset. Omne opus Dei verum est, omne opus diaboli mendacium. Omne autem mendacium peccatum. Quis (inquit) ex vobis arguet me, vere accusabit, reprehendet de peccato quod est diaboli mendacium? Vbi est aduersarius meus? Accedat ad me, stemus in iudicio simul. Quis est qui me condemnat? Christus siquidem verum fatebatur. Nam secundùm naturam diuinam essentialiter Sanctus erat, virtus virtutum, & puritas infinita, tanquam candor lucis æternæ, & speculum sine macula maiestatis paternæ. Rursus, secundùm naturam assumptam confirmatus fuit in bono ab incarnationis exordio, & præcipue propter hypostaticam vnionem cum verbo. Propter quam habuit omnium diuinorum charismatum plenitudinem, gratiamque infinitam, ut esset Sanctus Sanctorum, de quo apud Isaiam ideo legitur. Iniquitatem non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Preterea: Omne peccatum est contra Legem Dei. Christus autem non subijciebatur legi, ideo peccare minime poterat. Rursus: Omne peccatum ex fragilitate procedit, ignorantia, vel malitia. At Christus omnipotens erat, sapiens, & summæ bonus. Ideo: Venerat insuper peccata delere, quare, &c.

Quomodo Iudæi arguebant Christum.

Decuit autem Christum vt hominem esse sine peccato non solum propter vnionem cum verbo, sed quoniam Saluator, mediator, ac totius generis humani aduocatus. Et quia insuper venerat omnes Deo reconciliare, & per seipsum immediate ad Deum accedere, nec non & propter priuilegium ipsius æterni sacerdotij, quamobrem dicit Apostolus. Talis decebat vt nobis esse Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Deinde subdit. Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Ac si apertius diceret. Si non ex odio veritatis, nec ex meo peccato, reddite rationem quare vos non creditis mihi, cum veritatem assero. Sed hæc est ratio, quoniam ex patre mendacij, & peccati estis. Nam qui ex Deo est

Quomodo Christus peccare nō poterat.

Heb. 7.

qui verax est,& veritatis pater,verba Dei audit quæ vera sunt. Propterea vos non auditis, vos non suscipitis, vos non creditis,quia ex Deo non estis. Falso ergo assereretis vos vnum patre habere Deum. Rursus,Qui ex Deo,est inquit Dominus, scilicet natus per fidem bonorum operum operatricem, qui à Deo prædestinatus est ad vitam æternam, is sane verbum Dei tantum audit. Sic non sonum, & vocem tantum, sed cum animi consensu, & obedientia, quemadmodum alibi beatos quoque Dominus pronunciat qui audiunt verbum Dei,& custodiunt illud. Sic Iacobus. Estote,inquit,factores verbi, & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Hinc Doctores sancti collegerunt verbum Dei audire libenter certum esse prædestinationis argumentum ad vitam æternam, contra eos qui audire verbum Dei negligunt, vel ad conciones sacras non veniunt, vel inde sine legitima causa statim abeunt, eos quippe à Deo esse reiectos est euidens signum.

Quomodo qui ex Deo sunt, verba Dei audiūt

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Respondit Iesus. Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet.

Hæc audientes Scribæ, & Pharisæi illi, scilicet, ad quos Dominus suum dirigebat sermonem facto ipso approbauerunt Dominum veracem amplius opera Diaboli se facere ostendentes, manifeste, mentientes & mendacio ad dentes blasphemiam, quæ est peccatum in Spiritum sanctum. Nonne, inquiunt, bene dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Aperte falsum erat ipsum esse Samaritanum, sed nondum vlla ibi blasphemia erat, Ideirco conuitium tulit Dominus, blasphemiam autem, quòd Dæmonium haberet, & tantam blasphemiam quæ erat peccatum in Spiritum sanctum non tulit silentio prætereundo. In quo nos docet iniurias, & contumelias à nobis ferendas esse, quatenus non solos tangunt. Sed quatenus Dei honorem tangunt, minime ferre debemus. Ideo respon-

Iudæi mendaces, & blasph.

respondit eis, dicens. Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum,& vos inhonorastis me. Siquidem qui voluntatem eius facit qui misit eum, hic honorificat mittentem. Et qui illum inhonorat, etiam mittentem ipsum offendit. Quemadmodum terrenum regem offendit qui veracem legatum eius mandata regis fidelissime exequentem contumelijs afficit. Et ideo cum Dominum contumelijs afficiebant, offendebant patrem qui est rex regum, & vniuersorum Dominus. Propterea dicebat eis. Vos inhonorastis me, indicando ipsos offendere Patrem. Non quòd ipse honorem ab eis quæreret. Erat autem pater qui quęrebat honorem eius,& qui iudicaturus erat eos, qui aut honorarent, aut inhonorarent ipsum. Et id quippe palàm insinuatur ex verbis domini subnectentis. Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærit, & iudicat. Hoc enim adiecit quia dixerat, vos inhonorastis me. Nam vt dictum est, honor mihi est honor mittentis, cuius etiā offensio in mittentem redundare vr̃. Porrò qui quęrit gloriā eius,& iudicat, pater est. Et addidit Dominus. *Honor misi est hono mittentis.*

Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi. Nūc cognouimus quia Dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est? Et Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis?

Si Adam seruasset verbum Dei, mortem non vidisset. Pariter,& filij Israël,& ita de omnibus alijs, quia verbum Dei dat vitam, sicut verbum Diaboli dat mortem. Et nota, quòd hic de vita,& morte secundum spiritum loquitur Dominus. Scribæ autem,& Pharisæi audientes illum sermonem Domini qui erat verbum vitæ in cæcitate mendacio,& blasphemia magis persistentes dixerunt. Nunc cognouimus quia Dæmonium habes. Ecce cæcitas,& mendacium cum dicunt, Nunc cognouimus. Rursus, blasphemia cum subdunt. Dæmonium habes. Cui etiam addunt, cæcam, stultam, &

 menda

mendacem rationem, dicentes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ, & tu dicis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Nam cum eſſent carnales nihil ſpiritus habentes, de morte intelligunt corporali. Et Dominus qui in ſpiritu viuificante venit, de morte ſpiritus. Falſum ergo, & mendacium eſt, quod dicebant. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ. Nam viuebant verbo Dei, quod ſeruauerant. Itaque verus imò veriſſimus erat, ſermo Chriſti dicentes Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum, quoniam perpetuam vitam habebit in cœlo. Adijciunt inſuper. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham qui mortuus eſt? Vbi duo mendacia coniungunt. Primum, quod dicebant non eſſe maiorem patre ſuo Abraham, eum qui maior erat omnibus etiam Angelis ſuperioribus, quare multo magis ipſo Abramo, quemadmodum prius teſtatus fuerat Ioannes Baptiſta, dicens: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. Secundum mendacium, quod proferebant id erat, aſſerentes Abraham mortuum eſſe, qui tamen viuebat & ipſi mortui erant. Non eſt enim vita niſi qua quis viuit Deo, neque mors niſi qua quis moritur Deo. Ruſus pergunt interrogare, Quem te ipſum facis? Interrogant non vt veritatem intelligant, ſed vt confundant. Veritas tamen non poteſt niſi veritatem aſſerere, quæ ſi ipſos non iuuabat, poterat tamen prodeſſe eis qui credebant, & qui erant dociles Dei. Ideo ſequitur Chriſti reſponſio.

Semper viuit qui ſeruat verbũ Dei.

Ioan. 3.

Sola vita, & mors, ſpiritualis eſt.

Reſpondit Ieſus. Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt, & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo.

Veritas veritatem aſſerit, dicens. Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Pater meus eſt qui glorificat me, quem vos dicitis, quòd Deus veſter eſt. Si quis hi glorificant ſeipſos, qui gloriam ſuam quærunt, & non Dei. Et omnia opera ſua faciunt, vt honorentur ab hi-

Qui quærunt gloriã ſuam.

ab hominibus. At Dominus gloriam suam non quærebat, sed patris. Neque opera sua faciebat vt honore afficeretur ab hominibus, sed vt ipsi cognita veritate glorificarent cœlestem patrem, & id agnoscentes, & facientes, vitam consequerentur æternam. Sed Pater est qui glorificat filium, & eo quidem honore, & gloria, quæ omni honore, & gloria maior est. Quomodo ergo quærere poterat gloriam ab hominibus, quē Deus gloria honorat excellentissima? Si igitur gloriam ab hominibus non refutat, hoc non ideo prouenit vt eam quærat, sed vt iuuet omnem hominem ipsum honorantem. Vult enim, vt semper cum homines se coadiuuantes ad dona suæ immortalitatis perueniant. Iudæi præterea eum qui ipsum glorificat, Deum suum dicebant, sed ipsi non cognoscebant eum. At Dominus cognoscebat eum, & si dixisset, quòd non cognouisset eum fuisset mendax, vt & ipsi erant mendaces. Fuissetque similis ipsis, nimirum homo peccator. Sed impossibile erat ipsum esse mendacem, quia ipsa summa veritas mentiri non potest. Sed scio eum, inquit Dominus, & sermonem eius seruo. Ipse reuera erat substantialis Dei sermo, & verba eius erant expressiones voluntatis paternæ, quam & in cœlo, & in terra semper implebat. De Abraham autem de quo illi tantam habebant opinionem vt etiam ipsum maiorem eo, qui reuera Christus erat, crederent, respondit.

Christus nō quæsiuit gloriam suam sed Patris.

Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit ergo eis Iesus. Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de Templo.

Abraham, inquit Christus, pater vester, eo modo quo patrem eum vocastis, scilicet tantum secundū carnalem generationem, & non secundùm religionem, & fidem, exultauit, gaudio gestiuit in spiritu spe videndi diem meum, diem aduentus mei super terram, & vidit,

cognouit, intellexit, & gauisus est, plenoque perfusus est gaudio. In quo Christum fuisse maiorem Abraham palam insinuatur. Vbi nota, quòd Abraham primo vidit diem patris æternum qui non habet principium neque finem, æternitatem filij procedentis à patre, necnon & personam Spiritus sancti, cum in figura vnitatis essentię & personarum Trinitatis tres Angelos hospitio suscepit. Secundo, vidit diem Domini temporalem numerando stellas, id est, electos, & harenam maris, hoc est populus currentes ad Christi fidem pariter, & puluerem, id est, homines erectos de stercore peccatorum, cui etiam dixit Deus. In semine tuo, non in seminibus, id est in Christo benedicentur omnes gentes terræ. Et possidebit id semen tuum portas inimicorum suorum. Rursus: Vidit diem passionis Christi, quando immolauit arietem, putans prius immolare filium suum cuius sacrificium fuit Deo gratum & acceptum. Iudæi autem Christo aduersantes dixerunt. Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Verum quidem fatebantur secundum naturam humanam, secundum quam nondum quinquagenarius erat. Nam trigesimotertio anno completo, morte sua salutem operatus est in medio terræ. Secundum autem diuinam naturam nullos habebat annos, quia æternitas nullis constat aut definitur annis. Ideo dixit eis. Amen amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Abraham factus est in tempore, ipse est non factus, sed genitus in æternitate. Itaque non sequebatur ipsum non vidisse Abraham. Nam vt Deus vidit, & videt cuncta quæ facta sunt, & insuper quæ futura sunt, & si annos non habeat. Cum autem Dominus dixit. Ego sum, se eo nomine ipsis manifestabat quo Deus se Moysi insinuauerat, dicens. Ego sum qui sum. Vt ex hoc verbo sunt intelligerent ipsum esse Deum, & Dei filium, liberatorem, & saluatorem, qui & ipsos prius per Moysem liberauerat. Et quomodo ipse non fuit ante Abraham, de quo dictum est. A summo cælo egressio eius. Quis enim vnquam à summo cælo egressus

Gen. 15.

Quomodo Abraham vidit triplicem diem Christi.

Exod. 3

Quomodo Christus fuit ante Abraham.

egressus est qui ante Abraham non fuerit? Nonne etiã de ipso idem Propheta clamat? Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum, ex vero ante Luciferum genui te. Rursus, Propheta Michæas. Egressus eius ab initio, & à diebus æternitatis. Et quid amplius dicendum est? Nonne perfidi Iudæi pro beneficio præterite liberationis, & quam volebat eis exhibere præsentis & futuræ, voluerunt eum lapidibus obruere? Tulerunt ergo, inquit Ioannes, lapides vt iacerent in eum. O immensa, & ineffabilis Dei miseratio. Poterat illos solo verbo pessundare in abyssos, & perpetuis mancipare cruciatuum pœnis. Verum vt ait Ioãnes abscondit se, & exiuit de templo. Quid est abscondit se? Sicut autem occultum se fecit. & sic cum æque præsentem atque absentem videre nequiuerunt. Pari quoque modo nunc omnibus qui in ipsum malo sunt animo se occultat vindictam differens in aliud tempus, nisi resipiscant. Quamobrem nos eo in ipsum simus animo vt nunquam se à nobis abscondat, qui suam diuinitatem, æternitatemque nobis aperuit, sed semper sentiamus ipsum præsentem illuminantem, & viuificantem animas nostras.

Mich. 5.

Et quia supra dixerat Christus, si veritatem dico vobis, &c. Non est ignorandum duplicem esse veritatem, videlicet increatam & creatam, diuinam & humanam, æternam & temporalem, vt Tomo 3. lib. 11. cap. 1. car. 212. diffusæ habetur. Considerandum est præterea, quòd ab hac die vsque ad sequentem Dominicã agitur ab Ecclesia de passione contumeliæ & obbrobrijs: In reliqua vero hebdomada de passione plagatum verberum. Hac igitur de causa hæc dicitur Dominica de passione in qua introitus missæ incipit. Iudica me Deus, &c.

De veritate

De blasphemia nonnulla notabilia.

Dicimus multis modis posse perpetrari blasphemiam, videlicet, corde, ore, & opere. Aliqui enim

Blasphemia tripliciter cõmittitur. Deum corde blasphemant, vel nescientes Deum, vel ipsum negantes, vel quia Deo non fidunt. Alij vero ore blasphemant, attribuentes Deo quod ei minime conuenire potest. Vtpote ex improperio ipsum habere corpus, & sanguinem asserentes. Vel remouentes ab ipso quod proprium est ei, dicentes. Id Deus non potest efficere ipsius omnipotentiæ derogando, vel quod absit maledicendo Deo, scriptura tamen non audet vti hac dictione maledicere, sed pro maledictione benedicere vtitur. Dicebat enim Iob. Ne forte peccauerint filij mei
Iob 1. & benedixerint Deo, id est maledixerint. Et cum Iudæi accusarent Naboth, dicebant. Naboth benedixit Deo,
3. Reg. 12. & Regi. Alij etiam operæ blasphemant, Dei, ac Sanctorum imagines comburendo, gladijs feriendo, vel alijs contumelijs illudendo. Quod autem peccatum blasphemiæ sit omnium nefandissimum peccatorum, his rationibus ostenditur.

Omne peccatum quinque respicere videtur, videlicet præcepta Dei, ipsum Deum, inclinationem naturalem, grauitatem ipsius, id est culpam pariter & pœnam.
Blasphemiã abhominabilem esse rationibus ostendentes Et propter huiusmodi causas blasphemiam dicimus esse horrendissimum, & abhominabile peccatum. Omnia enim præcepta Dei, duobus primis duntaxat exceptis, sunt reuocabilia, & interdum reuocata fuere, præ-
Exod. 20. cepit nanque Deus filijs, Israël vt sabbatum custodirent cuius solemnitas nunc translata est in Domini-
Matth. 10. cum diem. Mandauit insuper Dominus, dicens. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Christus autem dixit: Omnis qui venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, non est me dignus. Licet de filijs parentes infideles habentibus fuerit sermo eius. Præterea, non est negandum quin Deus præcipere possit alicui innocentem occi-
Gen. 22. dere, cum plenum habeat dominium, & potestatem oc-
Oseæ 1. cidendi, & viuificandi. Sic enim legitur præcepisse Abrahæ, vt occideret Isaac filium suum. Rursus, Oseæ mandauit vt acciperet fornicariam, & faceret filios for-
Exod. 12. nicationis. Non obstante, quòd prius in Lege forni-

cationem prohibuerit, cum dixit. Non mœchaberis. Præcepit etiam Dominus Iudæis, vt ſpoliarent Aegyptum, & inde extraherent omnia vaſa aurea, & argentea. Dixit quoque Iacob ad Iſaac patrem ſuum, annuente Deo. Ego ſum filius tuus primogenitus Eſau, decipiens patrem, & fratrem. Et ita de alijs præceptis dicendum eſt. Duo autem prima præcepta primæ tabulæ quæ ſunt de lege naturæ ſunt ſimpliciter indiſpenſabilia. Non enim poteſt Deus præcipere vt quiſpiam adoret Deos alienos, & non tantum vnum Deum, nec vt aſſumet nomen Dei ſui in vanum, per irreuerentiam ipſum blaſphemando. Quemadmodum igitur id præceptum eſt ſimpliciter indiſpenſabile, ita peccatum blaſphemiæ cui opponitur ex ſua naturali proprietate irremiſſibile dicitur, deteſtabile, & abhominabile valde. *Gen. 27.*

Secundo: Nonnulla peccata ſunt contra proximum immediate, vt homicidium, furtum, falſum teſtimoniũ, & alia id genus. Aliqua vero Deo ſimpliciter aduerſantur, vt infidelitas, & blaſphemia, ideo carent medio quo poſſint remitti. Dixit enim Hely ſacerdos filijs ſuis. Si peccauerit vir in virum, placari ei poterit Deus, ſcilicet per preces, & ſacrificia. Si autem in Deum peccauerit quis orabit pro eo? Quaſi dicat, nullus, ob nimiam peccati abhominationem. Ideo Dominus in Euangelio: Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Nam ſpiritus blaſphemiæ, vel blaſphemia ſpiritus (vt aliqui nõ inepte dicunt) non procedit ex ignorantia, qualis fuit blaſphemia Pauli, dicentis, de ſeipſo. Qui fui blaſphemus. Nec ex paſſione vt blaſphemant iracundi, ſed ex ſpiritu, ex inclinatione, ex vitali impulſu ſupremæ partis animæ, & habet quandam promptitudinem animi ad blaſphemandum. Propter cuius enormitatem, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro, ob ipſius blaſphemantis perſeuerantiam. *Secunda ratio.* *1. Reg. 2.* *Matth. 12.*

Tertio, Omnis creatura naturaliter inclinatur ad Deum laudandum, dicente Pſalmiſta. Benedicam *Tertia ratio.*

Domi-

Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Sapiens quoque. Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meũ. Thobias ideo. Omni tempore benedicam Deum. Rursus, tres pueri in camino ignis ardentis ita Deum laudarunt. Benedicite Domino opera Domini, Domino, laudate, & superexaltate eum in secula. Item. Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Omnia igitur creata Deum laudant, & ei obediunt citra hominem qui Deum benefactorem suum blasphemat, quod est non modicum ingratitudinis crimen. Est enim ingratitudo magna pro beneficijs accepit Deo non agere gratias, quemadmodum fuit illa nouem leprosorum qui non reuersi sunt ad reddendas gratias Deo. In quo gradu sunt etiam quamplurimi perfidi Christiani. Maior ingratitudo est Dei beneficium contemnere, sicut Achaz cui ex mandato Dei dixerat Esaias. Pete signum à domino Deo tuo, &c. Adhuc maior ingratitudo est beneficium, maleficium arbitrari, iuxta verba Achab regis. Israel dicentis ad Eliam. Tune es illæ qui conturbas Israel? Maxima vero ingratitudo est pro bono reddere malum, quemadmodum Saul rex qui Danidem persequebatur à quo quamplurima receperat beneficia, & præcipue liberationem populi sui per mortem Goliath gigantis principis Philistinorum. In quo gradu etiam sunt omnes pessimi blasphematores, contra quos loquitur Dominus per Esaiam. Filios enutriui, & exaltaui ipsi autem spreuerunt me.

Sapien. 10. *Thob. 3.* *Luc. 17* *Isa. 7.* *3. Reg. 18* *1. Reg. 17* *Isa. 1.*

Quarta ratio. Quarto, quemadmodum charitas est virtus omnium virtutum amplissima ob ipsius perpetuitatem, dicente Apostolo. Nunc manent hæc tria, fides, spes, charitas, maior autem horum est charitas. Siquidem omnes virtutes euacuabuntur, charitas autem nunquam excidit. Ita pari ratione blasphemia pessima est quæ sola inter omnia peccata perpetuo regnat in damnatis, de quibus Ioannes Apocalypsi. Blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus, & vulneribus suis.

Apoc. 16.

O igitur infernales homines, ò blasphemi diabolici, qui non nisi cum damnatis blasphemando, & maledicendo in æternum perhibitis.

Postremo, omnes blasphemi in veteri testamento semper fuerunt atrociter puniti. Nam cum filius cuiusdam mulieris blasphemasset nomen domini, à populo lapidatus est, dicente domino. Educ blasphemum extra castra, & lapidet eum omnis populus. Et qui blasphemauerit nomen Domini morte moriatur. Ideo Nathan ita ad Dauidem, inquit. Quia blasphemare fecisti nomen Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur. Senacherib quoque rex Assiriorum obsidens Hierusalem elatus in superbiam blasphemauit nomen Domini. Quamobrem in sequenti nocte Angelus Domini percussit de suis centum octuaginta quinque millia hominum. Ipse autem timore perterritus fugiens, à proprijs filijs occisus est. Ita permissit Deus Holofernem occidi, quia blasphemauerat nomen Domini, asserens non esse alium Deum præter Nabuchodonosorem.

Quinta ratio.

Leuit. 24.

2. Reg. 12

Isa. 37.

Iudith 15.

FERIA SECVNDA DOMINICÆ in passione, super Euangelio Ioannis.

Ioan. 7.

Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus. Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me. Quæretis me, & non inuenietis. & vbi sum ego, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos, quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire.

Turba fidelium timebat Iudæos, & vicissim ipsi principes sacerdotum, & Pharisæi cognoscentes quod multis persuasisset Dominus, & iam credebant in eum,

timebant

timebant turbam. Hac de cauſa non ſunt auſi per ſemetipſos inijcere manus in Ieſum, ſed miſerunt miniſtros vt apprehenderent eum. Proinde Dominus manifeſtando ſecreta eorum, necnon & machinamenta ipſum non latere, & non eſſe in poteſtate ſubmiſſorum, ita palàm inſinuauit, dicens. Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Ac ſi diceret. Non me nunc apprehendetis, ſed poſt modicum tempus. Quod ideo dicebat, quia vſque ad proximum Paſcha erant ſex menſes, quibus elapſis permiſit ſe apprehendi, non quando voluerunt, ſed quando voluit. Et hoc ſanè modicum, & per breue tempus eſt. Et vado ad eum qui miſit me, quoniam poſt Paſſionem ſuam, & glorioſam Reſurrectionem quadraginta tranſactis diebus aſcendit ad Patrem in dextera eius ſedens. Deinde ſubiunxit: Quæretis me, & non inuenietis. Si quidem quæſituri erant eum, quia expectaturi Meſſiam venturum quem, & adhuc expectant, ſed fruſtra, quoniam Chriſtus iam venit. Et ita quærentes non inuenturi ſaltem in primo aduentu quem adhuc exiſtimant futurum, licet in ſecundo aduentu inueniet eum, quando plangent ſe ſuper eum. Et videbunt in quem transfixerunt. Vel aliter. Quæretis me, ſcilicet poſt mortem ad retinendum, & non inuenietis, me reſurgente. Cuſtodia enim quam procurarunt poni in ſepulchro Ieſu Chriſti ne forte venirent Diſcipuli eius, & furarentur eum, fuit quærere Ieſum ad retinendum corpus eius, vt confunderent Diſcipulos Ieſu de promiſſa Reſurrectione, infra triduum: ſed non inuenerunt eum tertia die retinendum, quoniam reſurrexit. Perſecutionem itaque ſui à Iudæis non finiendam prædicit, dicendo. Quæretis me etiam in ſepulchro retinere, & non inuenietis. Vel aliter. Quæretis me. Nam (vt aſſerit Beda) Iudæi quæſierunt Ieſum poſt Reſurrectionem, quando viderunt tot millia conuerti ad Chriſtum, ſed non inuenerunt ſpiritualiter eum, quoniam ob magnitudinem ſui peccati quo Chriſtum occiderunt, non vere penituerunt, in baratrum deſperationis

Quæretur me, multis modis exponitur.

Beda.

ind

incidentes. Vel aliter. Quæretis me, scilicet post Resurrectionem, hoc est ad me conuertemini per fidem, quando videritis per Apostolos tanta mirabilia fieri in nomine meo. Compuncti enim fuerunt corde, & dixerunt. Quid faciemus viri fratres? Vt in Actis scribitur Apostolorum, iuxta id, quod dixerat Christus. *Act. 2.* Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis *Ioan. 8.* quia ego sum. Sed non inuenietis me per corporalem præsentiam. Vel aliter. Quæretis me, id est auxilium meum implorabitis, & non inuenietis me ad libitum vestrum. Si quidem tempore destructionis Hierusalem à Romanis, multi Iudæorum agnoscentes se vastari à Tito propter occisionem Christi, tunc ipsum habere liberatorem optabant, sed non obtinuerunt.

Et vbi sum ego, videlicet, secundùm naturam diuinam in cœlesti palatio sedens ad dexteram Patris, vos non potestis venire, propter peccata vestra. Si quidem nemo infidelis, & incredulus cum eo ascendet in cœlum, sed deturbabitur cum Angelis apostatricis in infidelium baratrum sæuas recepturus in æternum pœnas. Dixerunt ergo Iudæi, hoc est ministri missi à Principibus Sacerdotum, ad semetipsos, verba Christi non intelligentes. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, hoc est ad gentes vbique dispersas, & docturus eas? O obtusa Iudæorum corda, quo ipsæ iturus sit iam vobis dixit, cum ait. Vado ad eum qui me misit. Et nunquid dispersio gentium misit eum, vt ipsæ ad eam sit rediturus? Nempe si esset sensibiliter iturus ad gentes inueniri à vobis posset. Sed quia iturus est in cœlum, vos autem nunquam, ideo à vobis inueniri non potest. Verum est tamen quia vos hac gratia fecistis indignos, ipsum per suos Apostolos iturum ad gentes vbique locorum dispersas, & sua misericordia docturum eas opus est. Rursus dixerunt. Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire? O adhuc cæca ipsorum corda, adhuc quæritis eum, & non creditis

uenisse

venisse. Et non inuenietis. Equidem non inuenie[tis] Messiam vestrum regem, & Saluatorem, sed vestrum [iu]dicem, & condemnatorem. Ipse est in cœlo, & in cœlum vbi est illæ ob vestram infidelitatem conscend[ere] non potestis. Deinde quid postea fecerit, & dixerit D[o]minus, subdit Euangelista dicens.

In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus [&] clamabat dicens. Siquis sitit veniat ad me, & bibat. Q[ui] credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem acci[pe]turi erant credentes in eum.

Nouissimus dies magnus festi est septimus qui pa[ri] honore vt primus celebratur. In hoc ergo die stabat Dominus tanquã confirmatus in bono, erectus in om[ni] virtute, & paratus ferre subsidium cunctis ad ipsum confugientibus, & clamabat affectuose eloquentissim[e] ac secure prædicando aiebat. Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Si quis sitit vitam, veniat ad me & in-

Prouer. 8 uueniet eam. Siquis sitit salutem, veniat ad me & hau-

De spiritua li siti. riet eam, sicut scriptum est. Qui me inuenerit inue-

Ecclef. vlt. niet vitam, & hauriet salutem à Domino. Siquis sitit, scilicet spiritualia bona desiderat, gratiam cupit, fluen-ta doctrinæ, & aquam sapientiæ appetit. De qua siti ita loquitur sapiens. Animæ vestræ sitiant vehemen-

Isa. 55. ter. Esaias quoque. Omnes sitientes venite ad aquas &c. Veniat igitur talis ad me, & bibat, iuxta illud

Iacob. 1 Apostoli Iacobi. Si quis vestrum indiget sapientia po-stulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & dabitur ei. Omnis quippe qui petit accipit. Propter quod in

Luc. 11 Apocalypsi dicitur. Qui sitit venia, & qui vult acci-

Apoc. vlt. piat aquam vitæ, gratis. Rursus. Venite ad me, in-

Matth. 11. quit Christus, omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Qui credit in me fide formata, si-cut dicit scriptura. Et quæ est illa scriptura quæ asse-rit esse credendum? Siquidem in paralipomænon scri-ptum est. Oculi Domini contemplantur vniuersam terram, & præbet fortitudinem his qui corde perfecto

1. Par. 16. credunt in eum. Ecce quomodo scriptura dicit esse

credentem

credendum. Tunc flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, quæ sunt Spiritus sancti gratiæ illuminationes. Intelligentia quoque diuinæ, & doctrinæ sanctæ plenissime, sitientem animam satiantes, quemadmodum dixit Esaias. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. & dicetis in illa die, confitemini Domino, & inuocate nomen eius. *Isa. 12.*

Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum. Quoniam flumina aquæ viuæ, id est, dona Spiritus sancti, fluenta doctrinæ cœlestis, & gratiæ copiosæ emanabunt de corde ipsius ad alios. Cum igitur per flumina designentur dona Spiritus sancti, etiam per aquam viuam, ipse Spiritus sanctus non inepte intelligi potest, de quo supra dixerat Dominus. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Venter vero est mens ipsa interna in qua habitat Spiritus sanctus, de quo Salomon ait. Fili suscipe sapientiam, quæ pulchra tibi erit cum susceperis eam in ventre tuo, id est, in mente tua. Ex mentibus igitur Apostolorum, & aliorum, qui cum eis in die Pentecostes Spiritum sanctum acceperunt prædicta fluxerunt flumina per Euangelicam prædicationem ad vniuersum mundum, quoniam gratiam sibi diuinitus communicatam in alios administrarunt, sicut optimi dispensatores multiformis gratiæ Dei. Ecce quomodo de spiritu, quem accepturi erant Apostoli loquebatur Christus. Nondum enim erat Spiritus sanctus datus, nondum erat illa diffusio spiritus, de qua Dominus per Iohëlem Prophetam loquitur. Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et quare nondum datus? Quia Iesus nondum erat glorificatus. Nondum ex resurrectione immortalitatis gloria decoratus, cœlos ascenderat. Nec ante Ascensionem Domini in cœlum debuit esse donorum spiritus sancti in homines effusio, dicente Psalmista. Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem, dedisti dona hominibus, &c.

Ioan. 4. *Prou. 22.* *Cōcio de indulgentijs hic fieri potest.*

Feria

FERIA TERTIA DOMINICAE de Passione, super Euangelio Ioannis.

Ioan. 7. *AMbulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scænophægia. Dixerunt autem ad eum fratres eius. Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & Discipuli tui videant opera quæ facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palàm esse. Si hoc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum.*

Dominus, & Saluator noster ambulabat in Galilæa, id est per diuersa loca illius Prouinciæ prædicando in Synagogis Iudæorum. Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Idcirco declinauit ab eis non quasi mortem, vel eos qui corpus occidunt formidans cum fuerit in omni virtute perfectus, & solo nutu omnes aduersarios suos occidere potens, sed vt daret exemplum interdum pro causa, loco, & tempore fugiendi persecutores, cedendo furori eorum ne grauius peccent. Erat autem tunc temporis in proximo, id est, de propinquo imminebat dies festus Iudæorum, videlicet, Scœnophægia, quæ est dictio Græca, significans Festum Tabernaculorum. Quod quidem festum, à quintodecimo die mensis septimi a Iudæis septem diebus celebrabatur in memoriam, quòd fixerant Tabernacula quadraginta annis in Deserto, aliti a Deo, vt in Leuitico scribitur. Dixerunt autem ad eum fratres eius, id est quidam cognati, & affines eius ratione Virginis, aut Ioseph. Transi hinc, & vade in Iudæam, præsertim in Hierusalem Iudææ regionis Metropolim, vt & Discipuli tui quos ibidem reliquisti videant opera tua, id est miracula quæ tu facis. Habuit enim Christus in diuersis locis quosdam Discipulos qui eum corporaliter non sequebantur, de quibus est hic sermo. Ecce quo

Scœnophægia, festiuitas Tabernaculorum

Leuit. 23.

quomodo stulta caro, & stultus mundus Dei sapientiā docere vult, & se sapientia Dei prudentiorem putat. Dicebant enim stulti cognati sui. Nemo quippe in occulto aliquid magnum, seu opus miraculosum operatur, sed quærit ipsæ in palàm esse, id est talia operando desiderat apparere,& in manifesto corā alijs. Quinimò & coràm omnibus hominibus si fieri potest, operari.

Miracula ad duo ordinantur.

Miracula enim ordinantur ad declarationem diuinæ potentiæ, & ad conuersionem videntium, ideo in manifesto loco agenda sunt. Hæc sunt verba hominum adhuc carnalium, humanam laudem amantium, qui sic de omnibus iudicant, quales ipsi intra se reperiuntur. Vani enim & ambitiosi arbitrantur facile alios omnes eis esse conformes. Ceterum verba istorum vniuersaliter vera non sunt, quia non solum Christus suscitauit filiam Archisynagogi occulte, multisq; a se curatis imperauit ne publicarent ipsum. Sed & Helyas quoque,& Helysæus suscitauerunt pueros defunctos in cubiculo, & in loco secreto. Dicebant tamen increduli fratres. Si hoc facis quæ tibi suggerimus eundo Hierusalem versus, illicque signa operando in festiuitate iam imminente, coràm omnibus manifestabis teipsum mundo, id est hominibus potentiam tuam ostendes. Sed vt subdit Euangelista. Neque enim fratres eius iam dicti credebant in eum, quia non est Propheta sine honore nisi in domo sua, & in cognatione sua. Vnde & isti dubitabant, an miracula Iesu essent vera miracula facta virtute diuina, vel si hoc crediderunt, non credebant tamen ipsum esse Christum, & verum Messiam in Lege promissum.

Dixit ergo eis Iesus. Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipsa mansit in Galilæa.

Tempus meum, inquit Christus, ad incredulos fratres,

Tempus Christi, quid sit, & quid tẽpus mũdi

tres, id est, tempus spiritus quod est tempus Christi in quo homines non carne nec mundo, neque carni, & mundo, sed spiritu, & spiritui viuunt, nondum aduenit. Quod idem est dicere. Tempus legis nouæ, tempus salutis, gratiæ, & gloriæ nondum apparuit. Tempus autem vestrum quod tunc erat tempus mundi, semper paratum quia mundani erant, & mundum sapiebant. Neque vnquam mundus suis est destitutus. Mundus autem suos amat, & tutatur quemadmodum, & spiritus suos tueri tenetur. Sed illæ ad citissimam perditionem. Ille ad æternam saluationem. Merito ergo qui a mundani erant audierunt à domino hi qui ipsi secum carne affines erant. Non potest mundus odisse vos. Nam enim de se, & per se dixit cum mundanus non esset sed plusquam cœlestis. Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quia opera eius mala sunt.

Quomodo cœlum, & spiritus terra & mundus aduersantur.

Accipitur enim hic mundus pro congregatione, & societate malorum, ac reproborum hominum. Siquidem cœlum, & terra, spiritus, & mundus adeo pugnant, vt sibi inuicem prorsus aduersentur. Terra, & mundus malefica sunt, vt quæ, & quod cœleste, & spirituale est extinguere, & mortificare conentur. Cœlum, & spiritus ex opposito ita benefica sunt, vt quæ, & quod terrenum, & mundanum est non perdere, sed saluare, viuificare, & vt ita dicam bonificari velint. Aduersantur cœlum, & spiritus terræ, & mundo, in bono, & ad bonum. Terra autem, & mundus cœlo, & spiritui in malo, & ad malum. Mundus infirmus, sed qui odit medicum ostendentem ipsi infirmitatem suam quæ sunt mala opera ipsius, qui odit inquam medicum, & eum quidem tantum qui amat ipsum, qui adeo bonus est, vt etiam omne odium perferre velit, & denique mori vt ipsum sanet efficiatque bonum. O immensa cœlestis medici bonitas, o spiritualis dulcedo, gustate & videte, inquit Dauid, quoniam suauis est Dominus. Hæc dixit Dominus fratribus, id est, carne affinibus aut qui tales putabantur, & adiecit. Vos ascendite ad diem festum, ego autem non ascendam, id est, nondum

dum ascendo ad festiuitatem hanc, quia tempus meum nondum impletum est. Nondum tempus vt ego ascendam aduenit. Ipsi vero ascenderunt ad diem celebritatis in quo Scribæ & Pharisæi insidias tetenderant, vt eum caperent. Quod cognoscens Dominus quem nihil latere poterat, nondum ascendit. Et ita quidem hâc illis subtraxit occasionem. Iudæi autem quærebant eum in die festo, & dicebant. Vbi est illæ? Non enim ad aliud quærebant eum, nisi vt apprehēderent ipsum, & si possent etiam interficere. Hac igitur de causa vt supradictum est non volebat Dominus in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Et cum sanguinis propinquitate sibi affinibus locutus fuisset, illis ad scenophegiam, id est, scenopegiam ascendentibus, ipse remansit in Galilæa per aliquot dies.

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant Vbi est illæ? Et murmur multus de eo erat in turba. Quidam enim dicebant quia bonus est, alij autem dicebant non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

Postquam autem ascenderunt illi fratres ipsius, & ipse ascendit, non manifeste quidem, sed quasi in occulto. Nam quando cum turba erat Discipulorum, & in societate peregrinorum, tunc manifeste ascendebat. Nunc autem non sic ascendit, neque ab vllo peregrinorum rumor aduentus eius auditus est. Non ergo prius simpliciter dixit, non ascendam, quia ascendit vt dictum est à Ioanne, sed nondum ascendo. Ascendit igitur non statim, sed post aliquot dies. Et non primis diebus festi, quod septem erat dierum, sed dimidia iam aduenienti celebritate. In primis autem diebus Iudæi quærebant, & eum dicebant. Vbi est illę? Adeo vt ea res latere non potuerit turbas, quarum pars sentiebat cum Iudæis, id est, Scribis & Pharisæis, pars autem nequaquam, vt murmuratio multa esset in populo, quibusdam dicentibus quod bonus esset,

Cur Christus ascendit occulte.

& hi non sentiebant cum Scribis, & Pharisæis. A contradicentibus, & dicentibus. Nequaquam, sed ducit turbas. Et ij cum ipsis sentiebant. Attamen nemo audebat palam hoc, vel illud loqui propter metum Iudæorum, Scribarum videlicet, atque Pharisæorum & aliorum.

Propter metum Iudæorum dupliciter exponitur.

Et nota, quòd id, quod dicitur, nemo tamen palam loquebatur de illo aliquid dissimiendo de bonitate, ... ipsius propter metum Iudæorum, potest dupliciter intelligi. Si enim id, quod ait Euangelista propter metum Iudæorum intelligatur de Iudæis, qui quærebant Christum occidere, tunc dictum illum: nemo palam loquebatur, de eo intelligendum erit duntaxat his qui dixerunt de Iesu, quia bonus est. Illi enim ne ... senserent, tacuerunt. Si vero, quod ait propter metum Iudæorum accipiatur simpliciter de Iudæis, inter quos multi etiam magni, atque potentes fuerunt qui credebant in eum, tunc quod dictum est. Nemo palam loquebatur de eo intelligendum erit de omnibus, qui murmurauerunt, & loquebantur de Iesu, dicentes Vbi est ille? Nam aliqui male sentientes de Iesu, non audebant coràm omnibus Iudæis detrahere virtuti, sanctitati eius.

FERIA QVARTA DOMINICAE de Passione, super Euangelio Ioannis.

Ioan. 10.

FActa sunt encenia in Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in Templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei. Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit ei Iesus. Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum.

æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est. & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus.

Encenia dictio est græca, denotans apud nos initialia. Hoc autem in loco significat festum dedicationis Templi, seu altaris. Triplex autem dedicatio Templi reperitur in scripturis facta à diuersis, & in diuersis temporibus. *Triplex dedicatio Tẽpli.*

Prima, facta fuit à Salomone in Autumno decima die Septembris, vt liquet in tertio lib. Reg. *3.Reg.8*

Secunda, a Neæmia, atque Zorobabel, sub Iesu filio Iosadech sacerdote magno in vere, duodecima die Martij. *Neæm. 12.*

Tertia dedicatio, fuit celebrata à Iuda Machabæo, qui Templum secundum ab Antiocho profanatum mãdauit, consecrauit, & dedicauit. Hoc est domino applicauit tempore hyemis quartadecima die Septembris. De qua dedicatione, vt nonnulli afferunt est hic sermo in Euangelio. Alij vero fatentur hanc dedicationem Tẽpli fuisse sub Zorobabel factam in hyeme, quia fuit die tertia mensis duodecimi qui vocatur Adar, vt patet in primo Esdræ. Hyems enim mense decimo inchoans comprehendit mensem duodecimum. Et hoc tanto magis liquet, quanto gesta hæc describuntur in sequenti capite valde propinqua tempori resurrectionis Lazari, quæ fuit propè Pascha. Et ambulabat Iesus in Templo, hoc est in quadam parte, quæ ad integritatem Templi pertinens erat, & in porticu Salomonis, id est in oratorio facto ad similitudinẽ oratorij, in quo Salomon orauit in primo Templo ab ipso constructo, & ampliato. *1. Esd. 6.*

Circundederunt autem Iudæi Scribæ, scilicet & Pharisæi Christum, dicentes. Quousque animam nostram tollis? Quousque animum nostrum tenes suspensum? Quousque vitam nostram aufers? Quousque nos mori cogis? Sed qui dat veram sapientiam non suspendit animum. Qui dat vitam non tollit eam. Qui vitam peramat, & afficit æternam, non mori cogit. Mentiebantur ergo. Non enim erat qui tollebat animam

ipſorum, ſed liuor & inuidia & odium gratis quod eſt peſtiferum & mortale, diaboli poculum, quod impediebat ipſum agnoſcere. Dicebant enim. Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Quibus Chriſtus. Loquor vobis & non creditis. Cum dicit loquor vobis, hoc eſt aperte dicere, quod ipſe eſſet Chriſtus. Et non creditis, hoc eſt cogitationes ipſorum indicare. Vnde ipſi nisi mēte & oculis capti fuiſſent cognoſcere poterant eum ipſum eſſe Meſſiam, & pluſquam hominem, vtpote Deum & hominem. Et quoniam volebat eos illuminare, miſit ipſos ad conſideranda opera quæ in nomine patris ſui faciebat, quæ etiam teſtabantur ipſum eſſe verum Meſſiam. Et cum dicebat ſe eſſe Chriſtum, id iu ſuper eſſe verum, & non modo, ſed etiam quidquid ipſæ loquebatur. Opera inquit, quæ ego facio in nomine patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Sed & cauſam cur non crederent, adiecit dicens. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Sed forte dicent, quæ ſunt oues tuæ? Reſpondit Dominus, aſſignans multas conditiones ouium ſuarum, & quę ſint propriæ oues ſuæ dicens.

Conditiones ouium Christi.

Primo, Oues meæ vocem meam audiunt.

Secundo, ego cognoſco eas.

Tertio, ſequuntur me.

Quarto, ego vitam æternam do eis.

Quinto, non perhibunt in æternum.

Sexto, non rapiet eas quiſquam de manu mea.

Hæ ſunt conditiones prædeſtinatorum & electorum hominum. Illi autem non audiebant vocem eius. Siquidem audiunt hi qui credunt & obſequuntur auditis. At illi neque credebant, neque auditis obſequebantur. Sed nec etiam ipſæ agnoſcebat eos. Nam quos agnoſcit Deus, hi ſcripti ſunt in libro vitæ. Ipſi autem ſcripti erant in libro mortis. Nec illi ſequebantur eū licet eſſet lux vera, vt qui ſequuntur eū non ambulet in tenebris. Illi vero in tenebris ambulabant quæ ſunt opera mortis. Quō ergo poterat eis dare vitam æternam quam dat ſuis? Quam qui non habet, in morte

manet

manet æterna cum raptore diabolo, qui quos rapit deuorat in æternum. Eos nunquam cessasurus tradere pœnis. Erant igitur illi Scribæ Pharisæi cum ceteris alijs inuidis & maleuolis Iudæis de numero reproborum quorum sunt ante dictæ conditiones. Dominus autem loquens de suis prædestinatis & electis hominibus qui non sunt perituri in æternum, nec nullus eos de manu sua rapturus est, omnem gloriam refert in patrem cum ait. Pater meus qui dedit mihi maior omnibus est & nemo potest rapere de manu patris mei. Sed quid dedit pater filio? Dedit oues, dedit proinde potestatem dandi eis vitam æternam seruandi eas in æternũ, & insuper quòd nulla potentia rapere possit eas de manu & potestate ipsius. Nam pater maior atque potentior omnibus est, nemo potest eripere de manu patris. Quid enim potentiæ quæ superat omnia præualere possit? Quare neque de manu filij, quia pater & filius vnum natura, potestate, atque magnitudine sunt. Ego inquit, & pater vnum sumus, id est, vna essentia, vna natura, vna magnitudo, vna potestas, vnus Deus. Hæc audientes Pharisæi voluerunt eum lapidibus obruere, vt subdit Euangelista dicens.

Conditiones reproborum hominum.

Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respõdit eis Iesus. Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi. De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

His auditis sustulerunt lapides Iudæi lapidea corda gestantes, vt lapidarent eum. Ecce quomodo lapides voluerunt lapidibus obruere lapidem tanquam blasphemum, quoniam lex præcepit vt blasphemi lapidarentur. Aemulatores autem legis erant, ideo arbitrabantur per huiusmodi lapidationem legem seruare, sed ex propria ignorantia decipiebantur, quoniam Christus non erat purus homo, sed verus Deus & homo. Ideo respondit eis, non ex eorum apparatu perteritus, sed ipsorum insaniam blande refrenans, ait. Multa opera bona ostendi vobis ex

Leuit. 24

Patre meo, id est coràm vobis feci docendo, arguendo, consulendo atque miracula perpetrando, & ægros curando. Quamobrem propter huiusmodi opera vult me lapidare, necnon & occidere. Nempe id, quod ait videlicet, Ego & pater, vnum sumus, fuit vtique verum & bonum opus efficit. At Iudæi responderunt ei, iam lapides ferentes in manibus, & brachia iam ad proiciendum ad Iesum extenta. De bono opere non lapidamus te. Quamuis enim nondum lapidare cœpissent Iesum nihilominus tam firmum propositum habuerunt id faciendi, quod iam se illum lapidare dixerunt. Sed de blasphemia mentiebantur, quia quod ipsi blasphemiam reputabant fuit actus virtutis, & protestatio veritatis. Cur autem Iesum blasphema- se dixerunt, subiungitur cum dicunt. Quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum, id est, Dei filium, Deo patri consubstantialem, & equalem, quod equidem falsum est. Sed mentiebantur, quia ipsæ erat Christus, & verus Messias in Lege promissus, quem omnia scripturarum testimonia asserunt esse Deum, & hominem.

Quomodo oportet Messiã esse Deũ & hominẽ.

Isa.9. 48.

Dicit enim Isaias: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater sempiternus, Princeps pacis. Rursus, ipsæ Messias per Isaiam ita loquitur. Non à principio in abscondito locutus sum. Ex tempore antequam fierent ibi eram, & nunc dominus Deus misit me, & spiritus eius. Hæc dicit dominus Deus redemptor tuus sanctus Israël. Idem quoque per Hieremiam. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum Deus Tetragrammaton iustus noster. Id enim nomen soli Deo cõuenit. Si igitur Messias vocatur hoc nomine (vt liquet) ipsum esse Deum necesse est. Nomina namque consona sunt rebus. Michæas insuper idem asserit. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda

Hier.23.

Mich.5.

Ex te

Ex te enim exeet Dux qui regat populum meum Israël. Ecce Messias inquantum homo. Sed cum subdit. Egressus eius ab initio, & à diebus æternitatis, eum esse Deū palam insinuare voluit. At quid hic moror tot dicta Prophetarum recensere? Nonne & idem Dominus per Zachariam ait? Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ deuotionum. Et aspicient ad me quem confixerunt. Vbi cum ait, Effundam spiritum gratiæ, deuotionum, vel precum, Deum se esse fatetur. Et cum subiungit, aspicient ad me quem confixerunt, hominem se esse monstrauit. Deus enim confodi, & transfigi minime potest. Hanc autem Prophetiam de Messia esse, nemo Iudæorum deuitare potest. Ergo etiam si Dominus quamuis homo esset, se dixisset Deum, nequaquam tamen fuisset blasphemia, sed honorifica veritas, cum id oporteat esse Christum. Sed se non dixisse blasphemiam cum dixit Deus sum, siue filius Dei, ostendit eis ex lege ipsorum, dicens. Zach.12.

Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi dij estis? Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura, quē Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite. Vt cognoscatis, & credatis, quia in me est pater, & ego in patre.

Scriptum est in libro Psalmorum. Ego dixi dij estis. Et ita incipit Psalmus. Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Quod tunc temporis implebatur, quando ipse qui Deus erat in Synagoga Scribarum, & Pharisæorum morabatur, & medius illorum erat. Nam, vt dictum est, circumdederant eum Iudæi, vbi ad eorum confusionem & veram confutationem, ipse Dominus primo se Deum esse dixit, deinde etiam ipsos esse Deos asseruit. Sed Dij qui iudicantur, & arguuntur. Et non tantum eos, sed & omnes electos esse Deos, cum dixit. Nonne scriptum est, ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes? Hæc autem sunt Psal.81.

ſunt verba ſcripturæ ſanctæ, verba legis, verba Dei, in quibus hi ad quos hic ſermo Dei dirigitur manifeſte Dij appellantur, & in ſequenti particula, filij Dei. Et non poteſt ea ſcriptura ſolui, nec dici mendax, cum a Deo, & Spiritu ſancto ſit. Quomodo ergo blaſphema ſi is qui à patre ſanctificatus eſt, & in hunc mundum miſſus, dicit, filius Dei ſum, cum illi qui neque ſanctifica ſunt à patre, neque miſſi, à ſcriptura citra blaſphemiam dij dicantur ob iudicij poteſtatem, vel ſacerdotij dignitatem, qui nihilominus ex eadem ſcriptura iudices ini qui erant, & peccatores. Vſquequo inquit, iudicatis iniquitatem, & faciens peccatorum ſumitis? Et filij excel ſi omnes, id eſt, Dei ob ſolum creationis beneficium vel propter electionem. Multo magis igitur qui ſancti ficatus à patre etiam ſuper omnem ſanctum, & miſſu à patre ad ea quæ dixit dicenda, & ad ea quæ operatu eſt operanda, quemadmodum ſcriptum eſt. Mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Sine vlla blaſphemia dicere poterat. Et deus ſum, & filius Dei ſum quia reuera vtrunque natura erat. Et hoc eſt argumentum quo eos Dominus reuincit ac vere confutat cum ait. Si illos di xit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non pote ſolui ſcriptura? Quem pater ſanctificauit, & miſit i mundum, vos dicitis quia blaſphemas, quia dixi filiu Dei ſum?

Quomodo iudices & ſacerdotes dicuntur Dij.

Sed hic ſcire operæprecium eſt, ſeptem eſſe genera Deorum, & filiorum Dei. Aliqui enim ſunt dij ta [illegible] Dæmones, de quibus Pſalmus. Omnes dij gentium Dæmonia. Alij per vſurpationem, vt ſuperbi principes & potentes, dicente eodem Pſalmiſta. Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt. Nonnulli dij dicuntur ob electionem, vt ſacerdotes, & iudices, iuxta illud. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos di iudicat. Alij propter mirabilium efficaciam, & potentiæ magnitudinem, ſicut ad Moyſen dicitur. Conſtitui te Deum Pharaonis. Alij per creationis beneficium & baptiſmatis dignitatem, vt omnes Chriſti fideles ſicut Dominus per Pſalmiſtam teſtatur. Ego dixi [illegible]

Septem genera deorũ et filiorum Dei.

Exod. 17.

dij,

estis, & filij excelsi omnes. Alij per gratiam, & per quandam gloriæ Dei participationem, vt omnes Angeli, & Sancti. Angelos enim Iob filios Dei appellat, cum dixit. Factum, est autem cum quadam die venissent filij Dei vt starent coram Domino. Alij proinde propter naturæ veritatem, vt pater, & filius, & Spiritus sanctus, & sic sola Trinitas personarum est Deus, per deitatis essentiam. Si igitur quam plures homines (sicut diuinæ testantur historiæ) dij appellantur quanto magis ipse Christus qui erat verus Deus, & homo non blasphemauit asserens ipsum esse Deum. Deinde subdit Dominus. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, dicenti quod ego sum filius Dei. Si autem facio illa, & si mihi non vultis credere, operibus tamen credite. Hoc est, si facio opera Dei, & non vultis credere mihi propter verba mea, saltem credite mihi propter opera. Ecce quanta est filij Dei bonitas, quanta inexcogitabilis benignitas, qui lapidatores, & blasphematores suos omnibus vijs ad salutem adducere nititur, nec blasphemias eorum attendit, dummodo quacunque ratione, siue verborum persuasione, siue operum contemplatione veniant ad salutem, credentes, quòd pater in ipso est, ipse, & in patre. Nam pater dicitur esse in filio, & filius in patre, propter voluntatum, & operum conformitatem. Quidquid enim vult Pater, vult Filius, & Spiritus sanctus. Et vicissim quidquid operatur Spiritus sanctus, operatur Filius, & Pater, & sic voluntas vnius est in voluntate alterius. Concludit ergo Christus. Et si non vultis ò Iudæi mihi credere, operibus saltem credite, vt per experientiam agnoscatis, & per fidem credatis quod est vna, & eadem voluntas Dei patris, & mea.

Iob 2.

FERIA QVINTA DOMINICAE de Passione, de Maria Magdalena, super Euangelio Lucę.

Luc. 7. *Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat. Et osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.*

Si de Maria Magdalena sorore Lazari volumus aliqua singularia recensere in hoc Euangelico sermone, considerandum est primo, duo esse quæ præcipue conturbant mentes hominum, & sæpenumero obtenebrant, & impediunt intellectum ne veritatem agnoscat, neque ei assentiat. Videlicet, loca Scripturarum pugnantia, necnon & sanctissimi Ecclesiastici Doctores in diuinis Scripturis inter se dissentientes.

Duo cõturbant mentes hominũ

Gen. 22. Dicit enim Scriptura: Tentauit Deus Abraham.
Iac. 2. Iacobus autem videtur oppositum asserere cum dicit:
Exo. 10. Deus neminem tentat. Item: Honora patrem tuum,
Matth. 10. inquit Dominus, & matrem tuam, &c. Christus autem dixit: Omnis qui venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, non est me dignus. Pro-
Exo. 20. inde scriptum est. Ego sum Deum zelotes, visitans peccata patrum in filios, vsque ad tertiam, & quartam generationem. Sed oppositum scribitur apud Eze-
Ezec. 18. chielem. Filius, videlicet, non portabit iniquitatem patris, &c. Rursus, mandat Dominus in Lege,
Deut. 6. dicens: Dominum Deum tuum timebis, & per no-
Matth. 5. men eius iurabis. Christus vero videtur ei aduersari, cum ait. Ego autem dico vobis, omnino non iurare. Præterea, nonne psalmographus clamat, non
1. Cor. 6 resurgunt impij in iudicio? Cuius oppositum testatur Apostolus, dicens: Omnes quidem resurgemus.
Matth. 7. Proinde: Si omnis quicunque inuocauerit nomen Domini

mini saluus erit, vt inquit Ioël, Quomodo Dominus dicit, Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum cœlorum? Iterum Salomon in Prouerb. js. Septies in die cadit iustus. Sed, teste Psalmista, iustus in æternum non commouebitur. Postremo Apostolus asserit hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Et si Abraham ex huiusmodi operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Cui Iacobus videtur aduersari dicens: Abraham, nonne ex operibus iustificatus est, offerẽs Isaac super Altare, &c.

Ioel 2. *Prouer. 15* *Rom. 3.* *Iacob 2.*

Sed hæc omnia licet secundùm litteram pugnare uideantur, reuera tamen secundùm Spiritus sancti intelligentiam, minime aduersantur. Non enim sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Hieronymus insuper ait: Non putetis in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu. Non in cortice, sed in medula. Non in littera, sed in spiritu. Ad primum igitur dicendum est, quòd Deus neminem tentat ad malum. Tentator enim malorum diabolus est. Tentat autem vt probet, & erudiat, & ad virtutem hominis manifestandam. Et ita tentauit Abraham, & alios electos tentare non desistit. Ad secundum dici potest, quòd Christus loquitur de filijs parentes infideles habentibus, qui tenentur relinquere eos, & sequi Christum, necnon & odire eos, non simpliciter, sed propter eorum infidelitatem, nec id derogat præcepto de dilectione parentum. Ad tertium dicimus filios interdum posse puniri pœna temporali propter eorum parentum delicta, sed non pœna æterna, de qua scribitur. Filius non portabit iniquitatem Patris. Ad quartum asserimus Christum iuramentum prohibuisse nisi in casu necessitatis, in quo licet iurare in iudicio, iustitia, & veritate, dicente Apostolo: Omnis controuersiæ finis est iuramentum. Prohibuit etiam consuetudinem iurandi, quia, vt inquit Iacobus: Vir multum iurans, implebitur iniquitate. Ad quintum, fatemur impios non resurgere in iudicio ad iudicandum, vel ad probandum iudicium Dei. Resurgent tamen omnes, vt iudicentur iudicio appro-

Hieron. *Responsio ad obiecta.* *Heb. 7*

bationis,vt boni,vel reprobationis vt mali. Ad sex-
tum,equidem verum est id quod ait Dominus. Non
omnis qui dicit mihi Domine Domine ore tantum,
trabit in regnum cœlorum,sed quicunque inuocauer
nomen Domini corde,ore,& opere saluus erit. Ad se-
ptimum,proculdubio septies peccat iustus saltem pecca
to veniali,cadit,& resurget. Sed per lætale crimen no
commouebitur in æternum. Ad vltimum fatem
Apostolum Paulum loqui de operibus legis præcede
tibus fidem, vel de legalibus quæ minime iustifica
possunt. Iacobum autem de operibus bonis sequent
bus fidem, &c.

Quo ad secundum principale dicendum est, quòd
ecclesiastici Doctores inter se dissentiunt circa ea qu
ad fidem sunt pertinentia,recurrendum est ad Eccles
determinationem, quæ cum sit supremum tribun
quod errare non potest, sua interest omnia difficil
discernere,cui in omnibus parendum est. Si autem
alijs dissentiunt, & aduersari videantur his adhiben
est fides qui potioribus rationibus vtuntur. Qua-
admodum de hac muliere peccatrice quæ in hoc eua
gelio recitatur,facile est videre. Asserunt enim Græ
Chrysost. & alij,& præcipuæ Chrysostomus, Origenes, & Hi
Orig. ronymus hanc mulierem peccatricem non fuisse so
Hieron. rem Lazari. Asserit enim Origenes, quòd sicut
Christus vnctus fuit in vita, ita tres fuerunt mulier
vngentes. Nam vnctus fuit vna vice in domo Laza
ri in Bethania à Maria sorore sua, de qua Ioannes
ait. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi p
stici precioli, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes e
capillis suis, & domus impleta est ex odore v
guenti. Dixit ergo vnus ex Discipulis eius Iu
Scariothis qui erat eum traditurus. Quare hoc v
guentum non venijt trecentis denarijs, & dat
est egenis? Dixit autem hoc, non quia de ege
pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & locu
habens ea quæ mittebantur portabat. Dixit er
Iesus. Sinite illam, vt in die sepulturæ meæ ser
uet

uet illud. Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Eandem etiam vnctionem pariter, & murmurationem commemorat Dominus apud Matthæum cum dicitur. Cum autem eſſet Ieſus in Bethania, in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti precioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem Diſcipuli, indignati ſunt dicentes. Vt quid perditio hæc? Potuit enim iſtud venundari multum, & dari pauperibus. Quibus Chriſtus. Quid moleſti eſtis huic mulieri. Opus enim bonum operata eſt in me, &c. Secunda vice, Chriſtus fuit vnctus in domo Simonis leproſi per biduum tantum ante Paſcha, de qua Matthæus vt ſupra. Nam prima fuit ante ſex dies Paſchæ, vt Ioannes teſtatur. Tertia vice, vnctus fuit ab iſta peccatrice in Hieruſalem in domo Phariſæi, de qua hic loquitur Lucas. Et peccatrix non fuit ſoror Lazari, vt ipſi aſſerere videntur. *Matth. 26.*

Doctores autem latini puta, Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, & alij ingenue fatentur hanc peccatricem de qua hic Lucas, fuiſſe ſororem Lazari. Vnde Auguſtinus de conſenſu euangeliſtarum aſſerit Chriſtum tantum bis fuiſſe vnctum. Vna vice, videlicet, poſt reſurrectionem Lazari in domo ipſius, de qua omnes Euangeliſtæ, vt puta Matthæus, Marcus, & Ioannes loquuntur. Et quòd fuerit vna, & eadem vnctio ab vna, & eadem muliere, & hanc pulcherrimam aſſignat rationem. Omnes Euangeliſtæ qui de vnctione Chriſti poſt reſurrectionem Lazari loquuntur, aſſerunt Apoſtolos omnes cum Iuda murmuraſſe, correctoſque à Chriſto fuiſſe. Nam ſi bis Chriſtus fuiſſet vnctus, & cum prima vice Apoſtoli de murmuratione fuiſſent à Chriſto correcti, profectò in ſecunda vice non murmuraſſent. Modo vnquam poſt Lazari reſurrectionem legitur Chriſtum fuiſſe vnctum, quin Apoſtoli murmuraſſent, & quòd non fuiſſent à Chriſto correcti. Ideo tantum ſemel ipſum fuiſſe vnctum, cuidens eſt,

Auguſt.
Ambroſ.
Gregor.

Hanc peccatricem eſſe ſororem Lazari eſſe dicit Auguſtinus.

est, scilicet in domo Lazari a sorore sua Maria Magdalena. Nam ad id, quod objicitur de dissonantia temporis, dicit Augustinus, quòd reuera ante sex dies haec facta est vnctio, vt asserit Ioannes. Matthæus autem & Marcus per recapitulationem loquuntur, ita quòd nolunt dicere; per biduum solum ante Pascha vnctionem factam fuisse, sed quòd ante biduum Christus suam traditionem prædixit, cui annectunt vnctionem ex qua sumpsit exordium. Quod vero objicitur de domo Simonis leprosi, qui erat auunculus Lazari, dici potest, quòd forte erat vna, & eadem domus eius, & Lazari, & sororum eius, tanquam his omnibus communis, sed ipse Simon erat paterfamilias. Et si iterum objiciatur de vnctione capitis, & pedum, quia, scilicet vna pedes, alia caput vnxit. Respondet Augustinus, quod eadem mulier vtrunque vnxit, nec obstat id, quod asserit Matthæus, quòd mulier fracto alabastro, effudit super caput eius. Quoniam non fuit ita fractum, quin aliquid pro pedibus potuerit remansisse. Vel prius vnxit pedes, deinde caput fracto alabastro. Deinde etiam Christus tantum semel vnctus fuit ante Lazari infirmitatem & mortem, de qua solus Lucas hic loquitur in Euangelio. Et hanc fuisse Mariam sororem Lazari, Ioannes Euangelista ita pulcherrime testatur, dicens. Maria erat quæ vnxit pedes Domini, cuius frater Lazarus infirmabatur. Et hanc quoque vnctionem nullus Euangelista commemorat, nisi Lucas Euangelista. Ideo hanc peccatricem fuisse sororem Lazari non est dubitandum, quemadmodum supra dictum est, Feria sexta de Morte, & resurrectione Lazari.

August.
Ioan. 11.
Matth. 26.
Mar. 14.
Ad obiecta Græcorum responsiones.
August.

Præterea, si totam historiam Christi per quattuor Euangelistas recte consideremus, videbimus hanc fuisse Mariam sororem Lazari, quæ primo vnxit pedes Iesu in sua conuersione, de qua Lucas, & post resurrectionem Lazari in domo propria vnxit caput & pedes, quemadmodum Ioannes, Marcus, & Matthæus testantur. Hæc eadem flexis genibus ante pedes Christi audiebat verba eius, quam & ipso exi-

Luc. 7.

lau-

sauit dicente Martha. Domine non est tibi curæ, quòd, soror m a reliquit me solam ministrare, &c. Hæc enim optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Eadem stabat ad crucem Christi plorans. Eadem iuit ad sepulchrum Christi, cui primo apparuit Christus, iuxta illud Marci. Apparuit primo Mariæ Magdalenæ de qua eiecerat septem dæmonia, id est omnia genera peccatorum. Nullibi enim legimus Mariam Magdalenam fuisse à Dæmonibus oppressam. Sed quid per septem Dæmonia, nisi septem lætalia peccata intelligere possumus. Igitur, &c. Marc. 16.

Dicit ergo Euangelista, Rogabat Iesum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo. Siquidem legitur Christum manducasse cum publicanis, & peccatoribus, vt eos ad pœnitentiam prouocaret. Item, cum iustis eum diligentibus, vt eorum amorem, & deuotionem nutriret, & augeret. Quemadmodum dicitur de Martha, & Maria. Proinde cum cognatis, & pauperibus, vt eorum inopiam suppleret, sicut in nuptijs vertit aquam in vinum. Rursus, cum Pharisęis superbientibus, vt eorum superbiam reprimeret, eorumque vitia argueret, vt liquet in hoc Euangelio. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, videlicet Maria soror Lazari vt ostensum est. Tria nempe habebat in se, quibus ad peccandum inducebatur. Nam erat forma decora. Siquidem mulier pulchra cito ad amatur, & difficile est custodire quam multi amant. Ideo Salomon in prouerbijs. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua. Sed quando mulier est pulchra & sapiens, non est opus custodire eam, quia sapienter se conseruat. Prouer. 13.

Erat insuper bonis, & diuitijs affluens, ac sanguine nobilis. Nempe abundantia rerum temporalium interdum causa est multorum malorum, iuxta verba Ezechielis aduersus Hierusalem clamantis. Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis abundantia, & ocium. Ociositas nanque mater est nugarum, & nouerca virtutum. Ideo Ecclesiastes sapiens. Multam malitiam docuit ociositas. De sa- Ezech. 33. Eccl. 33.

 turitate

Deut. 29. turitate autem, inquit Dominus. Incrassatus est dilectus meus, & recalcitrauit, & dereliquit Deum factorem suum. Proinde erat Maria orbata parentibus, locis deliciis morabatur, præcipuæ in ciuitate Hierusalem viuebat, vbi multis peccandi præbebat occasionem, iuxta illud Oseæ. Quieuit paululum ciuitas a commixtione fermenti, donec fermentaretur totum. Quomodo & Paulus ait: Modicum fermentum totam corrumpit massam. Euangelista etiam his verbis testatur eam tota vrbe proclamatam fuisse tanquam præ aliis in genere mulieribus insigniorem.

Osea 9.

1. Cor. 5

Pœnitentia oritur ex duabus causis.

Et si quispiam dicat, cur conuertere Mariam sororem Lazari ita distulit Dominus? Respondendum est pœnitentiam oriri ex duabus primis causis, scilicet, à Deo liberaliter vocante, & a libera hominis voluntate.

Hier. 31. Primum liquet, dicente Hieremia. Conuerte me Domine, & conuertar. Quia postquam me conuertisti egi pœnitentiam. Ideo Christus in Euangelio Ioannis. Sine me (inquit) nihil potestis facere. Rursus. Nemo venit ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum. Iacobus quoque: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.

Iacob 3.

Secundum etiam palàm insinuatur, dicente Domino per Zachariam. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Cui arridet Iacobus, dicens: Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis. At si peccator non resipiscat, non conuertatur, & pœnitentiam non agat, defectus nō est Dei, qui vult omnes homines saluos fieri, & vocat operarios in vineam suam, neque Domini nostri Iesu Christi, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui & in Apocalypsi. Ego sto ad hostium (inquit) & pulso. Si quis aperuerit mihi ianuam introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Culpa igitur est peccatoribus hominibus attribuenda, quibus Dominus. Vocaui & renuistis extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Et Christus in Euangelio. Hierusalem Hierusalem

Zach. 1.

Iacob 3.

Apoc. 3.

Prouer. 1

Matth. 23.

lem quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Noſtræ igitur facultatis, & libertatis eſt, vt ad Dominum conuertamur, ipſo clamante per prophetam Ioëlem: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Rurſus Sapiens: Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Et infra: Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua. Proinde Apoſtolus, peccatoribus ait: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Et ad Epheſios: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Clamat etiam ipſæ Chriſtus in Euangelio: Pœnitentiam agite, appropinquat enim Regnum cœlorum. Vox enim ſua ad peccatores dirigitur, vt reſipiſcant, & conuertantur. Quantæ autem ſit vtilitatis, munificentiæ, & ampliſſimi beneficij, pœnitentiam agere, oſtendit Dominus per Ezechielem, dicens. Si impius egerit pœnitentiam de peccatis ſuis, feceritque iudicium, & iuſtitiam vita viuet, & non morietur, &c. quæ ſequuntur. Nolo enim mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Et infra: Si dixero impio morte morieris, & ipſæ egerit pœnitentiam de peccatis ſuis, vita viuet, & non morietur. Et illæ idem per Hieremiam. Si populus meus egerit pœnitentiam de peccatis ſuis, agam & ego pœnitentiam ſuper malum quod conſtitui facere ei. Proijcite igitur peccatores à vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor nouum, & animam nouam, inquit Ezechiel. Thobias quoque: Conuertimini itaque peccatores, & facite iuſtitiam coràm Domino, credentes quòd faciet vobiſcum miſericordiam ſuam, &c.

Ioel 2. *Eccl. 5. 27.* *Rom. 6.* *Eph. 5.* *Matth. 3.* *Ezech. 18.* *Hier. 18* *Thob. 18.*

Placuit tandem Spiritui ſancto, vt Maria ſoror Lazari in ſe reuerteretur, & agnoſceret deteſtabilem lepram peccati animam ſuam tegentem, ac turpitudinem

vitæ suæ. Et qualiter erat mulier infelix, nuda, & spolia-
ta omnibus spiritualibus bonis, ac diuinarum re
lumine priuata, necnon, & Diabolicis cathenis inuo-
ta, & circumligata in perpetuam diaboli seruitutem
ius pectori Serpens adhærebat assidue, id est remor
conscientiæ non deficiebat. Pendentem quoque su
caput suum gladium ex vtraque parte acutum iuge
nie intuebatur, id est seuerissimam iudicis sententiam.
Necnon, & dæmones qui aduentum suum ad infe
continuo præstolabantur. Quæ omnia conspiciens c
pit flere dicens. Peccata mea sicut sagittæ infixa sunt
me. Quamobrem Spiritus sancti gratia coopera
agnouit in peccatis perseuerantes esse veluti in Infer-
no, quoniam sustinent in hoc seculo pœnas, quas pa
tur damnati. Et per oppositum pulcherrimæ nouit a
mam in fide, & charitate perseuerantem in terrestri
radiso morari, quoniam septem fruitur gaudijs, quib
fruuntur sancti in Paradiso cœlesti. Siquidem anim
existens in gratia.

Status peccatoru describitur.

Primo, est Deo grata, & accepta.

Secundo, omnia opera sua bona, beneficio gratiæ vitæ æternæ meritoria efficiuntur.

Tertio, ornata est omnibus gratijs, & virtutibus bo
nis donis quoque Spiritibus sancti nec non, & parti
ceps est omnium timentium Deum, & custodientium
mandata sua.

Quarto, libera est ab omni seruitute peccati, Dæmo
nis, & mundi.

Quinto, pacificam, & tranquillam possidet conscien
tiam sui in lætitia Domino seruiendo, quia non est q
non gaudeat bonis operibus.

Sexto, lumine diuinarum scripturarum, & secreto
rum Dei, & quæ præcipuo agere debeat, diuinitus
stratur. Septimo, expectat tandem vt consumato term
no itineris sui audiat vocem sponsi sui dicentis. V
sponsa Christi accipe coronam, &c. Ideo contemp
tur Maria illud Genesis elogium. Plantauerat autem
Dominus Paradisum voluptatis, in quo posuit ho
minem

Status animæ existentis in gratia.

minem quem formauerat. Et ingenue fatebatur non esse alium Paradisum in terra quàm statum gratiæ, & innocentiæ. Cœpit igitur odire peccata, & omnia vana quæ sub Sole sunt, cupit obseruare diuina præcepta, soli Deo seruire, semper cum Christo manere. Petijt itaque veniam à fratre, & sorore sua, & non sine modica lacrymarum effusione quærit Christum, cuius concionem forte audierat. Et vt tandem cognouit quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi attulit alabastrum vnguenti preciosi, & stans retro, quia faciem Christi videre nō audebat. Retro quidam secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes ipsius. Nam quattuor obsequia narrat Euangelista quæ Magdalena Domino exhibuit. Pedes enim eius lacrymis suis lauit, tersit capillis, tersos osculata est, & inde vnxit vnguento. Vnde Gregorius, & post eum Beda, inquit. Quia liquet omnibus, quòd illicitis actibus prius mulier intenta erat, vnguentum sibi pro odore suæ carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter adhibuerat, hoc iam Christo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hoc iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam lacrymas capillis tergebat. Superba dixerat ore, sed pedes Domini osculans hoc in redemptoris suis vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot in se inuenit holocausta. Conuertit ad numerum virtutum numerum criminum, vt totum seruiret Deo in pœnitentia quidquid ex se Deum contempserat in culpa. Forte enim Magdalena ad pedes Christi lacrymans aiebat. O benignissime Domine Iesu Christe qui omnia nosti, verusque es cordium inspector, qui nos vis mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Tu ipse satis intelligis quid mei gemitus sibi velint quid hæ lacrymæ poscant, quid singultus isti ex amaritudine cordis ex te quærant. Ecce peccatrix ego sum, immunda sum, sum polluta vitiorum omnium contagio. Confugio itaque ad te Dominum Deum meum qui vita es æterna. Te rogo vt vitam re-

Paradisus terrestris est status gratiæ, & innocētiæ.

Gregor. Beda.

Oratio Magdalenæ ad pedes Christi.

tribuas quam male amisi, meque misericorditer li-
beres, qui solus sufficienter laborem, & dolorem
consideras.

Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se dicens. Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ, & qualis mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum. Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait. Magister dic. Et respondit Iesus. Duo debitores erant cuidam feneratori, vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit. Existimo, quia is cui plus donauit. At ille dixit ei, Recte iudicasti.

Pharisæus in Pharisaicam religionem cadens, quæ sine compassione erat, iam iudicat Christum non esse Prophetam simul, & exacerbatam mulierem spiritu spernit: quia peccatrix erat. O igitur hominem cæcum, ò immitem, ò immisericordem Pharisæum, quem tot nanque ardentes perturbatæ mulieris lacrymæ non commouerunt. Sedebat autem Dominus velut medicus inter duos ægros. Sed vnus æger in febre integrum sensum habebat, Magdalena scilicet. Alter vero in febre carnis sensum perdiderat mentis. Maria quippe flebat peccata quæ fecerat, Pharisæus autem de falsa iustitia elatus vim suæ valetudinis exaggerabat mulierem de morbo, & de auxilio incusans medicum. Si quidem si Maria ad pedes Simonis accessisset forte eam pedibus proculcasset, metuens ne alieno peccato inficeretur. Vera enim iustitia ipsum non impleuerat. Si autem illæ Sapientis secutus esset consilium, dicentis. Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest, à detractione parcite linguæ, quia sermo obscurus non in uanum abibit, melius, rectiusque egisset. Nolebat illæ videre, & intelligere, quod mulier peccatrix sanctum sanctorum non ad sanctimoniæ suæ contaminationem tangere posset, sed ad peccatorum suorum expurgationem.. At Dominus volens ostendere non tantũ esse Prophetam, sed & Deum ve-

Falsa conceptio Pharisæi describitur.

Sap. 1.

rum.

rum, qui abscondita cordis agnoscit, & cogitationes hominum rimatur, respondit ad cogitatum Simonis, dicens. Duo debitores erant. Et qui sunt hi debitores? Profectò Simon, & hæc mulier peccatrix. Cuidam feneratori, seu creditori, scilicet Christo. Porrò cum dicit, vnus debebat denarios, quingentos, peccatricem tangit cui decies plura imputantur dissipata dona per peccata. Cum vero alter quinquaginta, Pharisæum citat. Et cum subdit. Non habentibus vnde redderent, innuit neque nos ex nobis, neque Iudæos ex se habere, vnde possint pro debitis suis satisfacere, sine diuina gratia, quia non ex operibus quæ fecimus nos, inquit Apostolus, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Sed quid egit liberalissimus Dominus? Donauit vtrisq;, vt palam insinuaret remissionem peccatorum, & instaurationem deperditorum esse Dei gratiam, & donum Dei. Etiam hic intelliguntur non solum peccatrici, sed etiam Simoni peccata remissa, vt nō frustra in domo sua eum receperit Pharisæus. Donauit inquit, vtrisque. O magna Dei benignitas, quæ etiam eos qui Pharisaicæ viuunt, saluat. Nullum ergo iudicemus, sed sequamur secundùm lumen Dei id, quod melius est. Scire etiam opus est hunc feneratorem Deum esse, qui dat hominibus intellectum, & vult fidem. Dat memoriam, & recordationem beneficiorum expostulat. Præstat voluntatem, & optat amorem. Donat oculos, & vult lacrymarum abundantiam, & vt superiora intueamur. Proinde aures, vt audiant verbum Dei. Rursus, os, & linguam, vt ipsi Deo gratias agamus. Et tandem manus, & pedes, vt bonis operibus insistamus.

Remissio peccatorū, est gratia, & donum Dei.

Deinde interrogat Dominus Pharisæum, dicens. Quis ergo eum plus diligit? id est, quis duorum debitorum feneratorem, imò condonatorem illum plus diligere obligatur. Respondens Simon dixit. Existimo. Sobrie loquitur Pharisæus timens ex propriis verbis conuinci a Christo, cuius sapientiam nouerat esse magnam, quia is cui plus donauit, id est, qui maiorem

Fœnerator iste Deus est & Christus Iesus.

indulgentiam, & beneficentiam adeptus est. Ille quippe ceteris paribus plus amare tenetur, quia plus datum est ei. Quanto enim quis ab aliquo maiora consecutus est bona, tanto plus habet illum diligere. Quemadmodum etiam in rebus humanis contingere, videtur, vbi amor frequenter causatur ex precedentibus donis, ideo amor maior procedit ex maioribus donis. Quamobrem respondit Dominus. Recte iudicasti, id est, verum à falso rite decreuisti. Sed hic non immerito oritur, quæstio, quia sequitur Ioannem Baptistam fuisse modica dilectione dilectum, cui parum dimittebatur, nec ipsum multum tenuisse ad dilectionem Dei, si verum est vniuersaliter quod cui parum dimittitur, parum diligit. Sed soluitur quæstio, quia sermo Iesu est de debitoribus quatenus debitores sunt. Et de peccatoribus inquantum peccatores sunt. Infra siquidem hanc latitudinem solam loquendo vniuersaliter verum est, quòd cui parum dimittitur, parum diligit, quod est dicere quod quantum est ex beneficio remissionis, parua remissio paruam dilectionem parit. Cum quo tamen stat, quòd aliunde cui parum dimittitur maxime diligit. Et ita Ioannes Baptista maxime dilexit Christum aliunde quam ex remissione peccatorum eius. Fuerat enim sanctificatus in vtero matris, ex qua maximopere tenebatur diligere Christum.

Pulchra qō & soluitur

Et *conuersus ad mulierem dixit Simeni. Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter, quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua te saluam fecit, vade in pace.*

Vo...

Volens Christus aperire paraboiam, conuertit se ad mulierem secus pedes suos stantem, illos tergendo & osculando. Spiritualiter quoque conuertit se ad eam per gratiæ infusionem. Nam & ante sic conuerterat se ad ipsam, dicente Gregorio. Quid miremur fratres, Mariam venientem, an Dominum suscipientem? Susci pientem dicam, an trahentem? Sed vt verius fatear, & trahentem dicam, & suscipientem. Ipse enim ad pœnitentiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris. Et dixit Simoni. Vides hanc mulierem? Atten de fœminam istam valde notabilem, cuius gesta sunt consideratione dignissima, cum ipsa sit pœnitentiæ forma, peccatorum exemplar. In qua sicut prius abundauerat culpa, ita abundat nunc gratia. Proinde, lege alia quæ sequuntur, quæ clara sunt in textu.

Duplex cõuersio Xp̃s ad mulierẽ Gregor.

Dixit autem ad illam. Remittuntur tibi peccata. Et non inepte. Venerat quidem peccata remittere. Ecce (inquit Ioannes) Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et dixerunt qui simul accumbebant intra se. Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Siquidem pauloante, Simon, nec Prophetam reputabat Iesum, modo autem stupens cogitat, quis est hic? Et veræ stupendum erat, qui non homo tantum, sed Deus erat hic, qui etiam peccata dimittit. Dixit autem ad mulierem. Fides tua te saluam fecit. Nempe præter officia exteriora duas in hac muliere internas virtutes ex verbis Iesu colligere possumus, Fidem, scilicet, & Charitatem. Spes enim in officijs suis satis patebat. Nisi enim sperasset veniam, non tot fecisset. Fides igitur per dilectionem operans, te saluam fecit. Vbi palàm insinuatur diuinam misericordiam remittentem peccata, non remittere peccata nobis dormientibus, sed cooperantibus Fide, Spe, & Charitate, sine qua nulla est remissio quantumcunque sit Fides, & Spes. Et signum in nobis ipsis hinc datum ad cognoscendum si nobis dimissa sunt peccata multa, scilicet, si diligimus multum. Nam si non diligimus multum, non remittuntur peccata nostra multa. Postremo dixit. Vade in pace,

Spes, Fides, & Amor ĩ Magdalena notãtur

in pace,id est pacem habebis cum Deo,& propria conscientia. Recessit igitur mulier in pace, cuius postmodum pœnitentia præcipuæ consideranda est, & prædicanda,ad aliorum peccatorum salutem,&c.

FERIA SEXTA DOMINICAE de Passione, super Euangelio Ioannis.

Ioan. 11.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum,& dicebant. Quid facimus,quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.

Resuscitato Lazaro,& tam admirabili miraculo publicato, Pontifices qui erant maioris auctoritatis, & Pharisæi qui præ alijs religiosiores videbantur, collegerunt concilium Sabbato mox sequēti, aduersus Iesum. Illi quippe in anima iam mortui, in corpore morituri, mente deprauati concilium ineunt vnde inferant mortem, non vnde possent acquirere vitam. Magna quidem auersio à lumine veritatis,cum mortui qui possent redire in vitam cōferunt de morte inferenda ei qui vita est, qui mortuum quatriduanum reuocauit ex mortuis. Et ob id,ipsum venantur ad necem, quia mortis imperium destruebat. Et quod eis ceterisq; Iudæis debuit esse causa fidei,occasio perfidię fuit.Semp enim diuino,iustoq; Dei iudicio agitur, vt peruersis recta vertantur in malum.Sed vnde consilia mala?Siquidem malus timor,malaq; spes, odium, & inuidia,constituunt consilia mala.

Cōsilia mala vnde oriuntur.

Collegerunt igitur Pontifices,& Pharisæi cōcilium, & dicebant. Quid facimus,quia hic homo multa signa facit? Audierant enim ab Hierosolymitanis qui suscitationi Lazari interfuerant id mirabile opus. Sed illi miseri cum testimonium, & admirationem ad suam salutem recipere debuissent, ad suam æternam condemnationem receperunt. Et concilium congregauerunt, sed concilium

cilium malignantium, de quo Dauid in Psalmo. Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Et dixerunt. Quid facimus? Ac si dicerent. Quid facturi sumus, ne opera nostra ludamus. Et causam subijciunt, quia hic homo multa signa facit. Vbi veritate compulsi, planè confitentur ipsum signa multa facere, & ita ipsimet contra se veritatis sunt testes. Dicunt enim, quia hic homo. Sed si scirent quis esset hic homo, nimirum quia Deus est, & verus Messias in Lege promissus, non mirarentur, quòd signa multa faceret. Hic est qui per Isaiam loquitur. Quæsierunt me qui ante non interrogabant, inuenerunt qui non quæsierunt me. Et subdit: Expandi manus meas tota die ad populum non credentem. Deinde subiungunt: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Quibus verbis indicant magna, & admodum admirabilia opera, & signa fuisse illa, quæ sic omnes trahebant ad credendum in eum. Si ergo dimittimus eum sic, si permittimus eum viuere, si eum de vita non tollimus, multa mala euenient nobis. O miseri, ò plusquam cęci, & duces cæcorum, non est vestri arbitrij non dimittere eum sic, sed diuinæ voluntatis, quando etiam vt aliter fiat vobis ipsæ permittet. O iterum cæci, an nescitis quoniam non est sapientia, non est prudentia, nō est consilium cōtra Dominum? An ignoratis id, quod Dauid propheta dicit? Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum. Consilium autem Domini manet in æternum.

Isa. 56.

Prouer. 21

Mox vero deplorantes omnium hominum, & præcipuæ Gentilium felicitatem dicunt. Omnes credent in eum. Sed vtinam non essent mendaces, qui nunquam erant credituri in eum. Nam & si omnes credidissent in eum, ipsi tamen non erant de numero credentium. Adijciunt insuper. Et venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem. In quo nimium suam infelicitatem vaticinati sunt. Contra tamen accidit id,

Quomodo Iudai vaticinati sunt suam infelicitatem.

d, quod putabant. Nam si dimisissent eum, profecto Romani non venissent. At quia non dimiserunt eum, reuera venerunt, & tulerunt, & igni succenderunt locum illorum & gentem, in omnes nationes ventilauerunt. Siquidem Balaam cum accederet ad maledicendum populum, quinque vaticinatus est.

Num. 14. *Quinq; vaticinia Balaam.*

Primo, Hebræorum exaltationem, cum dixit. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel.

Et paulopost. Qui benedixerit tibi, erit, & ipse benedictus. Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur.

Deinde, Aduentum Christi per stellam, necnon & ruinam Moabitarum, & Idumæorum, cum subdit. Videbo eum, sed non modo. Intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël. Et percutiet duces Moab, & vastabit omnes filios Seth, & erit Idumæa possessio eius.

Rursus, vastationem Assyriorum per Romanorum Imperatores, & forte Roma nondum erat ædificata, cum subiungit. Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos.

Postremo, Ruinam etiam Romanorum prædixit, dicens. Et ad extremum etiam ipsi peribunt, Videlicet, Romani per proprias, & intestinas discordias. Sed nihilominus non propter Iudæorum desolationem Ciuitatis, & Templi quam prædixerat Christus, postero res Iudæi crediderunt in eum, quemadmodum, & Daniel testatus est, dicens. Et non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas. Et post finem belli statuta desolatio.

Dan. 9.

At princeps Sacerdotum cui nomen Cayphas accusat assistentes in concilio. Accusat inquam ignorantiæ, & ita cæcus cæcos & ignorans ignorantes accusat, & arguit dicens. Vos nescitis quidquam, vt subdit Euangelista.

Vnus autem ex ipsis Cayphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis. Vos nescitis quicquam nec cogitatis

qui

quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus morturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.

Cayphas igitur cum esset maioris auctoritatis, securius loquebatur, & attentius audiebatur, ideo eos redarguit dicens. Vos nescitis quidquam, hoc est ignorantis scripturam, nihil attenditis eorum quæ in isto negocio sunt pertractanda. Nec cogitatis ea, videlicet, quæ cogitare deberetis. Huiusmodi enim verba forte protulit ipse aduersus eos qui in fauorem Christi in prædicto concilio loquebantur. Expedit enim vobis pro conseruatione vitæ præsentis, pro conseruatione ciuitatis, & Templi, vt vnus moriatur homo pro populo, id est, pro ereptione gentis nostræ de manibus Romanorum imperatoris. Et non tota gens pereat, quòd idem est dicere, ne vniuersum genus nostrûm occidatur, à Romanorum militibus. Quasi dicat Mirum, quòd tam cæci estis, quòd non perpenditis propter bonum reipublicæ atque totius communitatis vtilitatem occidendum esse hominem vnum. Ecce quàm cæcus erat, & ignorans verborum, quæ proferebat. Ipsi quoque cæci erant, & ignorantes, nec intelligebant quid Cayphas diceret, imò neque quid ipsi dicerent, cum verum contra se, & in suam perniciem loquebantur. Sed quoniam Cayphas erat summus Pontifex anni illius non ratione quidem personę, sed ratione sacræ functionis quam, & si indignus illo anno administrabat, datum est ipsi vt vice omnium quibus præerat prophetaret. Pondera illam particulam, cum esset Pontifex anni illius. Nam his temporibus etiam summus Pontifex non ratione personæ, sed ratione officij, & dignitatis eandem habet auctoritatem quam habuit Petrus, cuius personam gerit in terris, quemadmodum, & ipse Petrus gerebat personam Christi. Dixit ergo Cayphas. Expedit, confert, conducit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, &c. A semetipso

Quomodo ratione officij Cayphas prophetauit.

ipso autem, id est proprio spiritu non dixit quantum ad veram, & spiritualem significationem verborum, sed cum esset Pontifex anni illius, id est, ex dignitate sui officij, non merito vitæ prophetauit, hoc est, verba prophetica ab ipso non intellecta pronunciauit, quòd Iesus moriturus erat pro Iudæorum salute, ad quos saluandos specialiter missus fuerat. Et non tantum pro gente Iudæorum, sed insuper vt filios Dei per æternam prædestinationem qui erant dispersi per varias sectas, & ritus perditionis diuisi, necnon & à Deo vndique elongati per idololatriam, aliaque peccata, congregaret spirituali collectione per Apostolorum prædicationem, & sancti Spiritus infusionem, congregaret quidem in vnum, in vnam fidem, vnum baptisma, vnam Ecclesiam, quæ est corpus Christi. Et hæc fuit intelligentia Spiritus sancti.

Alia intelligentia Cayphæ, alia Oraculi.

Intelligentia igitur Cayphæ, & intelligentia oraculi prorsus diuersæ erant. Hæc vera, & diuina erat, illa falsa, & humana, quinimò diabolica. Nam intelligebat, & suum, & suorum terrenum bonum esse, & populi, & vniuersæ gentis, si Dominus morte tolleretur, ne vniuersus populus Iudaicus, & etiam gentes ipsæ crederent in Iesum. & ipsum sequerentur. Hæc erat intelligentia Cayphæ, sed non Spiritus sancti. Vnde constat ipsum nesciuisse quid diceret.

Rursus, non est ignorandum Caypham non fuisse Prophetam, quoniam ad rationem prophetiæ præcipuæ congruit occultorum cognitio, iuxta illud Danielis. *Dan. 1.* Intelligentia est opus in visione. Cayphas vero (vt dictum est) non intellexit propheticum sensum suorum verborum. *Gen. 41.* Quemadmodum ergo Pharao videns septem Boues, & septem Spicas, pariter & Nabuchodonosor *Dan. 5.* qui statuam intuebatur, Balthasar quoque qui vidit articulos manus scribentis Prophetæ minime dici possunt, quoniam illorum nullam habebant intelligentiam, sed Ioseph, & Daniel, qui visiones interpretati sunt, vates merito dicuntur. Ita Cayphas propheta non fuit, licet prophetauerit non suæ, sed a...

Cayphas non fuit Propheta.

aliorum salutem, id est tantum Prophetiam denunciauit, quemadmodum Balaam irruente in se spiritu Dei ait. Dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visiones omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius, &c. De prophetia autem, & varijs modis prophetandi, diffuse habetur Tomo 3. libro 11. cap. 4. car. 220. Inde subdit Euangelista.

Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Iesus ergo iam non palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta Desertum, in ciuitatem, quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum Discipulis suis.

Ab illo inito concilio, cogitauerunt Pontifices, & Pharisæi vt interficerent Dominum, eo quòd Cayphas dixerat, Vos nescitis, nec cogitatis quidquam. De hoc autem concilio statim post suscitationem Lazari facto, alij tacuerunt Euangelistæ, ideo Ioannes illud expressit. Sed illi meminerunt illius concilij quod inierunt Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, post ingressum Domini in Hierusalem, quando Iudas tradidit eum. Cognouit ergo Dominus quem nihil latere poterat cogitationem, eorumque determinationem, & quo pacto ab illo die statuerant in animo suo. Et fixius quidem, ac pertinacius, quàm antea vnquam, interficere ipsum. Et abijt relicta Bethania, & Iudæa in partem Deserto vicinam in ciuitatem quæ dicitur Effrem, quæ & Moabitarum Regio fuisse creditur, vbi mansit cum Discipulis suis vsque ad aduentum suum in Hierusalem. Appropinquabat autem Pascha Iudæorum, & hoc est tertium Pascha à prædicatione Saluatoris. De quo meminit Ioannes.

De consilio pro regimine ciuitatis nonnulla notabilia.

Consilium est rerum agendarum, examinandarum, gubernandarumque, subtilis animi prospectus. *Quid consilium.*

Quem

Quemadmodum enim videmus interdum nauem varijs fluctibus, & ventis concuti expositam maritam barbaro elemento sine regimine Nautæ, & tandem submergi, sic ciuitas sine consilio diuersis exponitur periculis, & damnis, à quibus sano consilio eripitur, & ... ratur. Quamobrem nihil reipublicæ vtilius ... consilio. Nihil est, quòd tam bene deceat, quàm in omni re vti consilio. Sed quia omnis multitudo bene ordinata habet vnum caput à quo dirigitur, omnis ... que tam vniuersalis, quam particularis communitas, siue secularis, siue ecclesiastica fecerit, vnum habet principem, a quo regitur, & gubernatur. Ita in omni con-

In omni cõsilio opus est vnum caput.

tio, concilio, vel consilio, vnum caput præesse oportet. Quemadmodum, & in hoc Pontificum, & Pharisæorum concilio congregato aduersus Iesum, Cayphas præsidens fuit. Siquidem in omnibus Apostolorum concilijs præerat Petrus, qui primo loquebatur tanquam gerens personam Christi, vt de se liquet, sicut ... summus Pontifex in ceteris alijs.

Rursus, septem consiliariorum conditiones sunt præcipue considerandæ.

Prima conditio.

Prima, vt sint senes ob maiorem experientiam, grauesque moribus. Præcepit ideo Dominus Moysi vocare seniores ad consilium vt audirent mandata Dei dicens. Congrega seniores Israël. Rursus, dixit Dominus ad Moysen. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quibus tribus tradidit eundem spiritum quem Moyses habebat, vt essent vniti in eodem spiritu, circa ea quæ erant in consilio pertractando. ... co Roboam (vt scribitur in tertio libro regnorum) quia dereliquit consilium senum, & adhæsit consilio adolescentum, à populo est derelictus, amisitque decem tribus. Sic etiam his temporibus interdum ... bus contingit qui relicto consilio senum adolescentium consilij acquiescunt qui ab honoribus, & diuitijs, ... to rejiciuntur. Sunt igitur senes in ciuitatibus ad consilium vocandi iuxta illud Sapientis. Consiliarius sit tibi vnus de mille. Siquidem senum tantus ... ex...

Exod. 3.

Num. 11.

3. Reg. 12

Eccl. 6.

extitit apud græcos, vt duces reipublicæ nunquam procederent ad aliquod egregium opus agendum, quòd senes instituti non approbarent. Et quod magis est, ab initio vrbis conditæ nomina eorum aureis literis scribebantur. Ipsi quoque Patres conscripti ab omnibus appellabantur. Penes quos erat consiliorum auctoritas, & omnium Reipublicæ gerendorum. Romulus igitur condita vrbe, centum ex senioribus elegit quorum consilio omnia ageret, quos senatores propter senectutem, & patres ob curæ sollicitudinem nominauit.

Secunda vt sint boni, morigerati, & velut integerrimi viri quoniam in consilijs quærendis, & dandis, plurimum prodest vitæ probitas, ac virtutum prærogatiua. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis ex turbida aqua potum petat? Nullus quippe quærit aquam dulcem à mari, nec claram ex turbido fonte. Itaque vbi iniustitia, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio quid inde tibi aliquis hauriendum existimet? Raro igitur mali saluti animæ consulere consueuerunt. Siquidem de bono consilio quam plura testimonia habemus in scripturis. Angeli, Loth bonum consilium dederunt vt de Sodomis exiret cum vxore, & filiabus, & post terga non respiceret, sed in monte se absconderet. Ruben bonum consilium fratribus dedit, vt Ioseph patri suo redderent, sed illi non acquieuerunt. Consilium sanum dedit Achior Holopherni, quod ille contempsit, & post Paulum occisus inuenitur. Consilium bonum placeat tibi, peccata tua eleæmosynis redime, inquit Daniel ad Nabuchodonosor. Qui non acquiescens, in bestiam mutatus est. Vxor etiam Pilati consuluit saluti eius, sed non acquiescit.

Secunda cōditio. *Gen. 19.* *Gen. 37* *Iudith 5.* *Dan. 4.*

Rursus, de malis consilijs etiam non desunt testimonia scripturarum. Nempe consilium malum dedit Serpens Euæ vt comederet de ligno vitæ. Ipsa quoque dedit viro suo de ligno vetito, quasi consulendo vt comederet. Balaam male consulendo docuit Balaach

Gen. 2.

quomodo per mulieres posset filios Israël ad peccandum inducere, vt Dominus prouocaretur aduersus eos.

Num.24. Filij Amon male consuluerunt Regi suo, vt dehonestaret nuncios Dauid.

2.Reg.10. Ionadab nepos Dauid male consuluit Amon, vt sororem suam defloraret.

2.Reg.13 *2.Reg.15.* Consilio malo Achitofel, perijt Absalon.

Hest.3 Consilio amicorum Aman perijt ipse.

Iob 2. Male consuluit vxor Iob marito suo, dicens. Benedic Deo, & morere. Cui tamen illæ non acquieuit.

Sedechias acquiescens consiliarijs suis peccat, & capit Hieremiam.

Hier.38 Consiliarijs malis seducitur, & dat leges iniquas Nabuchodonosor.

Dan.6

Matth.14. Iniquo quoque consilio Herodias perdit Ioannem.

Tertia conditio. Tertia conditio, vt consiliarij sint totius reipublicæ velut dilectissimi, & pientissimi patres, ipsius veritatem consulendo, vt seruentur documenta Platonis, dicentis

Documenta Plat. Propter tria veritas in Republica conseruatur,

Primo, Quando iura seruantur vniuersaliter. Iustitia quoque tam a maioribus, quàm à minoribus, & Leges non sunt aranearum telæ.

Secundo, Quando honores, dignitates, & officia omnibus distribuuntur secundùm eorum benemerita, conditionem, & gradum, & non plura vni.

Tertio, Quando onera proportionabiliter imponuntur, tam diuitibus, quàm pauperibus, secundùm eorum facultatem, & possibilitatem.

Quarta cōditio. Quarta, vt sint iusti, & synceri, secundùm veritatem consulendo, non ad beneplacitum Dominorum, vt adulatores facere consueuerunt. Describitur enim consiliarius à Marco Regulio circumquaque habens Spem, &

Iusti consiliarij descriptio. Timorem: Amorem, & Odium, cui clamat consulere recte te decet. Non passionibus moueri odij, vel amoris, spei, vel timoris. Perit enim omne iudicium (inquit

Seneca. Seneca) cum res transit in affectum.

Quinta cōditio. Quinta, vt sint secreti de his, quæ tractantur in consilijs

filijs propter ſcandala multa, quæ poſſent euenire. Ideo Sapiens. In abſconditis ſuis conſiliabitur. Dicebat .n. Horatius: Si pallium meum haberet os ad loquēdum, non ingrederetur conſilium. *Eccleſ. 39.* *Horat.*

Sexta, vt ſint maturi. Nihil enim eſt, quòd tam bene deceat, quàm in omni re maturo vti conſilio. Socrates quidem aiebat. Velox conſilium ſequitur pœnitentia. Non percipitemus igitur conſilia (inquit Calyxtus Papa) ſed opera noſtra maturius agamus. *Sexta 2dō.* *Socrat.* *Calyxt⁹ pp.*

Septima, vt ſint ſapientes, iuxta illud Thobiæ prophetæ. A Sapiente perquire conſilium. Ignarus enim nec propriæ, nec aliorum vtilitati conſulere poteſt. Et ſi quæras de quibus conſulere debemus, ſi quidem de bono honeſto, de bono vtili, & de vtriuſque conflictu. De pace in republica conſeruanda, de bonis moribus aduerſus publicos vſurarios, luſores, blaſphematores, & alia enormiſſima crimina, quæ Deum prouocant ad iram. *Septima cōditio.* *Thob. 4.*

SABBATO DOMINICAE DE Paſſione, ſuper oratione quam habuit Chriſtus in vltima cœna.

Sublevatis Ieſus oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet Te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc autem eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Ioan. 17*

Hæc eſt quædam ſingulariſſima Chriſti oratio, ſecundùm naturam humanam, cuius oculorum ſubleuatio in cœlum eius qui orat totam mentis attentionem ad Deum conuerti debere demonſtrat, vt dicat cum Pſalmo.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. *Pſal. 38.*

Item: Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Rursus. Oculi mei semper ad Dominum. Et vt dicat cum Ezechia. Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelsum. Scribitur enim in libris Regum Salomonem orasse genibus flexis, & manibus in cœlum erectis. Ideo Hieremias. Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cœlos. Subleuauit igitur Christus oculos in cœlum, quia oratio est eleuatio mentis in Deum. Et dixit orando. Pater naturalis, & consubstantialis, à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, cui nomen, & ratio patris propriè, ac verissime competit. Venit hora passionis meæ, instat tempus faciendi quod precor, videlicet, clarifica me, quam horam tu ipse ab æterno decreuisti. Clarifica igitur filium tuum.

3. Reg. 8.
Tren. 3.

Multipliciter vt scire oportet, pater clarificauit Christum post hanc orationem.

Quomodo pater clarificauit filium suum.

Primo, Per signa facta in passione. Siquidem ad Christi responsionē, omnes aduersarij eius qui venerant capere eum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

Proinde, Per Solis tam longam, & supernaturalem obscurationem.

Per Terremotum, & veli Templi scissionem, ac suscitationem multorum sanctorum in die paschæ.

Rursus, Per glorificationem corporis Christi, quam habuit ob ipsius resurrectionem, ascensionem, impassibilitatem, claritatem, subtilitatem, & agilitatem. Clarificauit insuper eum in cordibus hominum, quos ad ipsius fidem conuertit, vt illius maiestatem agnoscerent, & venerarentur.

Postremo, Clarificauit Pater Filium suum, eo quod constituit eum summum regem, sacerdotem, & iudicem. necnon, & hæredem vniuersorum, per quem fecit, & secula. Pro his autem igitur clarificationibus, id est, glorificationibus, orauit nunc Christus. Verum cur ista præcatus est Iesus, cum sciret certissime patrem sic decreuisse vt clarificaret filium suum? Dicendum inconuenien non esse ea postulare à Deo quæ

scimus danda esse ab eo. Nam, & Deus ita prædestinauit vt daret ea per preces seruorum suorum. Vult enim dare, sed primo nos rogare.

At quoniam glorificatio Christi ad gloriam patris finaliter ordinatur, subiungitur. Vt filius tuus clarificet te, per prædicationem Apostolorum clarum te faciet in cordibus hominum, dando eis notitiam, & venerationem nominis tui altissimi. Nisi enim pater clarificasset Christum, mundus non credidisset in eum. Iccirco nec patrem agnouisset. Ideoque Christus petit glorificari, quatenus homines credant in Euangelium eius, vt per ipsius annunciationem clarificaret, & patrem. Deinde subdit. Sicut dedisti ei ab incarnationis initio potestatem omnis carnis, id est, virtutem, & dominationem super totum genus humanum, iuxta illud Esaiæ. Videbit omnis caro, quod os Domini locutum est Item· Videbit omnis caro salutare Dei nostri. Itaque sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ita clarifica eum, vt omne genus humanum quod dedisti ei per æternam prædestinationem, per temporalem vocationem, & fidei sinceritatem dicente Apostolo. Quos enim prædestinauit, hos, & vocauit. Et rursus: Elegit nos Deus ante mundi constitutionem. Nemo quippe venit ad filium, nisi pater traxerit eum. Illos ergo pater dat filio, quos ab æterno per suam misericordiam, quæ opera bona etiam futura concernit, decreuit saluari per eum, & conuertit ad fidem catholicam, viuam, & perseuerantem. Dat eis vitam æternam, id est, pro eorum salute moriatur, eisque æternam beatitudinem mereatur vt homo, & largiatur vt Deus.

Quomodo filius clarificauit patrem.

Esa. 40.

Rom. 8.

Ephe. 1.

Hæc est autem vita æterna, id est, vera beatitudo, cœlestisque fœlicitas in hoc consistere, videtur, vt cognoscant clare, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem te Patrem solum Deum, verum qui es Deus verus, citra quem non est alius Deus, & quem misisti Iesum Christum. Siquidem in clara visione Patris, & Filij, a qua non excluditur Spiritus sanctus

1. Cor. 3.

beatitudo omnis rationalis creaturæ essentialiter sita est. Ex quibus liquide constat æternam nostram felicitatem in contemplatione summæ, ac primæ veritatis essentialiter esse, quæ etiam fruitionem habet adiunctam. Non enim sine dilectione, atque fruitione est aliqua perfecta cognitio. Ideo Psalmista. Ostende faciem tuam, & salui erimus.

Ego te clarificaui super terram opus consumaui quod dedisti mihi vt faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis. Et ipsi acceperunt, & cognouerunt vere quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.

Quid est Filium, Patrem clarificare super terram, nisi omnia opera sua, omnem doctrinam, omnes virtutes, omnia signa stupenda, quæ operabatur ad Patris gloriam referre, omnia Patri tribuere? Ego igitur, inquit Christus, taliter te clarificaui, opus consumaui, quod dedisti mihi vt faciam, id est, quidquid ad humani generis redemptionem præcepisti me facere, nunc ad effectum perduxi. Et quid amplius restat, nisi vt crucis mortem sustineam, quæ tam vicina est, vt velut facta reputetur. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, hoc est, in conspectu tuo glorifica me. Ad dexteram tuam me exalta, necnon & super omnem Principatum, Potestatem, Virtutem, & Dominationem. Hanc si quidem claritatem quam habui priusquam mundus fieret apud te, secundùm naturam diuinam, communica corpori meo per redundantiam quandam. Vel clarifica me in cordibus hominum apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus fieret, gloriam, & beatitudinem meam hominibus reuelando, vt me esse filium tuum naturalem, verum Deum, & hominem agnoscant. Nempe Saluator noster sic alloquendo

Quomodo Filius petit glorificari à Patre.

Patrem,

Patrem, ego te clarificaui, opus conſumaui, oſtendit orationem ſuam exauditione condignam. Deus enim glorificantes ſe glorificat, obedientes remunerat, deprecationem eorum exaudit. Deinde ſubdit: Manifeſtaui nomen tuum, id eſt, teipſum hominibus quos dediſti mihi de mundo, puta Diſcipulis meis, quos de mũdo eduxiſti, id eſt, de vita, & de communione hominum impiorum, & conuertiſti eos ad me quos vtique per fidem decreuiſti ſaluare, iuxta illud Apoſtoli. Eripuit nos de præſenti ſeculo nequam, & tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ. Tui erant per creationem, gubernationem, & æternam prædeſtinationem, & mihi eos dediſti per piam eorum conuerſionem, vt ſint membra mea, fructum que paſſionis meæ finaliter ſortiantur. Rurſus: Sermonem tuum ſeruauerunt, id eſt, doctrinã tuam memoriter tenuerunt, & impleuerunt, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem. Et nunc cognouerunt per fidem, quamuis nondum perfectam. Sed, vt aſſerit Auguſtinus, Chriſtus ponit præteritum pro futuro, innuens tales fuiſſe, & eſſe Apoſtolos quales futuri erant, recepto Spiritu ſancto. Quia omnia quæ dediſti mihi abs te ſunt mihi à te collata. Nam verba quæ dediſti mihi, hoc eſt quæ animæ meæ infudiſti, ac reuelaſti à ſuæ creationis initio, vel quæ mihi verbo tuo dediſti per generationem æternam, dedi eis, prædicando eis documenta cœleſtia, & ipſi acceperunt ea. Siquidem verba hæc, euangelia ſunt, miraculis, virtutibus, & ſignis confirmata, quæ & ipſi fide acceperunt. Nam & omnes accipiunt qui credunt. Et cognouerunt vere quia a te exiui per generationem æternam. Crediderunt inquam fide formata, & viua, quia tu me miſiſti de cœlo ad homines per incarnationis miſterium.

Gal.4.

Auguſt.

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte conſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.

Ego inquit Christus pro eis tanquam carissimis rogo tuam paternam bonitatem oratione ex deliberata ratione procedente quam semper exaudis. Non pro mundo, id est reprobis amatoribus huius seculi rogo, de quo mundo Iacobus ait. Quicunque voluerit amicus huius mundi fieri, inimicus Dei constituetur.

Iacob 4.

Sed hic non immerito oritur quæstio. Si enim Christus non orauit pro mundo, quomodo dixit in cruce pro crucifixoribus suis, pater ignosce illis, &c. Pro cuius maiori notitia non est ignorandum Christum pro quattuor generibus personarum orasse.

Christus pro quatuor generibus personarū orauit.

Primo, pro omnibus hominibus in genere, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in deserto, necnon, & in alijs suis singularibus orationibus, iuxta illud Ioannis in prima sua canonica. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nobis tantum, sed pro totius mundi.

1. Ioan. 8.

Matth. 26.

Proinde, pro se orauit in monte, cum dixit, Pater si possibile est transeat à me calix iste, vt alias dicetur.

Rursus, pro inimicis orauit quemadmodum apud Esaiam legitur Prophetarum. Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit.

Isa. 53.

Quarto, pro suis electis præcipuæ patrem præcatus est. Siquidem pro omnibus tam amicis quàm inimicis fudit orationem. Efficaciter autem hic tantum pro suis electis orauit, ideo dixit. Ego pro eis rogo, non pro mundo, sed pro his quos dedisti mihi per æternam prædestinationem. Et non tantum pro eis, &c, & pro his qui credituri sunt, quia tui sunt electi, dilecti, & prædestinati, de quibus Apostolus. Nouit Dominus qui sunt eius. Et omnia mea tua sunt, & tua mea sunt. Quod dupliciter potest intelligi.

2. Tim. 8.

Primo, de increatis, & infinitis diuitijs patris, & filij. Pater enim se totum communicat filio dans ei per generationem æternam plenitudinem diuinitatis. Est itaque sensus. Omnia mea, id est quidquid absolutæ perfectionis, quidquid beatitudinis essentiæ, & maiestatis in me est, vel competit mihi, in te est, & conuenit tibi,

tibi, quoniam vnum sumus. Et viciſſim omnia tua mea ſunt.

Quomodo omnia quæ patris ſunt filij ſunt.

Secundo, exponitur de bonis creatis, quæ quidem omnia ſunt patris, & filij. Et iam non ſum in mundo, quia tranſeo de hoc mundo ad te ò pater, ſed hi diſciſcipuli mei iam in mundo ſunt diutius permanſuri, variaſque tribulationes paſſuri. Et ego ad te venio per paſſionem, & Aſcenſionem ſecundum naturam aſſumptam, ideo tua indigent protectione. Propter quod oro pater qui es eſſentialiter ſanctus, ſerua eos in nomine tuo, id eſt in teipſo eos gratioſæ cuſtodi, vt ſint vnum, ſicut, & nos vnum ſumus.

His verbis vult Chriſtus palam inſinuare collectionem omnium ſanctorum in cœlis, ac omnium electorum in terris eſſe vnum corpus miſticum cuius caput eſt Chriſtus ipſæ, necnon, & omnes ſanctos, pariter, & electos eſſe iſtius corporis membra adeo vnita, ſicut ſunt vnite diuinæ perſonæ. pro qua vnione orauit filius patrem, & exauditus eſt. Et hanc ſummam, & admirabilem vnionem Apoſtolus Paulus pluribus in locis eximie prædicat. Ad Corinthios enim ita habet. Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa, ita, & Chriſtus. Et ad Epheſios. Membra ſumus corporis eius, de carne eius, & oſſibus eius. Et non eſt putandum omnia iſta eſſe dicta de his tantum Sanctis qui ad huc in hoc mortali corpore agunt, quin etiam multoque potius de illis qui à morte temporali tranſierunt in vitam, ſuntque cum eo præſentes, quia non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum, vt ipſæ Chriſtus in Euangelio teſtatur. Si ergo oramus pro fratribus noſtris propter huiuſmodi vnionem, quia ſumus inuicem membra in Chriſto. Ipſæ quoque pro nobis orat cum ſit iſtius corporis miſticum caput. Cur igitur aſſerunt recentiores hæretici ſanctos in cœlis non pro nobis orare, cum, & ipſi ſint nobis vniti, & nos illis, ſicut Chriſto, & Chriſtus nobis. Quemadmodum, & perſonæ diuinæ vnite ſunt ad inuicem, ſi oratio Chriſti fuit exaudita.

Vnio capitis, & membrorũ eius deſcribitur

1. Cor. 12
Eph. 5

Matth. 22.

Cur ſancti orant pro nobis.

Domi

DOMINICA OLIVARVM, super Euangelijs, Matthæi, Marci, & Lucæ.

Matth. 21. Mar. 11. Luc. 9. *CVm appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc misit duos Discipulos suos, dicens eis, Ite in Castellum quod contra vos est, & statim inuenietis Asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite, & adducite mihi. Et siquis vobis aliquid dixerit, Dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem. Dicite filiæ Syon. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super Asinam, & Pullum, filium subiugalis.*

Instante tempore quo Christus voluit per proprij sanguinis effusionem, mundo conferre remedium, ingressus est Hierusalem, vt appropinquante hora mortis, appropinquaretur & ipsæ loco Passionis, & vt etiã per hoc claresceret quia non inuitus, sed sponte pateretur, iuxta illud Isaiæ vaticinium. Oblatus est, quia ipse voluit. Venit autem Hierosolymam (vt Ioannes Euangelista testatur) ante quinque dies Paschæ imolandus in ipso Paschatis festo, vt palàm insinuaret se verum esse Agnum pro salute mundi offerendum, & compleret in se figuram Agni Paschalis, de quo præceptum erat in Lege. Præceperat enim Moyses Iudæis, vt decima die mensis primi tollerent Agnum, & decimaquarta ad vesperam occiderent eum, atque manducarent in memoriam liberationis suæ ex Aegyptijs tenebris. Eodem quippe modo Agnus noster Christus decima mensis primi hodie, scilicet, ingressus est Hierosolymã, vbi deinceps transactis his quæ ad Agnum legalem erant pertinentia, nouoque iam alterius Agni esu instituto semetipsum obtulit Deo patri in ara crucis, in redemptionem generis humani ex captiuitate diaboli & vinculis peccatorum. Ecce quomodo frequentabantur mysteria, implebantur Scripturæ, & oracula Prophetarum.

(Margin notes: Isa. 53. — Ioan. 13. — Exod. 12.)

tarum.

tarum. Ecce qualiter de eodem quoque agno in spiritu vaticinatus est Isaias, dicens. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coràm tondente obmutescet, & non aperiet os suum. De quo etiam Ioannes Baptista clamat. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et in Apocalypsi: Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem: sapientiam, & fortitudinem: honorem, & gloriam, & benedictionem. Vnde Isaias: Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.

Isa. 53. *Ioan. 1.* *Apoc. 5.* *Isa. 16*

Recessit igitur Christus (vt tandem historiam Euangelij aggrediamur) postquam cœnauit in domo Simonis leprosi de Bethania, quando Lazarus fuit vnus discumbentium, & Maria Magdalena accepit libram vnguenti effundens super caput ipsius. Et cum appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage ad villam quandam Sacerdotum ad montem Oliueti, in quo oliuarum copia reperiebatur, in cuius latere sita fuit hæc villa vno (vt fertur) milliario à Hierusalem distans. Tunc Iesus misit duos Discipulos suos quorum nomina tacuit Euangelista ideo. qui fuerint scire minime possumus. Misit autem duos quia sacramentum geminæ dilectionis prædicaturi erant. Quia duobus populis Iudæis, & gentibus euangelizare tenebantur, necnon & duo testamenta concordare. Quia duplicem Christi aduentum concionaturi erant. Rursus, propter duplicem vitam, videlicet, Actiuam. & Contemplatiuam, propter scientiam, & operationem, propter socialis vitæ commendationem, ad ostendendum, quòd propter duplicem humilitatem, corporis, & cordis ad ipsum peruenitur. Etiam propter firmitatem verbi, quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum.

Historia euangelij *Cur misit duos Discipulos.*

Misit ergo Iesus duos Discipulos suos, dicens eis. Ite in Castellum, quod contra vos est. Per quod sanè intelligitur vrbis ipsa Hierusalem propter fortitudinem murorum, quibus circundata fuit instar castri, quę ex opposito illius loci situabatur. Et statim inuenietis

asinam

Asinam alligatam Præsepio, & pullum eius cum ea. Hæc Asina deputata erat ad pauperum vsum, ad quem etiam pullus eius nutriebatur. Soluite Asinam & adducite mihi eam cum pullo suo. In Euangelio autem Lucæ legitur Christum dixisse. Inuenietis pullum Asinæ alligatum, cui Marcus concordat. Asina ergo & pullus ligati erant, & vtrunque iussit Christus solui, & sibi adduci. Inuenerunt autem Discipuli animalia ista foris in biuio iuxta Hierusalem, vt Marcus testatur. Et si quis vobis aliquid dixerit, interrogando cur animalia ista soluatis, dicite eis quia Dominus his opus habet. Scribit enim Marcus astantibus interrogantibus, Quid facitis soluentes pullum? taliter respondisse Apostolos. Id autem factum est ad verificandum vaticinium Zachariæ dicentis. Dicite filiæ Syon. Nempe in Prophetis sæpissimæ nomine filiæ congregatio populi designatur. Syon vero mons fuit in quo erat Templum Dei ædificatum, necnon & pallacium Regis. Propter quod nomine Syon ciuitas tota significatur. Dicite ergo filiæ Syon, annunciate, & prædicate. Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, mitis, & humilis, non cum terribili apparatu, aut animo bellicoso, vt moris est mundanorum Regum, sedens successiue primo super Asinam, deinde super pullum eius. Ecce primus Christi aduentus in humilitate, & paupertate. Nam huiusmodi Zachariæ prophetia ita in nostra translatione scribitur. Exulta satis filia Syon, & iubila filia Hierusalem. Inuitat enim Propheta filias Syon & Hierusalem ad gaudium, cuius gaudij subditur causa. Ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator. Ipse pauper sedens super Asinam, & super pullum filium Asinæ.

Zach 9. Ipsius prophetia exponitur.

Euntes autem Discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus, Et adduxerunt Asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cedebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant, dicentes.

dicentes. Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.

Discipuli ex Domini mandato soluerunt Asinam, & pullum. Et non sine magno misterio. Siquidem per duorum iumentorum solutionem, duorum populorum solutio intelligi potest. Per Asinam quidem quæ sub iugo erat, Iudaicus populus designatur, qui sub iugo legis reperiebatur. Per pullum vero qui sub iugo non erat, populus gentiũ figuratur, qui nulla lege Dei tenebatur, sed idolatria. Sed vterque soluitur. Illæ à iugo legis per gratiam, ista à vinculis idolorum per veram Dei cognitionem. Sed & istæ, filius est Asinæ solutæ per doctrinam. Et spiritualis quidem filius Herusalem terrestris & Herusalem repræsentat cœlestem, ad quam Christus Rex noster per fidei obedientiam vtrique populo insidens producit vtrunque. *Quid per Asinam, & pullum eius designatur*

Adductis ergo ad Dominum Asina & pullo statim Discipuli vestes suas super imposuerunt, & eum desuper sedere fecerunt. Et quæ sunt hæc vestimenta, nisi virtutes, doctrinæ & apostolicæ gratiæ quibus vterque populus decoratur. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cedebant ramos de arboribus &c. Quæ omnia misterio minime carent. Quæ sunt enim terrena hæc omnia inquit Gregorius, nisi quędam corporis indumenta. Vestimenta igitur in via sternere est in via vitæ præsentis bona pauperibus erogare. Ramos de arboribus cedere, est sanctorum exẽpla accipere. Osanna clamare, est salutem supernam à Domino postulare. Osanna idem est, obsecro salua, vt statim dicetur. *Quæ sunt Apostolorũ vestimenta. Gregor.*

Quod autem alij pręcesserũt, alij etiam secuti sunt, ad eos pertinet qui partim ante Christum in mundo vixerunt patres. Partim post eum venerunt, quoniam quot quot vel saluati vel saluandi adhuc sunt, salutem oportet consecuti sint, siue consequantur, in vnius illius mediatoris fide Christi Iesu, iuxta illud Apostoli. Vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus. Neque est aliud nomen datum sub cœlo in quo nos *1. Tim. 2. Act. 4*

oporteat

oporteat saluari, vt Petrus testatur. Clamabant autem Turbæ quæ præcedebant, & quæ sequebantur, Osanna filio Dauid. Iubilatio hæc facta est vtique diuinitus, Spiritu sancto ita disponente, & linguas eorum moue te in laudem Dei, quemadmodum olim linguam Saul commouerat ad prophetandum, & Asinam Balaam ad loquendum. Quid igitur clamabat: Osanna profectò. Vox hæc penes non remansit in Ecclesia, tam Græca, quàm Latina ex Hebraico fonte deriuata. Valida plurimum ad concitandum animum. Tantundem autem sonat, ac si dicamus. Eya, age, salua nos. Vel obsecro, salua nos. Osanna itaque clamabant Iudæi, Christum per hanc dictionem confitentes Messiam, qui saluum faceret Israëlem, sicut Angelus dixerat ad Ioseph. Quoniam ipse saluum faciet populum suum, &c. Vocant insuper & filium Dauid, vt ipsius humanitatem faterentur, secundùm quem natus est ex stirpe Dauid, dicente Psalmista. Iurauit Dominus Dauid, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

1. Reg. 10. Num. 12.

Osanna, quid significat.

Addunt quoque, Benedictus qui venit in nomine Domini, vt diuinam etiam Christi naturam confiteantur. Rursus subdunt, Osanna in excelsis, vt perspicue ostendant aduentum Christi, non solum hominibus in terra, quinimò & cœlestibus, gaudium, & lætitiam fuisse. Lucas vero hæc plenius recitat, dicens: Cum appropinquaret ad descensum montis Olíueti, cœperunt omnes turbæ gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes. Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis. Septem vicibus (vt etiam scire contingit) Christus ingressus est præcipue Hierusalem, videlicet, ad præsentandum se, ad disputandum, ad prædicandum, ad vitia extirpanda, ad miracula operanda, ad sanctificandum festa. Et nunquam fuit vt ipse merebatur honoratus, nisi hac septima vice, quando ingressus est Hierosolymam, ad offerendum se in sacrificium laudis, pro omnium salute.

Luc. 19.

Septem vicibus, Christus ingressus est Hierusalem.

Demum

Demum vt scribit Lucas in hoc tam glorioso introitu cum videret Dominus ciuitatem fleuit super illam ex quadam compassione,& prædixit mala, quæ eis superuentura erant paulopost in destructione facta per Romanorum Imperatores. Ad denotandum quòd in tempore felicitatis,iocunditatis,& lætitiæ commiserationem super alterius malo habere tenemur, iuxta illud Sapientis. In die bonorum ne immemor sis malorum,& versa vice. Fleuit etiam Christus Iudæorum ignorantiam,& cæcitatem. Nam hodie, Christum vt Regem susceperunt in Hierusalem, sed proxima feria sexta,eundem vt Latronem crucifixerunt. Hodie Christum Regem cecinerunt, & post paucos dies negauerunt eum, dicentes. Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Hodie vocauerunt Christum Saluatorem,postea seductorem. Hodie eum laudibus plurimum commendauerunt,deinde grauiter blasphemauerunt. Hodie benedictum dixerunt,postea maledictum. Hodie eorum vestimenta strauerunt in via,at feria sexta vestimentis proprijs eum spoliauerunt. Hodie ramos in via ponebant,postea spinas in capite posuerunt. Ecce quomodo totus honor hodiernus versus est in contumelias in die parascæue.

Cur Christus fleuit super ciuitatem.

Eccles. 11

At quoniam Christus condecenti quadam processione ingressus est ciuitatem Hierusalem,ita,& nos spiritualiter cum Apostolis ingrediamur Ecclesiam ad Christum renouati per gratiam illius. Quemadmodum etiam sacerdotes, & populus Israël septies circuierunt vrbem Hierico cum archa, & tubis. Sic quoque Dauid cum septem choris,cum citharis,& tubis solemni processione archam Dei deduxit ex ædibus Hebededon in ciuitatem Dauid. Ordine etiam quodam procedentes mulieres cum paucis viris sepelierunt Christum. Hinc fluxit consuetudo Ecclesiæ in processione hodierna cum palmis, in qua gratias agere debemus Deo, & domino nostro Iesu Christo mentis nostræ affectum erigere in Deum, & clamare cum filijs Hebræorum. Osanna filio Dauid. Quemadmodum

Iof. 6.

2. Reg. 6.

Simeon

Simeon Machabæus ingressus est Hierosolymam cum hymnis ramis palmarum & cytharis. Ecce quomodo gestatio palmarum visitata fuit Iudæis in argumentum, & signum lætitiæ. Romani quoque & Græci palmis

Plin.

vtebantur in signum triumphi & gloriæ, teste Plinio.

1. Cor. 10.

Decet enim nos ex Pauli præcepto omnia facere ad gloriam Dei. Siquidem palmæ agnoscuntur veluti vexilla fuisse victoriæ Christi, & signa triumphi. Ideoq. in vniuersis Christianorum Ecclesijs hodie palmæ circunferuntur ad designandum victoriam Christi triumphalem.

Apoc. 7.

Sic Ioannes vidit in Spiritu sanctos stantes ante faciem Agni vestitos stolis albis & ramos palmarum in manibus eorum. Hodie igitur nos omnes palmas oliuarum manu ferre debemus. Et si quispiam gestare erubescit, non erit particeps victoriæ Christi.

Legimus præterea apud Neæmiam ciuitatem Hierusalem terrestrem ad ingrediendum & egrediendum sex habuisse ostia, quibus alia sex ciuitatis Hierusalem cœlestis figurabantur. Videlicet ostium fontis ad designandum alterius ciuitatis baptismatis ostiũ.

Sex portæ ciuitatis Hierusalẽ.

Proinde ostium vetus, vt designaretur aliud antiquissimum contrictionis ostium. Rursus ostium Sterquilinij in quo porta pœnitentiæ denotabatur. Item ostium piscium, id est, religionis. Aliud vero dicebatur ostium vallis, id est, purgatorij. Aliud quoque ouium ex quo ferrebantur oues ad immolandum. Vt denotaretur illud per quod martyres ingrediuntur. His enim omnibus ingredimur ciuitatẽ sanctam Hierusalem ad Deũ perpetuo laudandum.

De eodem Christi triumpho, & victoria super Psalmus 8.

D*Omine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.*

Asserunt iuniores Hebræi Thalmudistæ Dauidem

hunc

hunc Psalmum composuisse in honorem regis Messiæ quem temporaliter regnaturum ingenue fatentur, & pro ipsius victoria quam ex Imperio Romano reportaturus erat, subijciendo oẽs nationes Imperio suo, & præcipuæ Romanorum Imperium, non sine modica singularis citatione. Iussit insuper Psalmum in templo legi, & alta voce cantari septimo mense, scilicet, torcularium, quia quemadmodum tunc temporis calcans vindemias in torculari tingit pedes, & manus pariter, & vestes ex guttis rubeis vindemiæ calcatæ, ita pariter Messias intinget pedes, & manus simul, & vestes ex sanguine Romanorum, omnium Christianorum, quousque victoriam obtineat, totumque orbem subijciat Imperio suo. Quamobrem Esaias videns in Spiritu Messiam venientem ex Imperio Romano in Hierusalem victoriosissimum tinctis vestibus, & omnium Christianorum aspersum sanguine, dicit. Quis est iste qui venit de Edom, id est de Romano Imperio cum triumpho, & victoria magna, tinctis vestibus de Bosra, id est de rubeo Christianorum sanguine. Et tunc ipse Messias respondet dicens. Torcular calcaui solus, id est Romanorum Imperium sicut calcans vindemiam in torculari. Dicunt enim recentiores Hebræi omnes latinos esse ex stirpe Esau descendentes, quare ipsos Edon appellant, quod rubeus interpretatur. Sed mendacia, & figmenta sunt hæc omnia, quia Messias iam venit, & Christus qui est verus Deus, & homo.

Falsa interpretatio Iudæorum.

Aliter igitur asserunt ecclesiastici Doctores totum tempus gratiæ huius septimæ ætatis in qua sumus figuratum fuisse per septimum mensem qui dicebatur mensis, tempus torcularium, eo quod tunc colligebantur, & torquebantur vindemiæ in torcularibus, in quo etiam Deus tria festa celebrari præcepit, scilicet festum turbarum in memoriam sacrificij Abrahæ, & festum propitiationis decima die. Festum quoque tabernaculorum quintadecima die in memoriam peregrinationis per desertum quando filij Israël in tabernaculis morabantur. Voluit autem

Tria festa in septimo mense. Dominus hęc tria festa in septimo mense tempore torcularium celebrari, propter mysteria quę in hac septima ætate implenda erant. Siquidem in illa Christus immolatus est figuratus per sacrificium Abrahæ, in quo facta fuit generalis propitiatio, redemptioq. , finita quoque fuit tota hominis peregrinatio .

Hac igitur de causa David edidit hunc Psalmum in honorem Christi, & pro triumpho eius, quę victoria quam aduersus diabolum & mundum ... catus est. Iussit insuper decantari mense septimo, scilicet, torcularium in quo vindemiæ calcantur. Nam Christus filius Dei verbum incarnatum venit in mundum, & ipse solus calcauit vindemiam in torculari crucis, & aperuit vestem humanitatis in sanguine suo . Ideo ipse est de quo Isaia ait . Quis est iste qui venit de Edon tinctis vestibus de Bosra? &c. Siquidem primo diuinarum scripturarum vindemiam calcauit, ex qua vinum Euangelicum expressit . Ipsumque in cellario reposuit Ecclesiæ suæ in vitam, & fidelium, salutem . Proinde carnem suam calcauit in cruce per mortem, & passionem suam . Ex qua vinum Ecclesiasticorum sacramentorum singulariter expressit in premio redemptionis humanæ . Rursus, calcauit infernum, ex quo patres, eduxit. Calcauit insuper & totum vniuersum quod subiecit fidei suæ, & omnes reges terræ, & præcipuæ Romanorũ imperium.

Quot vindemias calcauit Christus .

Videns ergo David in spiritu qualiter Christus Rex & verus Messias in lege promissus cum magno triumpho & apparatu in Hierusalem ingrediebatur ad offerendum se in sacrificium Deo, homines quoque vestimenta sua proijcientes in via, alios cedentes ramos oliuarum, necnon & pueros clamãte, Osanna filio David, exclamauit & dixit. O domine Iesu Christe qui es Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Nempe admirabile est, dicente Aplo. In nomine Iesu omne genuflectatur, &c. cur nomen Domini non est admirabile, si ille idem ait . In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpé

Philip. 2

tes

tes tollent? &c. Quippe admirabile est, quia vt in Ioël, Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini corde, ore, & opere, Fide, Spe, & Charitate, saluus erit. Cur ergo Christi nomen non est admirabile cum dicat ipse: Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis? Et quidem vera admirabile est, ipso dicente. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio illorum, &c. *Marc. vlt.* *Ioël 2.* *Ioan. 6.* *Matth. 18.*

Præterea, nomen proprium Domini magis frequentatum in scripturis quod Hebræi pronunciant Adonai dicitur admirabile, & ineffabile propter ipsius occulta mysteria. Ideo quattuor Hebraicis scribitur literis, scilicet. Iod. he, vau, he. Nam secunda bis ponitur. Tres igitur huius nominis literæ tres diuinas designant hipostases.

Prima quidem, scilicet, Iod, quæ principium interpretatur rectissimæ Patrem in diuinis insinuat, qui cum à nullo sit, aliæque personæ ab eo emanent, principium sine principio dicitur.

Quomodo nomen Domini est admirabile.

Secunda vero, scilicet, He, quæ esse, vel viuere significat, Filiū in diuinis aptissime innuit, per quem omnia facta sunt, & quicquid factum est, in ipso vita erat, & ab ipso esse cœpit.

Tertia autem, scilicet, Vau, quæ copulatiuam dictionem denotat, Spiritum sanctum optime exprimit. Qui cum sit amor patris, & filij quo se vicissim amant, recte copula, id est, nexus vtriusque nuncupatur. Harum autem literarum sola secunda geminatur, ad insinuandum duplicem filij Dei naturam, scilicet, diuinam, & humanam. Rursus, id nomen quattuor ineffabilia mysteria significat, scilicet, summā omnipotentiam, infinitam sapientiam, excessiuam misericordiam, & sine fine iustitiam. Habuit autem Christus id nomen, ipsiusque proprietates nobis innotuit, quas nullus alius vnquam poterat nobis insinuare. Ideo Isaias clamans aiebat. Vtinam disrumperes cęlos, & descenderes, vt notum fieret nomen tuum. Est insuper nomen Iesus admirabile quoniam in se *Isa. 62.*

 complecti

complectitur nomen proprium Dei per tres tantum ipsius desinentias, scilicet, Iesus, Iesu, Iesum, quarum vltimæ literæ efficiunt id verbum sum, quod est nomen Dei altissimi. Quinque literas etiam id nomen Iesus amplectitur, quarum tres, quæ vocales sunt, Trinitatē personarum insinuant. Duæ vero consonantes, quæ cum alijs sonant partes, sunt duæ humanitatis Christi, Anima, scilicet, & Corpus diuinitati coniunctæ. Ecce quō nomen Domini est admirabile in vniuersa terra.

Iesus continet nomen Dei.

Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.

Quid est magnificentia eleuare, nisi Christum magnificare? Ipse enim primo magnificatus est in omnibus elementis. Imperabat enim ventis mari, ita vt dicerent astantes, quis est iste quia etiam venti & mare obediunt ei? Quinimò & siccis pedibus super mare ambulauit a cuius impetuosissimis vndis liberauit Petrū, & filios Zebedæi. Terra etiam tremuit in morte eius. In resurrectione quoque factus est terremotus magnus & sepulchra aperta sunt, multaque corpora mortuorum surrexerunt. Proinde magnificatus est in Templo, in ipsius præsentatione cum Simeon exclamans dixit. Nunc dimittis seruum tuum, &c. Ibidem orabat, legebat, arguebat, Prophetas interpretabatur, legem explicabat, miracula operabatur. A quo etiam eiecit omnes ementes & vendentes. Rursus magnificatus est in hominibus, à quibus dæmonia expellebantur, clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei, & ipsi liberabantur ab infirmitatibus suis, sicut scriptum est de illo. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur, &c. Magnificatus est præterea Christus in Inferno, à quo reuocauit Lazarum quatriduanum, filiam quoque Archisinagogi, & filium viduæ. Quinimò ad ipsum descendit, expoliauit, Sathanam alligauit, & portas eius confregit. Magnificatus est insuper in corporibus cœlestibus, quando in ipsius natiuitate facta est cum Angelo multitudo cœlestis exercitus, clamantium, & dicentium, Gloria in altissimis Deo: Et dixit Angelus pastoribus,

Quomodo Christus magnificatus est.

Annuntio

Annuntio vobis gaudium magnum. Noua stella etiam apparuit in cœlo, quæ magos ad ipsum ad odorandum adduxit. Necnon & in ipsius passione Sol obscuratus est, pariter & Luna. Cœlos quoque propria virtute penetrauit. Magnificatus est tandem in Angelis suis qui ipsius conceptionem annunciarunt, seruierunt & adorarunt. Et ita cœli, & Angelorum agmina obedierunt ei. Super quibus etiam est exaltatus. Ecce quomodo super cœlos eleuata est magnificentia Christi.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.

Audientes Scribæ & Pharisæi vt in hodierno Euangelio Matthæus testatur Euangelista pueros clamātes. Osanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt Christo. Audis quid isti pueri dicunt? Quasi velint dicere. Increpat eos, ne talia dicant. Iesus autem dixit eis. Vti que audio & prohibere non debeo. Nunquid legistis, Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Per infantes atque lactentes designantur illiterati ac innocentis. Non enim putandum est hoc pueros adeo paruæ ætatis extitisse vt adhuc vbera suggererent & verba proferre non possent. Erant tamen adolescentes, ita vt quilibet cum Hieremia dicere posset. A. a. a. domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum. Nescio inquit, loqui prudenter & erudite in lege. Ex ore ergo illorum perfecit Deus laudem de Christo. Appellat etiam Apostolus infantes inquantum fuerunt primitiæ, & infantia, exordiumque Ecclesiæ nostræ. Etiam quia de se non poterant hæc magnalia loqui. Ideo docuit eos Spiritus sanctus in die Penthecostes, & dedit eis dona gratiarum. Insuper dicebantur infantes, quia suggebant duo vbera plena, nouum & vetus testamentum. Vnde Dominus in Euangelio. Confitebor tibi Domine pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus Apostolis & prædicatoribus. Rursus, vocat eos lactentes, nam Christus lactauit eos lacte sapientiæ suæ cum ante essent idiotæ & ignari, de quo Petrus

Hier. 1.

Qui sunt isti pueri laudantes Deum.

Matth. 11.

1. Pet. 8. ita loquitur. Quasi modo geniti infantes, lac concupiscite. Docuit etiam eos loqui magnalia Dei per Spiritum sanctum quem acceperunt, & omnem veritatem intellexerunt. Non vos estis (inquit ille) qui loquimini, sed spiritus patris qui loquitur in vobis. Pueri quoque merito dicebantur propter innocentiam, simplicitatem, & puritatem. Ex quo manifeste constat admirabile miraculum fuisse in vniuersa terra, vt Apostoli, infantes, & lactentes ita magnificarent, & dilatarent nomen Christi per totum orbem, subijcerentque principes, & reges, Imperatores, & sapientes fidei Christi. Ex ore ideo infantium, & lactentium inquit Dauid perfecisti laudem propter inimicos tuos. Siquidem laus Apostolorum, & puerorum fuit ad maiorem confusionem, damnationem, & inexcusationem Scribarum, & Pharisæorum. Nam Apostoli ignari legis, & Prophetarum alij quoque pueri confitebantur Christum esse verum Messiam in lege promissum, dicentes. Osanna, id est saluos nos fac, benedictus qui venit, &c. Vt destruas inimicum, & vltorem. Inimicum quippe, id est populum Hebræorum obstinatum in peccato. Et vltorem, id est Diabolum executorem diuinæ sententiæ Nempe destruxit diabolum vltorem, cum totum Idolatriam ademit per Apostolorum prædicationem, & baptismum.

Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas quæ tu fundasti.

Apostoli, cœli merito dicuntur propter eorum altitudinem, magnitudinem, pulchritudinem, rotunditatem, & simplicitatem. Et huiusmodi cœli enarrant gloriam Dei. Sol horum cœlorum Christus est. Luna quoque quæ illuminat à Christo est tota fidelium congregatio. Stelle autem Doctores Ecclesiastici, & sapientissimi viri sunt. Dicit ergo Dauid. O Domine Iesu Christe, quemadmodum nunc video hos cælos materiales, Lunam, & Stellas, &c. opera huius materialis mundi in principio quæ tu fundasti. Ita pariter in Aduentu tuo videbo cœlos spirituales, scilicet, Apostolos Lunam quoque, id est totum populum electum, nec

non,

non,& Stellas, Doctores, scilicet homines sanctos,& perfectos. Quæ omnia sunt opera digitorum tuorum quæ tu fundasti in Ecclesia sancta tua.

Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum.

Miratur Dauid cur filius Dei factus sit homo, & secundum naturam assumptam factus sit minor Angelis. Miratur proinde cur hominem assumpsit,& non Angelum, nobilioris naturæ. Miratur insuper cur fuit memor hominis,& oblitus est Angeli,& cur hominem redemit,& non Angelum, cum vterque peccator esset. Miratur præterea quare Deus voluit sic visitare, id est affligere Christum tot, & talibus tormentis, talique genere passionis, & mortis, cum sanctus, innocens, quinimò, & impeccabilis esset. Miratur denique quomodo tandem gloria, & honore coronauit eum, & constituit eum super opera manuum suarum. Non mirabatur quippe ex defectu fidei quando hæc omnia in spiritu præuidebat, & intuebatur. Sed admirabatur ineffabilem Dei misericordiam, & charitatem, quam comprehendere minime poterat. Dicit ergo. O Domine pater, quid est homo, scilicet Adam cum tota sua posteritate, & quid tibi meruit, quòd ita memor eius es, filium tuum in carne mittendo? Aut quid demeruit filius hominis, scilicet, Christus filius Marię virginis secundũ carnem, quoniam sic visitas, & affligis eum, tam acerba passione, & crudelissima morte, cum ipse sit innocens sine peccato?

Quomodo Dauid mirabatur ineffabilẽ misericordiã Dei.

Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria,& honore coronasti eum,& constituisti eum super opera manuum tuarũ.

Humana natura vt passibilis,& mortalis, dignitate minor est Angelica natura. Fuit ergo Christus (tantum secundum naturam assumptam bonis gratuitis exceptis) aliquantulum diminutus ab angelis. Gloria tamen,& honore coronauit eum Deus. Siquidem Christus merito obedientiæ suæ passionis, & mortis meruit liberare totam naturam humanam de potestate

diaboli,& seruitute peccati. Meruit quoque sibi,& membris suis resurrectionem, & immortalitatem ac felicitatem æternam. Rursus, meruit sibi secundum naturam assumptam nomen quod est super omne nomen. Regnum insuper. & vniuersale dominium, vt omnibus dominaretur, vt ipse de se testatur dicens. Ego autem constitutus sum ab eo super montem sanctum eius, præ
Matth. vlt. dicans præceptum eius. Et in Euangelio Matthæi. Data est mihi omnis potestas in cœlo,& in terra. Meruit etiam iudiciariam potestatem super homines, & Angelos in cœlo, in terra,& in inferno, dicente Ioan-
Ioan.5. ne. Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Dicit ergo Dauid. Gloria, & honore coronasti eum, quoniam de morte ad vitam gloriosam
Gloria, & honore coronatus est Christus. itidem resuscitasti. In cœlum super omnes Angelos recepisti vt ad dexteram tuam sederet. Necnon, & vniuersalem potestatem in cœlo, in terra, & in inferno sibi tradidisti,& velut omnium hominum,& Angelorum regem coronasti. Quinimò, & constituisti eum super opera manuum tuarum:

Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper, & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Gen.1. Dominium omnium animalium collatum fuit primis parentibus, quibus dominus ait. Dominamini piscibus maris, volatilibus cœli, & reptilibus vniuersæ terræ. Adam vero id per peccatum amisit, sed Christus merito obedientiæ suæ idem, & maius recuperauit. Idcirco propheta subdit. Omnia subiecisti sub pedibus eius. quinimò,& omnia subiecta sunt ei, præter eum qui subiecit sibi omnia. Et non tantum hæc quæ hic numerantur animalia, sed quæcunque per ipsa sunt figurata. Per oues enim intelliguntur electi, iux
Matth.15. ta illud Matthæi. Statuet quidem oues a dexteris, &c.
Esa.1. Et per boues viri perfecti, dicente Esaia. Cognouit bos possessorem suum, &c. Rursus, pecora campi sunt omnes qui extra ecclesiam exultant, vt qui hec cum Propheta dicat. Erraui sicut ouis quæ perierat.

Item,

Item, Volucres cœli dæmones sunt. Nam volucres cœli, inquit Lucas, comederunt illud. Per pisces maris, omnes tam boni quàm mali intelligi possunt, iuxta illud Matthæi. Simile est Regnum cœlorum sagene missę in mari. Ideo Propheta concludit. Luc. 8. Matth. 13.

Domine dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

Nempe admirabile est nomen tuum in potentia, quoniam eleuata est magnificentia tua, &c. Admirabile in sapientia, quoniam videbo cœlos tuos. Admirabile in misericordia, nam quid est homo, quòd memor es eius? Admirabile in iustitia, quia gloria, & honore coronasti eum. Ideo gloria patri, &c.

FERIA SECVNDA POST DOminicam Oliuarum, De veritate sacramenti, contra recentiores hæreticos.

SAcratissimum Christi corpus esse sub specie panis, & vini, aduersus nonnullos recentiores hæreticos, scripturarum testimonijs manifestissime demonstratur, & præcipuæ in Euangelio Ioannis per modum dialogi inter Christum, & Iudæos. Rursus, de duplici mãducatione corporali, scilicet, & spirituali, & quomodo elementa omnia triplex possident esse, materiale, spirituale, & cœleste. Vbi concluditur spirituale esse Christi in sacramento altaris, quemadmodum erit corpus nostrum post resurrectionem. Et quam triplex est genus illorũ qui sumunt Christi corpus. Proinde de quatuor causis quibus institutum est hoc sacramentum.

Primo, vt spiritus corroboretur, & fortificetur.

Secundo, quia per illud sacrificium cetera sacrificia annullare, & adimere voluit.

Tertio, propter memoriam passionis.

Quarto, ad maius meritum acquirendum.

Rursus eadem veritas eiusdem sanctissimi sacramenti, euidentissime insinuatur, per illam Apostoli Pauli, ineffabi

ineffabilem,&admirabilem reuelationem quam habuit à Spiritum sancto. Siquidem Christus quinque operatus est in vltima cœna.

Primo, comedit agnum cum discipulis suis, qui se ipsum Christum singularissime figurabat.

Secundo, lauit pedes Apostolorum, ad ostendendum remissionem omnium peccatorum, etiam venialium, ac neminem posse iustificari nisi per Christum, dicente Apostolo. Nam quod impossibile erat legi,&c. *Rom. 8.*

Tertio, proditionem ac mortem, scandalum quoque quod accidere debebat, necnon, & Petri negationem omnibus indicauit, vt se omnia scire, ac sponte pati illis insinuaret.

Quarto, cum fecit in azimis, & Apostolos communicauit, dans eis suum sacratissimum corpus, & sanguinem sub speciebus panis,& vini.

Ioan. 13. Quinto, pulcherrimum sermonem egit, de quo Ioannes diffuse locutus est. Sed inter hæc omnia tantum deus reuelauit Apostolo Paulo, consecrationem, & Discipulorum communionem, quemadmodum ille idem scribens Corinthijs ait. *1. Cor. 11* Ego enim accepi nō ab hominibus sed à Deo per spiritus sancti, reuelationē. Quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem,& gratias agens fregit,& dixit accipite,& manducate, hoc est enim corpus meum,&c. Ex quibus verbis signum euidens est quod ibi aderat Christi corpus,& sanguis, sicut nunc extat in sacramento altaris, quia aliter cetera misteria in illa vltima cœna, fuissent maioris excellentiæ,& considerationis (vt intuenti liquet) quæ tamen non fuerunt ei reuelata. Nam si panis,& vinum fuisset tantum in figura vt hæretici impie fatentur, quid opus fuisset id tantum reuelare, ceteris operibus dimisis? Igitur,&c.

Feria tertia de eodem Sacramento.

Cur non omnes sumunt Eucharistiam sub vtraque specie. Rursus, de tribus præparationibus ante communionem, quæ eliciuntur ex tribus figuris huius sacramenti, quæ omnia diffuse habentur, lib. Disput.

De

DE SACRIFICIO MISSAE super verbis Apostoli ad Corinthios.

EGo autem accepi à domino quod, & tradidi vobis quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit. Accipite, & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter, & calicem postquam cœnauit dicens. Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem. 1.Cor.11

Missa vt hebraicæ linguæ periti testantur, originem suam trahit à voce, Mas, quod communionem significat, & voluntariam oblationem quę manu offerri solet. Missam autem instituit dominus noster Iesus Christus quando panem, & vinum in corpus, & sanguinem suum transmutauit, dicens Hoc est corpus meum. Quæ quidem admirabilis transmutatio Apostolo Paulo fuit diuinitus reuelata, dicenti. Ego enim accepi à domino, &c. Deinde Petrus iam Christo in cœlo assumpto, suam primam Missam (vt fertur) Antiochiæ celebrauit, cui dominicam addidit orationem cum forma consecrationis. Ad modicum vero temporis, beatus Iacobus Hierosolymitanus frater Domini celebrans Missam plura adiunxit. Post quem Basilius Cæsariensis Episcopus, tradidit nobis ordinem celebrandi Missam, quo ad multa. Vt patet de conse. distin. prima cap. Iacobus. Rursus, Gregorius Papa huius nominis primus instituit vt in principio Missæ cantaretur, vel diceretur Antiphona, quæ vulgo Introitus appellatur. Idem etiam instituit Kyrieeleyson: Christeeleyson, nouem vicibus cantari, vel dici. Alias vero Missæ partes decursu temporis addidit Ecclesia, & præcipuæ epistolam, & Euangelium. Hymnum autem illum Angelicum, videlicet, Gloria in excelsis Deo,

Matth. 26.

Quid missa vnde originē habuit

Thele

Telesphorus Papa, & Martyre, in missa cantari præcepit, ante sacrificij oblationem.

Non est ignorandum præterea in missa quattuor præcipuæ partes reperiri.

Quattuor Missæ partes. Primo, doctrinam.

Deinde consecrationem cum gratiarum actione factam super pane, & vino tanquam sacrificio Domini.

Tertio, perceptionem sacramenti.

Ac quarto demum orationem pro omnibus fidelibus viuis: & defunctis.

Quattuor his partibus, doctrina, scilicet sacrificio, communione & præcibus, missa tota composita est. Quemadmodum Dionysius de ecclesiastica Hierarchia clare testatur. Duæ illæ lectiones quas vulgo Epistolã, & Euangelium vocant quæ à stantibus, & auscultantibus quibuslibet coram recitantur, certisque temporibus toti populo in prædicatione exponuntur, & quidquid denique in missa erudiendæ plebi commodat, velut doctrina est pars prior. Reliquas tres partes vnusquisque facile cognoscere potest, si cum attentione missam celebrauit, vel auscultauit. De quibus est nobis dicendum.

Rursus scire oportet has quattuor præcipuas Missæ partes etiam in vltima Christi cœna pulcherrime reperiri.

Primo, doctrinam quæ fuit sermo quem habuit Christus in illa cœna, ibi. Mandatum nouum do vobis, &c. De quo Ioannes. *Ioan. 13. 14. 15. 16.*

Deinde sacrificium quando consecrauit cum gratiarum actione, vt inquit Matthæus. Cœnantibus autem illis accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit. Similiter, & calicem accipiens, gratias egit, &c. *Matth. 26.*

Proinde communicauit Apostolos, vt communionem corporis, & sanguinis sui (quæ est tertia pars Missæ, esse necessariam palàm insinuaret) cum subdit. Hoc facite in meam commemorationem. Ideo Apostolus. *Paulus* Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Dñi annunciabitis donec veniat.

Postremo quartam partem Missæ amplexus est, quá do pro se, & suis Apostolis orauit, Subleuatis enim oculis in cœlum (vt inquit Ioannes) dixit. Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Et post pauca subdit. Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, &c.

Inter quattuor istas Missæ partes hoc discriminis est, quoniam duæ conferunt præsentibus præcipue, & peculiariter, doctrina videlicet, & perceptio sacramenti. Reliqua vero duo, sacrificium, & oratio longius extenduntur, & conferunt etiam absentibus. De doctrina quidem hoc notum est omnibus quod solum præsentibus auscultantibus, & comprehendentibus conducat: Cum nemo queat addiscere pro alio. Similiter, id quod ad perceptionem sacramenti attinet. Ioannes enim Chrysostomus ait, quod quemadmodum vnus pro alio baptizari non potest, ita etiam nemo pro alio sumere potest corpus, & sanguinem Christi dicente Saluatore. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Item; nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Relique vero due partes scilicet consecratio corporis, & sanguinis domini nostri Iesu Christi super pane, & vino cum gratiarum actione, necnon, & vota orationes confessiones laudis, & gratiarum actiones erga Deum, quæ duo in Missa inuicem miscentur iam absentibus, quàm præsentibus prosunt, & præcipue existentibus in gratia. Hac de causa ecclesia catholica publicum ministrum, & sacerdotem instituit, vt sacrificium, orationes, gratias, & vota Deo offerat communiter, non solum pro præsentibus, verumetiam pro absentibus, imò pro toto mundo. Quamobrem Missam non esse priuati sacerdotis, priuatumque sacrificium, sed esse sacrificium commune sacerdotis, & plebis Christianæ, etiam Missæ canon passim indicat. Siquidem sacerdos quando sanctificationem propositorum munerum parat aggredi, conuertit se ad populum dicens. Orate pro

Chrisost. super cap. 15. Epist. 1. ad Corint.

Doctrina & communio conferunt tantũ præsentibus.

me fratres, & sorores, vt meum pariter, & vestrum fiat Deo acceptabile sacrificium. Deinde orat in canone, Memento domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, &c. Et statim sequitur, qui tibi reddunt vota sua æterno Deo viuo, & vero. Et iterum subdit. Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed, & cunctæ familiæ tuæ quæ sumus Domine vt placatus accipias. Rursus post consecrationem vnde, & memores nos serui tui, sed, & plebs tua sancta. Et in fine concludit offerimus pręclare maiestati tuæ, de tuis donis ac datis, &c.

Missa est omnibus cō munis.

De quattuor sacrificijs quæ in Missa reperiuntur.

SAcrificium est quodlibet opus factum in honorem debitum soli Deo ad ipsum placandum. Vnde sacrificare est Deo oblationem offerre sub spe veniæ, gratiæ, & gloriæ impetrandæ Docuit autem ecclesia catholica hucusque, vt in omni Missa offerantur Deo spiritualiter quattuor quædam sacrificia.

Quatuor sacrificia offeruntur missa.

Gen. 24.

Primum ex mandato, & institutione filij sui Domini nostri Iesu Christi opere quidem externo, sed significatione mystica offeruntur panis, & vinum qua mixtum. Quemadmodum Melchisedech Rex Salem obtulit panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.

Secundo, offertur commune laudis, & gratiarum actionis sacrificium pro tota ecclesia catholica, imò pro toto mūdo propter vniuersa Dei beneficia, siue nota, siue incognita nobis, quæ vniuerso mundo à principio vsque nunc indesinenter exhibuit, & quotidie exhibet. De quo sacrificio ait Dauid in Psalmo. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Proinde. Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor tibi domine quoniam bonum est. Item, Sacrificium laudis sacrificabo tibi, & nomen Domini inuocabo. Rursus, Sacrificent sacrificium laudis, &

annun

annuncient opera eius in exultatione.

Tertio, facta consecratione, Christus ipse offertur, corpus eius, & sanguinis, & sacratissima ipsius Passio per commemorationem, & repræsentationem eius. De quo sacrificio, inquit Apostolus. Omnis pontifex ex hominibus assumptus est, & pro hominibus constituitur vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. *Hebr. 5.*

Quarto, demum offertur ecclesia ipsa, & tota Christi communitas quæ se Deo patri in hac sacratissima actione totam dedicat, & sacrificat per Christum Dominum nostrum, cuius ipsa corpus est. De quo sacrificio testatur Dauid in Psalmo. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Sapiens quoque. Sacrificium salutare est attendare mandatis Dei, discedere ab omni iniquitate. Hinc omnes electi Dei sacerdotes dicuntur. Petrus enim ad omnem dicit ecclesiam. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Estis ergo genus sacerdotale, & ideo accedetis ad sancta. Sed, & vnusquisque habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat. Ego si renunciem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei. Si ponam animam meam pro fratribus meis, si pro iustitia, si pro veritate, vsque ad mortem certauero, holocaustum obtuli ad altare Dei. Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificauero, si mundus mihi crucifixus est, & ego mundo holocaustum obtuli ad altare Dei. Ecce quomodo tota Ecclesia sacrificat, & offert se in sacrificio. *Quomodo quilibet sit Sacerdos.*

De primo sacrificio, quòd est oblatio panis, & vini, ita nos docet Ecclesia. Dona ista terrena offerri Deo non consideratione naturę seu substantiæ panis, & vini, cum Deus, neque vino neque alia quacunque re delectetur. Sed quemadmodum docent sanctus martyr Hirenæus, & alij patres in mysterio ad significationem ineffabilium beneficiorum Dei. Sic videlicet, vt rerum istarum oblatione significemus ac opere, & signis confiteamur Dominum Deum qui omnia

creauit,

creauit, & incessanter operatur omnia, qui dat escam omni carni, dat panem ad confortandum cor hominis, & vinum cor hominis lætificet. Ita mundum dilexisse vt vnigenitum filium suum in quo omnia creauit, in quo omnia quæ extant, siue in cœlis, siue in terris reparauit, qui est panis cœlestis, panis Angelorum & verus vitæ panis propter nos missus de cœlis in terras, ipsumque filium incarnatum pro nobis sese ipsum sacrificasse, atque de latere suo sanguinem & aquam in ablutionem peccatorum nostrorum effudisse. Ad hæc illud suum corpus, & præciosum sanguinem nobis in sacramento in cibum spiritualem ineffabili sua misericordia & bonitate, instituisse & dedisse, vt cibo illo cum corporali spiritualiter nutriti & conseruati, in æternũ viuamus, &c.

Primum sacrificiũ panis & vini.

Hoc autem sacrificium panis & vini offert Sacerdos quando accipiens calicem & patenam cum pane, & vino sic orat Deum. Suscipe sancta Trinitas hãc oblationem quam tibi offerimus in commemorationem incarnationis, natiuitatis, passionis, resurrectioni domini nostri Iesu Christi, &c. Offerimus enim signis illis visibilibus panis & vini Deo patri inuisibilia illa passionis Christi mysteria cum gratiarum actione.

Secundum sacrificium orationis et laudis.

Post externum illud, & significatiuum panis, & vini sacrificium, sequitur secundum in missa commune illud laudis & gratiarum actionis sacrificium quod pro omnibus Dei donis corde, & ore feruentique deuotione offerri debet. Quod quidem laudis, & gratiarum actionis sacrificium sacerdos aggreditur, quando inchoat ad plebem, per omnia secula seculorum. Sursum corda. Gratias agimus domino Deo nostro, &c. Est autem sacrificium illud (vt iam diximus) commune sacrificium. Offertur enim non modo pro præsentibus, verum etiam pro absentibus, dicente Chrysostomo, Altari sacerdos assistens sacrificio illo proposito iubet nos Deo offerre gratias pro vniuerso terrarum orbe, pro absentibus atque præsentibus, pro his qui ante nos fuerunt, & pro eis qui postea vẽturi sunt.

Chrysost. Hom. 26. sup Matth.

Deinde

Deinde ſubdit Sacerdos. Te igitur clementiſſime pater per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum ſupplices rogamus, ac petimus vti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata. In primis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica, pro Papa noſtro, & antiſtite noſtro, & rege noſtro, & omnibus Catholicæ fidei cultoribus, &c. Siquidem hunc modum orandi pro omnibus pulcherrime docuit Apoſtolus ita ſcribens ad Timothæum. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & caſtitate, &c. Rurſus ſubiungit Sacerdos. Communicantes, & memoriam venerantes in primis glorioſę ſemperq. virginis Mariæ, ſed & Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, &c. Poſtea. Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtrę, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quęſumus Domine vt placatus accipias, dieſq; noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Chriſtum, &c. Id enim totum dicitur ſacrificium laudis.

Modus orādi pro omnibus.

1. Thim. 2.

Completo ſacrificio laudis, quòd pro ſtatu totius mundi offertur, ſequitur ſtatim præcipuum miſſæ caput, quod eſt conſecratio diuiniſſimi ſacramēti. In hoc enim ſacrificio, & in hac conſecratione Sacerdos Eccleſiæ ſuppliciter orat vt Deus propoſitam illam panis & vini miſti oblationem in omnibus benedictā, aſcriptam, ratam, acceptabilemq. facere dignetur, vt nobis corpus, & ſanguis fiat domini noſtri Ieſu Chriſti. Et mox pronunciat Sacerdos Euangeliſtarum verba, ſcilicet. Qui pridie quā pateretur, &c. Quibus ſtatim diuina Chriſti verba ſubiungit, quorum virtute digniſſimū & ſacratiſſimum illud corporis, & ſanguinis Chriſti ſacramentum, conſecratur & efficitur. Hoc eſt enim corpus meum. Vna cum alijs diuinis verbis quę ſuper

Tertium ſacrificium Miſſæ, ſcilicet, conſecratio Euchariſtiæ.

August. calicem proferuntur. Sacerdos enim (vt inquit Augustinus) expostulat in Canone vt Deus oblationem propositam in omnibus facere dignetur benedictam, per quam benedicamur. Ascriptam, per quam omnes in cœlo ascribamur. Ratam, per quam in visceribus Christi esse censeamur. Rationabilem, per quam à bestiali sensu exuamur. Acceptabilem, per quam acceptabiles simus vnico filio suo. Quæ omnia tum demum nobis contingunt, quando oblatio altaris conuertitur nobis in corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Deinde Ecclesia, Christum, & eius verum corpus, verumque sanguinem Deo patri, cum gratiarum actione, pro suis, & totius mundi peccatis proponit, seu repræsentat.

Quanquam enim sacrificium illud in ea forma qua in cruce offerrebatur, semel tantum oblatum sit, & semel tantum sanguis effusus vt ita repeti, iterumque offerri non possit nihilominus tamen consistit, & manet tale sacrificium coram Deo perpetuo in sua virtute, & efficacia acceptum, ita vt sacrificium illud semel in cruce oblatum non minus hodierno die in conspectu patris sit efficax, ac vigens, quam eo die quo de latere suo exiuit sanguis, & aqua. Quemadmodum beatus Cyprianus in sermone de Baptismo ingenue testatur.

Sacrificium Eucharistiæ quomodo est Deo acceptum. Cyprian.

Ex his clare constat quam impie errent recentiores hæretici asserentes Missam non esse sacrificium. A quibus quærendum est an pro statu Euangelicæ Legis sit aliquod sacrificium ab ipsa lege statutum, & illi legi peculiare. Non est autem dicendum nullum esse sacrificium, quoniam in omni lege fuerunt semper aliqua sacrificia. Nam in lege naturæ sacrificia fuerunt, quoniam Iob qui vixit in lege naturæ offerrebat holocausta per singulos dies ne forte filij eius peccassent. De lege Moysi non est opus dicere cum tota illa plena fuerit sacrificijs. Gentiles quoque diuersa Idola colentes, diuersa habebant sacrificiorum genera, ita vt nulla sit gens tam barbara, quæ

Iob 1

non

non habeat aliquod sacrificij genus quod offerat Deo suo. Multo ergo magis oportet in Euangelica Lege, in qua clariorem Dei cognitionem habemus, vt in ea sit aliquod sacrificium peculiare, multo excellentius omnibus sacrificijs aliarum legum. Tale autem nullum reperiri potest nisi Missa sit sacrificium, in qua verum Christi corpus, & verus eiusdem sanguis Deo offertur. Missa ergo est singulare sacrificium legis gratiæ, dicente Domino per Malachiam Prophetam. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab Ortu enim Solis, vsque ad Occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Ecce quomodo repudiantur à Domino sacrificia veteris Legis, cum ait. Munus non suscipiam de manu vestra. Et ne omnino sine sacrificio videretur populum relinquere, statim aperuit illud sacrificium loco illius subrogatum multo melius cum dixit. In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. At nulla alia oblatio est, quæ simpliciter, & absolute dici possit munda, nisi Eucharistia, quæ in Missa Deo offertur. Nam omnes iustitiæ nostræ, vt inquit Esaias, quasi pannus menstruate sic sunt coràm Deo. Rursus, Sacerdotium Euangelicæ Legis, quod à Christo summo Sacerdote incepit, præcesserat in figura in sacerdotio Melchisedech, prout apertissime docet Apostolus in epistola ad Hebræos. Quoniam ex hoc colligit ibi Paulus melius esse sacerdotium nouæ legis, quàm sacerdotium veteris. Nempe hoc benedictionem ab illo recepit. Christus quoque dictus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quemadmodum autem Melchisedech obtulit panem, & vinum, ita & Christus. Quilibet igitur sacerdos Euangelicæ legis non habet aliud sacrificium quod offerat Deo nisi sacrificium missæ, scilicet, Eucharistiam quæ est oblatio corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Id præterea confirmat Apostolus ita scribens ad Hebræos.

Omnis lex suum habet sacrificium.

Malach. 1

Isa. 64

Hebr. 7.

Quomodo Euchari-stia est verum sacrificium.

Hebr. 5. Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus est, & pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. At cũ Euangelicum Sacerdotium iam figuratum per Sacerdotium Melchisedech nullum aliud habeat peculiare sacrificium, quàm Eucharistiam, conuincitur oblationem illam corporis, & sanguinis Domini non tantum esse sacrificium, quinimò & pro peccatis omnium populorum offerri opus esse, si verba Apostoli quæ sequuntur inspiciamus.

At quoniam id sacrificium Missæ nõ tantum viuentibus prodest, sed & omnibus fidelibus defunctis, ideo in Missa fit commemoratio defunctorum cum dicitur. Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, &c. Quorum memoria Apostolica traditione ab Ecclesiæ primordijs inoleuit. Quemadmodum Dionysius testatur, Ait enim. De prece super defunctis facienda ex diuinis ducibus, hoc est Apostolis traditio peruenit ad nos. Et pauloante precatur, inquit, oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam, admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, & regione virorum in finibus Abrahæ, Isaac, & Iacob &c. Gregorius etiam Nazianzenus in oratione funebri in mortem Cæsarij fratris sui idem asserit. Athanasius insuper qui ad Antiochium principem scribit quęst. 34. dicit, Animas fidelium percipere beneficia viuentium quoniam propter eos fiunt conuentus in Ecclesia, alioqui non vtiq; in cura & exequijs fieret eorum commemoratio. Epiphanius etiam contra hæreses lib. 3. damnat Arrium hæreticum eo, quòd contempserit orationes quæ pro defunctis dicuntur. Et quid amplius, nonne Sacerdotes in græcorum Missa pro defunctis orant & clamant, hortanturq. ne defatigemur mortuis auxiliũ ferre, preces pro ipsis offerendo, cũ totius orbis cõmunis victima sint preces. Rursus, Ioannes Damascenus scripsit integrũ sermonẽ de his qui in fide hinc migrarunt,

Dionys. in lib. Eccl. Hierar. cap. 7.

Memoria defunctorũ traditio est apostolica.

Nazianzenus.

Athan. quæst. 34.

Epiphan. lib. 3. contra hær.

Io. Damas.

runt,quem Ocholampadius(vt fertur)Alias interpretatus est.Item Tertulianus ad vxorem.Cyprianus quoque lib. 1. epist. 9. Necnon & Ambrosius in oratione funebri pro Theodosio Imperatore,ita ait. Dilexi virum valde,& præsumo de Domino,quòd suscipiet vocem orationis meæ,qua prosequor animam piam. Da requiem perfectam seruo tuo Theodosio requiem,quã præparasti sanctis tuis. Præterea Augustinus libro confessionum 9. cap. 13. orauit pro matre sua Monica,& scribit poposcisse illam vt ad altare Dei fieret eius memoria vbi sacra victima dispensaretur qua chirographum quod erat contrarium nobis deletum est. Et libro 20. de ciuit. Dei cap. 9. ait. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia,quæ etiam nunc est regnum Christi, alioquin neque ad altare Dei fieret eorum memoria in cõmunione corporis Christi.Vnde libro de cura pro mortuis gerenda,sic inquit. Ita fit vt non inaniter Ecclesia pro defunctis quod potuerit religionis impendat. Allegat quoq; de Iuda Machabæo,qui pro mortuis obtulit sacrificium. Et subdit. Sed & si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur,non parua hac consuetudine,claret auctoritas, vbi in precibus Sacerdotis quæ domino Deo ad eius altare funduntur locum suum habet etiam commendatio mortuorum,&c. Ecce quot testimonia sanctorum patrum qui in principio nascentis Ecclesiæ floruerunt asserunt defunctorum commemorationem esse necessariam in sacrificio Missæ. Et non est putandum, tam excellentissimos,& grauissimos patres auaritiæ causa,vel libidine furandi locutos fuisse,sed instinctu Spiritus sancti,quibus magis credendum est,quàm Hæreticis Lutheranis.

Tertul. *Cyprian. lib. 1. ep. 9.* *Ambros.* *August. lib. 9. conf. cap. 13.* *Et lib. 20. de ciu. Dei, cap. 9.* *Et libro de cura pro mortuis.* *1. Mac. 10.*

Ex his omnibus iam non difficile cognoscitur quare defunctorum memoriam post consecrationem faciamus. Sancti qui ex hac vita ad Deum migrarunt vbi & viuunt,purgati sunt sanguine Domini, & toti purificati,propterea ante consecrationem aguntur pro ipsis gratiæ. Istos autem qui nondum prorsus perfecte

Innoc. lib. de misterio Missæ.

purgati sunt commendat pia mater Ecclesia (vt Innocentius ait in libro de misterio Missæ) suę intercessionis Sacrosancto sacrificio certissime credens, quod sanguis ille preciosus qui pro multis effusus est, remissionem non solum valeat ad salutem viuentium, sed etiam ad releuationem defunctorum.

Quartum sacrificium Missæ est tota Ecclesia.

Quartum sacrificium Missæ est illud quo offertur Deo patri ecclesia ipsa per Christum cuius misticum corpus est. Cum enim recolit ecclesia, & agnoscit ex oblatione Christi semel in cruce facta, non omnes perditos esse, & damnatos, sed multos esse per vnicam illam oblationem quam fecit Christus in cruce Deo patri reconciliatos se totam assignat, & offert Deo patri per Christum. Et quemadmodum Christus in cruce nos omnes portauit, omniaque totius mundi peccata sustulit in corpus suum, adeoque in seipso ecclesiam patri obtulit, ita, & vicissim ecclesia tradit, & offert seipsam patri hostiam viuam, votis spiritualibus, quibus spondet se in Christo perpetuo mansuram, teste Augustino ad Paulinum.

August. ad Paulin.

Ex istis etiã euidentissime liquet, quàm impie errent qui dicunt Christum Sacrosanctam ceremoniam suæ cœnæ instituisse tantum in vsum, & profectum singulorum astantium. Presertim eorum qui externo sacramento vescerentur, non autem pro absentibus ceremonia ista celebrari, sed id repudiatum est supra. Siquidem hoc quartum sacrificium totius videlicet ecclesiæ commemoratur in Missa, cum dicitur. Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio. Et sequitur. Tibique reddunt vota sua æterno Deo viuo, & vero. Rursus, negant nonnulli Christum in vltima cœna sacrificasse. Sed in libro disputationum oppositum ostensum est. Nam Christus accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & gratias agens dedit Apostolis corpus, & sanguinem suum, mãdans vt hoc facerent in sui commemorationem. Deinde Patrem rogauit pro

Error multorum in Missa.

toto

toto mundo, vt nomen eius mundo manifestaretur, &c. Ex quibus omnibus iterum patet, quòd Missa nostra non est missa Papæ diabolica, quemadmodum diabolicus ille Otho Bronfelsius in libro Pandectarum impie fatetur.

Tenentur igitur omnes Christi fideles præcipuæ diebus festis audire Missam humiliter, & deuotæ maxima cum reuerentia, & silentio, cum attenta auscultatione, & deuota oratione ac gratiarum actione pro beneficijs acceptis. Diligenter insuper considerare quid sacerdos cum omnibus suis ornamentis denotare videatur. Quid Introitus Missæ, Epistola, Euangelium, cum ceteris alijs orationibus, & cerimonijs, de quibus alij Doctores satis diffuse loquuntur, & præcipuæ Archiepiscopus Florentinus. *Quomodo decet audire Missam.*

FERIA QVINTA OLIVARVM super Euangelio Ioannis.

Ante diem festum Paschæ sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos. Et cœna facta cum diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Et cum accepisset lintheũ pcinxit se. Deinde misit aquã in peluim, & cœpit lauare pedes Discipulorũ, & extergere linthеo quo erat pcinctus. **Ioan. 13.**

Quattuor singularissima opera operatus est Christus in hac vltima cœna. Primo, comedit agnum cum discipulis suis in lege præceptum, dicens. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Et ita agnus comedit agnum, verus agnus typicum agnum, luna quartadecima mensis primi ad vesperam, sicut præceperat dominus in lege. Græci autem asserunt Christum celebrasse Pascha, & comedisse agnum tertiadecima Luna Martij, eo quòd Ioannes *Exod. 11.*

Pascha multiplex in scripturis. ait, ante diem festum Paschæ. Sed decipiuntur in æquiuocatione huius nominis Pascha, quod multipliciter accipitur in scripturis.

Primo, pro imolationis hora Agni typici. Vnde Lucas. Appropinquabat dies festus Iudæorum, qui dicitur Pascha. Et ita solus dies in quo Agnus occidebatur ad vesperam, id est, quartadecima luna primi mensis, Pascha dicebatur.

Luc.22. Secundo, accipitur Pascha pro Agno Paschali typico, de quo idem Lucas. Venit autem dies azimorum in quo necesse erat occidi Pascha.

Tertio, pro vero Agno Paschali, qui Christus est, dicente Apostolo. Pascha nostrũ imolatus est Christus.

1. Cor. 5. Quarto, pro die festo azimorum, quæ fuit quintadecima dies primi mensis, de quo hic Ioannes. Ante dié festum Paschæ.

Quinto, accipitur Pascha pro cibis Paschalibus, panibus .s. azimis, quibus vescebantur tempore Paschali, quemadmodum. Idem Ioannes de Iudæis ait. Qui *Ioan.18.* non introierunt prætorium ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Cum autem hic Ioannes dicit. Ante diem festum Paschæ, accipit Pascha, pro die solemni quæ fuit quintadecima luna mensis primi. Differt enim dicere diem Paschæ, & diem festum Paschæ, nec sunt idem. Dies enim Paschæ, est dies quartadecima lunæ. Dies autẽ festus Paschæ, est alia sequens quin *Leuit.23.* tadecima dies. Vt liquet per illud Leuitici. Mense primo, quartadecima die ad vesperam, Phase Domini est, id est, Pascha. Et decimaquinta die mensis huius solemnitas azimorum Domini est. Et ita ante diem solemnem Paschæ, scilicet, luna decimaquinta facta fuit cœna Domini, id est, quartadecima luna ad vesperam. Et sic euidens est, quomodo græci decipiuntur. Dicit ergo Euangelista. Ante festiuitatem Paschæ, id est, nocte præcedente lucem celebritatis Paschalis, sciens Iesus, quia venit hora eius. Sciebat enim Dominus, quem nihil latebat, quòd tempus mortis passionisque suæ aduenerat, quando quidem illa die parascæues passus est.

Vt transeat ex hoc mundo ad patrem. Nam spiritus eius illa die nondum exacta in manus patris transijt,& ipse quadragesima à gloriosissimæ resurrectionis suæ die cum corpore glorificato conscendit ad patrem, vt inquit Propheta. Ascendit Deus in iubilatione, &c. Item. Supra cœlum cœli ad Orientem. Et tunc cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Dilexerat semper eos Dominus. Siquidem ante mundi constitutionem dilexit eos, & post mundi constitutionem,etiam in æternitate diliget. Nam æternus amor non interrumpitur, nec nisi æternæ amare potest. Et hoc vniuersale erat quo ad omnes, qui in mundo sui fuerunt,sunt,ac futuri sunt. Speciale autem quo ad suos Discipulos,quos cum in hoc mundo,quã diu sui fuerunt dilexisset, in finem quoque quando in hunc ingressus est mundum, & in ipsa morte dilexit eos. Nempe per passionem,& mortem suam eos redemit. Redemptos autem post resurrectionis gloriam glorificauit in cœlis,& adhuc glorificabit omnes suos electos Christi fideles. *Electi quomodo diliguntur à Christo.*

Et cœna facta, non illa corporis,& sanguinis Christi Iesu, sed Agni Paschalis,secundum consuetudinem Iudęorum in lege positam,cum diabolus immisisset in cor Iudæ vt proderet eum. Et intelligendum est diabolum commouisse sensualitatem Iudæ per impressam imaginem,qua deinde ad malum ipsius volũtas est prouocata. Ipse enim non potest sine medio operari in nostram voluntatem, nisi prius operetur in sensum nostrum.Ideo nobis scientia boni & mali datur,quia sunt spirituis mali & boni. Sciens, quia omnia dedit ei pater in manus. Quia dedit ei pater omnem potestatem,sicut ipse in Matthæo testatur. Data est mihi omnis potestas in cœlo,& in terra. Et quia a Deo exiuit. Sed quando exiuit, nisi quando adumbratus humano Tabernaculo in virginis tandem hunc mundo partu virgineo visibilis apparuit. Et quando ad Deum iuit? Quippe quando per mortem hunc mundum deseruit, & immortalitatis gloria vestitus, cœlos ad *Matth. 28.*

dexteram

dexteram patris sessurus conscendit. Surgit à cœna. Surgit quidem, vt nos à peccatis surgere faciet. Et ponit vestimenta sua. Tres enim habuit vestes Christus.

Tres vestes habuit christus.

Prima fuit quædam tunicella inconsutilis, quàm fecerat ei mater sua, in qua fides denotabatur quæ vna est vnita, & non diuisa. Erat insuper alba ad denotandum simplicitatem, & sinceritatem fidei. Rursus, adhærebat carni, quia fides adhæret cordi, & super hanc vestem, Iudæi miserunt sortem.

Secunda, vestis erat tunica rubea denotans Christi magnam charitatem. Et hæc fuit diuisa in quattuor partes, iuxta illud. Diuiserunt sibi vestimenta mea, &c. Ad denotandum etiam ipsius doctrinam in quattuor partes mundi esse diuisam.

Tertia, vestis erat pallium desuper cœlesti colore, quàm amisit in horto. Surrexit ergo Christus à cœna, & posuit vestimenta sua, id pallium, scilicet, quo erat indutus. Ecce quomodo (teste Apostolo) humiliauit semetipsum dn̄s Iesus vsque ad mortem. Deinde lintheo se præcinxit, quia formam serui accepit. Humanitas quidem lintheum fuit. Postmodum aquā in peluim fudit. Effudit enim in cruce suum sanguinem super terram in peccatorum remissionem. Postremo pedes lauit Discipulorum, & lintheo extersit, vt secundum opus in cœna factum aggrederetur, quemadmodum subdit Euangelista.

Philip. 2.

Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus, Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei. Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea Dicit ei Petrus. Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus. Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus. Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes.

Contendunt hic Doctores in quo Apostolo cœperit

rit lauare pedes. Origines enim eum à minimo cœpisse sentit, sicut paterfamilias in parabola ab vltimis incipiebat. Sic quoque Christus. Et postremo ad Petrum peruenit, qui amoris ardore solito renuit. Chrysostomus vero existimat Iudam primum lotum esse, qui more hominis stulti & stollidi perpessus est. Augustinus autem vult eum in Petro Apostolorum principe cœpisse, qui, vt Cyrillus ait solita reuerentia renuit, & dixit. Domine, tu mihi lauas pedes? Magna quidem admiratione ductus, quòd is quē suum agnoscebat Dominum, quem credebat Messiam, cui dixerat: (afflante patre.) Tu es Christus filius Dei viui, cuius maiestatem, & gloriam in monte sancto viderat, & quem tot stupenda operantem cognouerat, lauare vellet, sibi pedes. Mirabatur igitur & dicebat. Tu Domine mihi lauabis pedes, manibus ijsdem, quibus cœlos condidisti, leprosos mundasti, mortuos resuscitasti. Non lauabis igitur mihi pedes in æternum. Tu es enim Deus, ego homo. Tu impeccabilis, ego peccator. Tu Dominus, ego seruus. Tu Magister, ego Discipulus. Non decet ergo tantum virum meos (vt ita dicam) fœtidos lauare pedes. Christus autem modeste reprehendit eum, nescire dicens ipsum iam quid faciat, sciturum autem postea, cum ad humilitatem eos iam admoneret siue cum sacramentum institueret. Sed adhuc pertinaciter Petrus clamabat. Non lauabis mihi pedes in æternum. Cui Dominus. Si non lauero te, non habebis partem mecum. Grauis hæc cōminatio pertinaciter reluctanti. Quid est enim dicere, non habebis partem mecum? Nisi celesti hæreditate priuaberis, vita carebis eterna. Ecce quomodo nulli qui habebant vitia, etiam minima nisi lota & abstersa fuerint à Domino cœlestem intraturi sunt hæreditatem Quoniam nihil ibi sordidum, nihil coinquinatum esse potest. Ego sum (inquit Dominus per Isaiam) qui deleo iniquitates tuas propter me. Ergo nō à nobis ipsis lotionem expectemus, non iustificationem, sed ab eo solo qui peccata delet ex se, & propter se, suamque bonita

Secundum opus in cœna.

August.

Cyrill.

In quo Apostolo cœpit lauare.

Isa. 48.

bonitatem, viua inspecta fide, iustificat impium.

Quo audito Petrus nequaquam in sua permansit pertinacia, sed priore abdicata voluntate, dixit. Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Vbi nota, quòd differunt lauare pedes manus & caput. Pedes enim mali sunt affectus, qui extant in corde. Siquidem vnusquisque à sua tentatur concupiscentia. Et isti conculcandi sunt pedibus, scilicet, ieiunijs, & orationibus. Capita vero mali sunt affectus per malam voluntatem consumati. Isti autem cum sint mortales lauandi, & purgandi sunt pœnitentia. Manus vero sunt illi affectus iam in operibus currentes, qui etiã maiori pœnitentia mortificandi sunt & lauandi, Igitur pedes Apostolorum erant peccata venialia. Nempe veniale dicitur quodlibet peccatum triplici de causa.

Lauare pedes, caput, & manus differunt.

Primo, quia licet de se sit lætale crimen, ex ignorantia inuincibili tamen efficitur veniale.

Peccatum tripliciter dicitur veniale.

Secundo, cum quispiam, se pœnitet de peccato. Id enim quod prius mortale erat, per pœnitentiam factum est venia dignum.

Tertio, omnes primi motus, & affectus mali, qui nõ sunt in potestate nostra peccata venialia merito dicuntur. Subdit ergo Christus. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, id est, inferiores affectus, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Loti erant qui peccata non habebant. Et si habuerant, miseratio Christi sanauerat, & non indigebant nisi lotione pedum, id est, mortificatione affectuum, quibus itur ad peccatum, vt mox futuri essent omnino puri, & mundi. Adiecit autem Dominus hanc particulam, sed non omnes, propter Iudam, qui & si prius vt & ceteri lotus ab omni conscientiæ reatu fuisset, denuo tamẽ grande facinus admiserat venditionem, scilicet, Domini sui, propositum tanti sceleris adimplendi fixo corde retinendo, quod erat grande & inexpiabile, hoc mysterio, crimen. Sciebat enim ipsemet Christus, vt inquit Euangelista, quis nam esset qui traderet eum, propterea

pterea dixit, non estis mundi omnes. Deinde quid (Apostolorum lotis pedibus) fecerit Dominus subdit Ioannes, dicens.

Postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Lotione pedum iam peracta accepit Iesus vestimenta sua. Ergo deposuerat illa prius, vt iam dictum est. Nempe quater vestes suas deposuit Iesus. Primo, iam in lotione pedum, deinde flagellandus, etiam illudendus, postea crucifigendus. Significat enim hoc quattuor hominum genera. Nonnulli nanque homines facile ad Deum conuertuntur. Alij difficulter. Alij vix in fine vitæ. Alij nunquam, vt reprobi, & damnati. Resumptis itaque quas antea deposuerat vestibus, & cum recubuisset iterum ad cœnam spiritualem nouam mysticã, id est, noui Sacramenti (quod Eucharistia dicitur) institutionem, dixit Discipulis suis. Scitis quid fecerim vobis. Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis. Sum etenim. Decet enim interdum hominem se congrue laudare ad Dei laudem, vt Deus laudetur & honoretur. Vel ad necessitatem sui, seu ad proximi vtilitatem, quemadmodum sic loquitur Apostolus. Si voluero gloriari, non ero insipiẽs. Raptus enim fui vsque ad tertium cœlum, &c. Et subdit argumentum à maiori. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Quibus verbis quodammodo aperit eis quod supra tactum est lotionis pedum mysterium. Siquidem cœna figuralis Agni facta, veteris legis impletionem atque finem pulcherrimæ figurat. Exuere exteriores vestes, est omnia exteriora abijcere superflua præcipue. Præcingi lintheo, est stola candoris, & innocen

Quater Christus deposuit vestimenta sua.

Se laudare decet interdum.

innocentiæ nouæ legis nouæque vitæ circundari. Peluis, mens, & conſcientia noſtra eſt. Aqua à Chriſto in peluim immiſſa, nouam gratiam denotare videtur quã præſtat nobis Dominus vt mens impleatur. Ablutio pedum omnium affectuum carnis mortificatio eſt. Abſterſio Chriſti ſignat innocentiam. Hæc omnia Dominus, & magiſter qui vere Dominus, & magiſter eſt nobis adminiſtrat. Debemus igitur, & nos viciſſim lauare pedes. Sed quid eſt proximi noſtri lauare pedes? Niſi quodlibet opus bonum proximo noſtro exhibere. Quotieſcunque enim homini proximo remittimus quæ aduerſus nos commiſit, pedes ei abluimus. Quandocunque pro peccatis aliorum Deum deprecamur, pedes eorum lauamus. Cui etiam abſolutionem peccatorum à Deo deprecatur, & petit ſacerdos, eidem pedes abluit. Ad literam quoque ſeruarunt hoc ſancti homines primitiuæ eccleſiæ lauantes alijs pedes exemplo Chriſti, & humilitate. Iccirco Auguſtinus hortatur nos ad hanc corpoream pedum lotionem. Magis tamen tenemur noſtros ſpirituales lauare pedes, hoc eſt carnales concupiſcentias mortificare.

Myſtica expoſitio.

Quid lauare pedes.

Auguſt.

Tertium opus, quod operatus eſt Chriſtus in hac vltima cœna, fuit inſtitutio Euchariſtiæ. Sed primo dixit. Amen dico vobis, quia vnus ex vobis quorum pedes laui, quibus tanta promiſi, me tradet. Et contriſtati ſunt valde, & cœperunt ſinguli dicere. Nunquid ego ſum Domine? At ipſe reſpondens ait. Qui intingit mecum manum in paraſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit ad paſſionem, ſicut ſcriptum eſt de eo, ſcilicet, per Eſaiam dicentem. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Væ, id eſt, æternaliter peribit. Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Melius quidem eſt (vt inquit Hieronymus) non eſſe, quàm ad tormenta eſſe, Minus malum eſt ſimpliciter non eſſe, quam eſſe damnatum. Id enim dixerat Dominus vt Iudam a proditione retraheret. Et quia ceteri Diſcipuli eum triſtes interrogauerant, interrogat eum, & ipſe quẽ conſcien

Iſa. 53.

Hieron.

conſcientia remordebat, ne tacendo ſe, & crimen ſuum prodere videretur. Vnde dixit. Nunquid ego ſum Rabbi? Cui Dominus. Tu dixiſti. Quaſi dicat. Tu prodidiſti te, non ego. Noluit enim Chriſtus Iudam proditorem publicare, vt nos doceret peccata aliorum occulta, non eſſe publicanda. Quia ſicut eſt peccatum mortale, innocenti crimen falſum imponere, ſic verum crimen occultum alijs reuelare. Cœnantibus autem illis, vt inquit Matthæus, accepit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis. & ait. Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes, Hic eſt enim ſanguis meus noui, & æterni teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Et ita inſtituens Euchariſtiam dedit Apoſtolis ſuis in cibum ſpiritualem ſuum ſacratiſſimum corpus, & ſanguinem. Quibus autem verbis vſus eſt Chriſtus in conficiendo Euchariſtiam, ſatis dictum eſt in libro diſputationum, tractatu de ſacramento Euchariſtiæ. Statim autem poſt Apoſtolorum communionem ſubdit Ioannes Euangeliſta. Erat ergo recumbens vnus ex Diſcipulis eius in ſinu Ieſu quem diligebat Ieſus, hoc eſt cui ſpecialia ſigna demonſtrabat. Nam dilectione interna omnes diligebat. Recumbebat autem præ nimia triſtitia, & dolore eo quod dixerat Dominus, vnus veſtrum me traditurus eſt. Innuit ergo huic Simon Petrus, innuendo enim loquitur Ioanni. Ex quo inſinuatur quòd non erat coniunctus localiter ei, vt potuiſſet in aure loqui, Et dixit ei, ſcilicet, Ieſu Ioannes. Quis eſt qui tradet te? Et reſpondit Ieſus. Ille eſt cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem dedit Iudæ, Symonis Scariothis. Et poſt bucellam proculdubio commeſtam, introiuit in eum Sathanas tanquam bucella traxerit poſt ſe Sathanam ad interiora eius. Significatur autem per introitum Sathanæ augmentum malitiæ in Iuda, vt velut habitans in eo fuerit Sathanas vtens Iuda, ſicut habitans in domo vtitur illa ad placitum ſuum. Et dicit ei Ieſus. Quod facis, fac citius.

Peccata occulta non ſunt manifeſtanda.

Tertium opus in cœna.

Ioan. 13.

citius. Quibus verbis non præcipit Iudæ vt faciat, sed insinuat ei se nosce quod ipse facit. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus, eme ea quæ necessaria sunt nobis ad diem festum. Cum ergo accepisset ille bucellam, exiuit continuo. Erat autem nox, id est tempus aptum, & opportunum ad id malum.

Quartum opus in cœna.

Quartum opus, operatus est Christus in cęna. Nam postquam Iudas recessit, dixit Iesus. Omnes vos scandalum patiemini in me, &c. Prædixit enim, quòd passuri sunt, vt cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Siquidem scandalum passi sunt dubitationis, dum quasi impotentem teneri, ligari, & duci, miserrime intuebantur. De scandalo autem satis abunde locuti sumus libro 4. tertij Tomi, cap. 2. Petrus vero, quia ceteris feruentior erat, quod Iesus prædixerat, ipsæ denegat amando, & ait. Et si omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor. Ecce quomodo Petrus suis proprijs viribus fidebat, nimio tamen feruore fidei, & charitatis, hæc protulit, verba. Sed ait illi Iesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, id est antequam finierit cantum suum, ter me negabis. Et idem omnes Euangelistæ fatentur. Nam, vt inquit Marcus, post primam negationem, Petri, statim gallus cantauit, & ante secundum galli cantum, bis iterum negauit. Et ait illi Petrus. Etiam si opportuerit me mori tecum, non te negabo. Putabat, enim quod timore mortis prædiceret eum esse negaturum. Similiter, id est eodem amore, & feuore omnes Discipuli dixerunt, &c. Postremo fecit Iesus Discipulis suis pulcherrimum sermonem ad ipsorum consolationem, de quo Ioannes diffuse locutus est.

Trina negatio Petri quando fuit. Marc. 14.

FERIA VI. IN PARASCAEVE, ſuper quattuor Euangelijs.

IN Paſſione Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quàm propter noſtram ſalutem ſuſtinere ſibi placuit, ſeptem ſingulariſſima myſteria ſunt præcipue conſideranda.

Primum fuit ipſius venditio. Nam tradidit, & vendidit eum Iudas Principibus Sacerdotum, dicente Matthæo. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Scarioth ad Principes Sacerdotum, qui iam congregati erant, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Tanquam dicat. Scio cur conueniſtis, & paratus ſum veſtrum deſiderium ad effectum perducere, dummodo detis mihi quod cupio precium. At illi conſtituerunt, hoc eſt dare, promiſerunt ei triginta argenteos. Et valde gauiſi ſunt, auditis ſermonibus Iudæ, vt Lucas, & Marcus teſtantur. Et exinde quærebat Iudas opportunitatem, id eſt, conuenientiam loci, & temporis, vt eum traderet Iudæis. Hanc quippe Meſſiæ veri Dei, & hominis venditionem, ac mercationem propter quam Iudæi nouiſſimam hanc ſuſtinent captiuitatem, Amos propheta pulcherrimæ vaticinatus eſt, dicens. Super tribus ſceleribus Iſraël conuertam, & ſuper quartum non conuertam eum, vel non reducam eum, vel non transferam eum, eo quod vendiderit, vel mercatus fuerit pro argento iuſtum, & pauperem pro ſotularibus. Hunc autem iuſtum, non fuiſſe Ioſeph liquide patet. Nempe propter ipſius venditionem duriſſimam poſtmodum Pharaonis ſeruitutem ſubierunt Iudæi 210. annis. Nec alium quendam iuſtum fuiſſe conſtat, cuius nomen ignoratur. Nam ſi pro delicti menſura pœna infligenda eſt, grauiora crimina grauius puniri debent. Leuiora autem leuiori ſunt pœna afficienda. Conſtat autem Ioſeph venditionem, idolatriam quoque, atque Prophetarum cædem grauiora fuiſſe ſcelera à Iudæis

Primũ myſteriũ Paſſionis.

Amos 8.

Vaticinium pro venditione Xpi.

priùs

prius perpetrata, quam huius pauperis venditionem vel mercationem. Si ergo Israëlitæ ob quarti sceleris patrationem longe grauius, longe acerbius, longeque diutius, quàm propter trium præcedentium commissionem puniti fuerunt, necessario profectò, sequitur quartum scelus multo grauius fuisse ceteris aliis, cum ipsius pœna ceterorum pœnas quasi in infinitum excesserit.

Ratio contra Iudæos

Quare iustum hunc ob cuius venditionem vel mercationem pęnam hanc pœnarum omnium maximam incursuri erant, Deum quoque nedum hominem futurum fuisse, operæpretium est, id est, Christum verum Messiam in lege promissum. Deinde subdit Euangelista. Prima autem die azimorum, hoc est feria quinta, quæ fuit vigilia parasceues, id est decima quarta Luna primi mensis vt dictum est, accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes. Vbi vis paremus tibi comedere pascha, id est agnum paschalem? At Iesus dixit. Ite in ciuitatem, scilicet Hierusalem ad quendam, cuius nomen non exprimit. Sed vt Lucas, & Marcus testantur, Christus dedit Discipulis quos misit signum cognoscendi domum, & personam eius ad quem mittebantur, videlicet, quòd introëuntibus in ciuitatem occurreret eis homo portans lagenam aquæ quem sequerentur vsque in domum, quam ingrederetur, & dicerent patrifamilias domus illius Magister dicit, scilicet ille magister qui de seipso testatur. Vnus est .n. magister vester, qui Christus est. Hic homo magnanimus fuit, qui vt Chrysostomus testatur Christum, & eos Discipulos hospitari audebat, contra voluntatem Pontificum, Scribarum, & Pharisæorum. Erat enim ipsius Discipulus incognitus, cognitus autem Deo quem elegerat. Et dixerunt ei Discipuli. Magister dicit. Tempus meum prope est, hoc est, hora passionis meæ instat, apud te facio Pascha, id est in domo tua comedam agnum Paschalem cum Discipulis meis. Et ita parauerunt Pascha, & omnia quæ necessaria erant. Asserit enim Lucas loco præmemorato hos Discipulos fuisse Petrum, & Ioannem.

Luc. 22.
Marc. 14.
Chrysost.

Secun

Secundum mysterium, fuit institutio sacramenti Eucharistiæ quando Pascha celebrauit, & lauit pedes Discipulorum suorum, de quo supra dictum est. *Secundum mysterium.*

Tertium, fuit circa ipsius tristitiam, orationem, & captionem. Subdit enim Euangelista, completo sermone quem habuit in cœna, Christum dixisse. Surgite eamus hinc. Et tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani iuxta radices montis Oliueti, Quæ villa nomen forte accepit a torculari in quo oliuæ præmebantur. In quo loco Dominus primum torcular passionis suæ calcare voluit, quo omnibus mortalibus oleú misericordiæ suæ præberet. In horto Adam peccauit, & in horto Christus peccatum expiauit. Vnde legitur in Ioanne. Egressus est Iesus trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit, &c. Torrens nanque erat inter Hierusalem, & Montem Oliuarum in valle Iosaphat. Quem cum transisset Iesus, dixit discipulis suis, videlicet Apostolis octo. Tres enim secum duxit, & Iudas non adfuit. Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, qui sibi erant familiares, qui & transfigurationi ac suscitationi puellę interfuerant. Processit autem ab alijs quantum iactus est lapidis, secundum Lucam. Et cœpit contristari in anima quantum ad partem inferiorem, & mœstus esse in verbis, & gestibus. Et vt Marcus asserit, cœpit pauere, & tedere. Et ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem, idest vehementissime contristatur, vt tristitia, & mors vno tantum gradu distare videantur. Sed scire operæprecium est geminam esse tristitiam, Quandam inordinatam, rationem præuenientem impedientemque, quæ etiam, teste Philosopho, non cadit in constantem virum. De qua Salomon loquitur. Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit. Et in Ecclesiastico legitur. Tristitiam longe expelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in ea. Hanc quippe tristitiam non habuisse Christum euidens est. Aliam præterea esse

Tertium mysterium.

Tristitia duplex.

Aristot.

Prouer. 12.

Eccles. 30.

Eccles. 7.

triſtitiam moderatam, bonam, naturalem, & virtuoſam, rationem ſequentem, & vanitatem expellentem, idem Sapiens aperit, dicẽs. Cor ſapientum vbi triſtitia. Apoſtolus quoque. Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, ſalutem ſtabilem operatur. Et hæc fuit in Chriſto. Pariter diſtinguendum eſt de timore, & pauore. Eſt enim timor inordinatus, qui procul fuit à Chriſto, de quo Sapiens. Iuſtus, inquit, quaſi Leo confidens abſque terrore erit. Item: Qui timet Deum, nihil trepidabit. Eſt & alius timor laudabilis, de quo ſcriptura vberrime loquitur. Triſtabatur enim Chriſtus, & timebat ſecundùm animam ſenſitiuam quæ ſua pte natura paſſiones fugit, & mortem. Triſtabatur inſuper voluntas Chriſti intellectiua, prout erat carni, & ſanguini coniuncta. Et ſume lætabatur, vt diuinitati vnita. Et ita ſumma beatitudo, & ſumma triſtitia erat in anima Chriſti, reſpecta diuerſorum obiectorum. Quemadmodum infirmus ob amaritudinem medicinæ triſtatur, ſanitate tamen lætatur, quam optat acquirere. Deinde dixit Diſcipulis ſuis. Suſtinete hic, expectate, condolete, & vigilate mecum, donec vadam illuc, & orem. Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, vel poſitis genibus, ut Lucas teſtatur, orauit dicens. Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

2. Cor. 7

Prouer. 18.

Triſtitia, quomodo in Chriſto.

Si hanc Chriſti orationem intelligere volumus ſecundùm ſenſum, quem verba explicare videntur, tunc ſequitur primo petitionem Chriſti fuiſſe indiſcretam, cum peteret illud cuius oppoſitum iam erat ab æterno, & à Deo patre decretum. Sequitur proinde quodammodo Chriſtum voluiſſe retractare propoſitum ſuum, & promiſſam. Si quidem Chriſtus iam ſtatuerat, & promiſerat mori, & pati tale genus ſupplicij, cum dixit. Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur ad flagellandum, & crucifigendum. Sequitur rurſus Chriſtum pro illo inſtanti amiſiſſe charitatem, quam habebat erga genus humanum. Sequitur tandem ipſum iam voluiſſe Scripturas reddere falſas, quæ

quæ de ipso erat. Quæ omnia cedebant in maximum inconueniens. Non est ergo intelligenda oratio Christi secundùm sensum quem verba facere videntur, sed secundùm sensum in quo oratio fit. Voluit enim duos appetitus in se distinguere. Vnum naturalem,& sensitiuum,qui mortem timebat & horrebat. Et alium intellectiuum, qui Patris voluntati semper conformabatur. Et sic talis oratio non fuit nisi ad exprimendum vtranque naturam, necnon & dolorem suæ passionis intollerabilem. Est ergo sensus orationis.O Pater mi, licet sensus,& caro, talem horreat, & timeat mortem naturali timore, velitque mortem vitare, nolo tamen voluntatem meam conformare carni, & sanguini, sed voluntati tuæ. Et sic voluntas Christi simul tempore condolebat carni,& conformabatur paternę voluntati. Orabat igitur Christus misericordiarum Patrem, vt transferret à se acerbam illam, & nunquam in aliquo perceptam Passionem. Veruntamen orabat non suam voluntatem fieri,qua vt homo illam natura refugiebat, sed solam Dei. Nam suam voluntatem Dei voluntati subijciebat, & ita Patris voluntatem simpliciter fieri volebat. Vnde exauditus est, quin & omnes qui ita orãt, exaudiuntur. Debemus ergo & nos orare,dicentes. Fiat voluntas tua, &c.

Oratio xp̃i ĩ horto,quo intelligenda est.

Intelligẽtia orationis Christi.

Deinde venit ad Discipulos suos tres,& inuenit eos dormientes præ tristitia,tædio,& lassitudine. Et dixit Petro. Non potuisti vna hora vigilare mecum,tu qui dixisti, paratus sum tecum in mortem, & in carcerem ire. Increpat enim Petrum, quia præ ceteris præsumpsit Christo astare, non scandalizari, & quia superior fuit Apostolis alijs. Post cuius increpationem dirigit exhortationem suam ad omnes,dicens. Vigilate & orate,pro adiutorio gratiæ Dei, vt non intretis, scilicet, per consensum in tentationem,quæ per orationem præcipuæ superatur. Quemadmodum enim testatur Lucas, Sathanas expetiuit Apostolos, vt cribraret sicut triticum. Ideo indigebant fortiter reluctari, nec somno indulgere. Spiritus quidem promptus est, vtpote

Luc.22.

mecum pati, caro autem infirma, id est, sensualitas fragilis, & impotens est, nisi per gratiam adiuuetur. Iterum secundo abijt, & orauit, dicens. Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua, Et venit, & iterum inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertio eundem sermonem, dicens. Tunc venit ad Discipulos suos, & dicit illis. Dormite iam, & requiescite, &c. Quod redijt Dominus ad orandum non solum secundo, sed & tertio, admonet nos in oratione esse perseuerandum. Quod vero in fine semper adiunxit, fiat voluntas tua, oportere nos nostram relinquere voluntatem, & omnia quæ à Deo petimus diuinæ relinquere voluntati insinuare voluit. Quod autem redijt ad Discipulos, sollicitudinem quã habet de sua Ecclesia ostendit. Ter visitat in primitiua Ecclesia. Primo, quæ est præcipuæ martyrum. Postea in subsequenti, scilicet, confessorum, quæ ad nostra vsque tempora se extendit, in quo oculi Ecclesiæ sunt multum grauati, & in fine visitabit. Nempe excitatio vltima fuit cum Dominus profectus est ad mortem ad Ecclesiam viuificandam. Sic & vltima excitatio erit in resurrectione à mortuis ad vitæ immortalitatem. Excitauit ergo, & dixit. Surgite eamus, ecce appropinquabit qui me tradit. Et adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs, & fustibus missi à Principibus Sacerdotum, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens. Quemcunque osculatus fuero ipse est, tenete eum. Id enim dixit propter Iacobum minorem, qui in corporis liniamentis Christo omnino similis erat. Et confestim accedens ad Iesum dixit. Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Ostendẽs se amicum esse, cum esset traditor, & inimicus. O bone Iesu ista non sunt oscula matris dum puer eras. Hæc non sunt oscula Ioseph, non Simeonis, non Annæ, non oscula Magorum te adorantium. Non pastorum, non Magdalenæ suis lacrymis, non Discipu

Ter visitare Apostolos ostendit curam Ecclesiæ.

In osculo Iudæ commiseratio.

Discipulorum bonorum. Dixitque illi Iesus Amice, ad quid venisti? O Iuda (inquit Christus submissa voce) tot signa amoris cor tuum induratum commouere non potuerunt. O Iuda, ego te elegi in Apostolum, & te elegisti tradere me Iudæis. O Iuda, ego meum dispensatorem te feci, pecuniæ tibi non defuerunt, cur ergo me vendidisti. O Iuda, ego te defendi & excusaui, quando murmurasti, & tu contra me os tuum aperuisti. O Iuda, ego semper tibi fidelissimus fui, & tu tradidisti me infidelibus. O Iuda, ego laui pedes tuos in cœna, & tu lauas manus tuas in sanguine meo. O Iuda, ego corpus meum tradidi tibi in salutem tuam, cur ergo me tradidisti in damnationem animæ tuæ? O Iuda, ego fleui super te in cœna, reuertere igitur, & noli timere, quia ego suscipiam te. Cum autem recessisset Iudas, tunc accesserunt, & magnus violentas, atque sacrilegas iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Imò & ligauerunt, teste Ioanne. Hoc loco tres Euangelistæ omittunt id, quod solus Ioãnes commemorat, quòd Iesus cum processisset obuiam turbis dixit. Quẽ quæritis? Quibus respondentibus, Iesum Nazarenum, & ipso dicente. Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Retro enim cadunt omnes mali. Cumque secundo idem interrogasset, & illi similiter dedissent responsum, dixit Iesus. Dixi vobis, quia ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos abire. Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, videlicet, Petrus in Christi amore feruentior extendens manum exemit gladium suum, quo vti solent piscatores, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, videlicet, Malchum famulum Cayphæ, amputauit auriculam eius dexteram. Nam vt Ambrosius asserit, Petrus satis eruditus in lege sciuit commendatum esse opus Phinees filij Eleazari, qui zelo Dei perfodit Zambri cum alienigena fornicantem. Ita eodem zelo voluit filium Dei vendicare. Tunc ait illi Iesus. Conuertere gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui materiali gladio percusserint quo omne designatur nocendi instrumen

Ioan. 28.

Quomodo mali cadũt retro.

Ambros.

mentum, pro non tantum materiali, sed & spirituali gladio, qui est diuina visio ferientur. Reprehendens inquam Christus Petrum, quia ope non egebat humana, subdit. An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit ad obediendum mihi plusquā duodecim legiones Angelorum? Qui adeo fortes sunt, vt

4.Reg.19 vnus percusserit vna nocte in castris Assyriorum centum octogintaquinque milia hominum. Verum præsidio non egebat, aut humano, aut angelico cum & ipse Deus esset, potentior hominibus, & Angelis. Sed oblatus est, quia ipse voluit, vt implerentur oracula Prophetarum. Deinde sanauit auriculam eius. In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladijs, & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Tunc Discipuli omnes relicto eo fugerunt, vt adimpleretur ora-

Zach.13. culum Zachariæ, dicentis. Percute pastorem, & dispergentur oues.

Quartum mysterium. Quartum mysterium fuit ipsius præsentatio. Iudæi enim tenentes Iesum duxerunt illum ad Annam primum, vt Ioannes testatur. Erat enim socer Caypħæ Pōtificis anni illius. Erat autem Cayphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Pontifex ergo interrogauit Iesum de Discipulis suis, & de doctrina eius. Cui Iesus. Ego palam locutus sum mundo, nihil in occulto locutus sum. Interroga ergo eos qui me audierunt, &c. Tunc vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens. Sic respondes Pontifici? O ministrum pessimum, qui audet percutere Dominum cœlorum, & Angelorum. O maxima patientia Christi, qui ita humiliter respondit. Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, cur me cædis? Deinde duxerunt Iesum ad Caypham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & Pharisæi, & seniores conuenerant ad tractandum cum Pontifice de morte eius. Petrus autem sequebatur Iesum à longe, non audens propè accedere

dere ad turbam, ne cognitus caperetur. Similiter adoleſcens amictus ſyndone ſuper nudo corpore, qui cum teneretur à comprehenſoribus Chriſti, relicta ſyndone nudus fugit ab eis, vt refert Marcus. Qui vt a pluribus fertur, Ioannes erat, notus Pontifici. Sequebatur itaque Petrus vſque in Atrium Principis Sacerdotum. Et ingreſſus intro per primam portam, ſedebat cum miniſtris, vt videret finem. Princeps autem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum. Et recte dicitur, quærebant falſum teſtimonium, quia nullum verum vt eum morti traderent, inuenire potuerunt. De quibus falſis teſtibus Dominus per Pſalmiſtam, dicit. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Duo quoque nouiſſimi teſtes, qui dixerunt Dominum dixiſſe, poſſum deſtruere Templum Dei, & in triduum reædificare illud etiam falſi fuerunt, quoniam Chriſtus de Templo corporis ſui ſimpliciter loquebatur. Quinimò & omnes ſciebant hæc teſtimonia eſſe falſa. Quamobrem Chriſtus tacebat. Videns autem Princeps Sacerdotum Ieſum nihil reſpondere ad ea, quæ ſibi obijciebatur, necnon & falſa illa teſtimonia, eſſe inualida, fortiorem quærit, magiſque apparentem occaſionem & ait ei. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei viui. Dixit illi Ieſus. Tu dixiſti. Veruntamen dico vobis. Amm odo, id eſt poſt hanc horam, videlicet, in die iudicij, videbitis filiũ hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, id eſt in potioribus bonis Dei patris, tanquam iudicẽ omnium quando omnia erunt ei ſubiecta. Tunc enim videbunt in quem pupugerunt. Et venientem in nubibus cœli ad iudicium. Vbi nota, quòd ſi adiuratus Dominus non reſpondiſſet, tanquam diuinitatis contemptor, reus, & morte dignus, iudicatus fuiſſet. Si autem reſpondiſſet non ſum Chriſtus, & in hoc quoque reus mortis fuiſſet proclamatus, quòd decepiſſet populum, qui eum tanquam Meſſiam, & Chriſtũ ſequebatur. Si vero dixiſſet ſum Chriſtus, in hoc etiam eum dignum morte pronunci

Mar. 14

Teſtes falſi cõtra Xp̃m.

nunciasset, quod se filium Dei dixisset. Sic existimauit insidiosus hostis eum, neque tacendo, neque loquendo euadere posset, apparentem mortis occasionem. Dominus vero, nomen per quod adiuratus fuit honorauit, & veritatem asseruit absque blasphemia dicendo se Deum, & Dei filium esse. Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens. Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt. Reus est mortis. In signum magnæ detestationis, & intollerabilis in Deum blasphemiæ, Cayphas scidit vestimēta sua, & omnes adiudicarunt ipsum esse reum mortis, de quibus scriptum est. Odio iniquo oderunt me. Et rursum: Cum loquebar illis impugnabant me gratis, Sic iustitia ab iniquitate, sic vita à morte, sic veritas à mendacio condemnata est. Verum nec dum illis ea sufficere, sed vt Matthæus asserit, tunc expuerūt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, dicentes. Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Velabāt autem faciem eius, quam Angeli sancti prospicere desiderant. Quemadmodum iam dixerat ipse Dominus per Isaiā. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.

Cur Christus adiuratus respondit.

De contumelijs iudæorum in Christum. Isa. 50.

Matth. 26. Petrus vero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla, dicens. Et tu cum Iesu Galilæo eras? At ille negauit coràm omnibus, dicens. Nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi. Et hic erat cum Iesu Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem. Et post pusillum, accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro. Vere & tu ex illis es. Nam & loquella tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, & iurare se non nouisse hominem. Et continuo gallus cantauit. Ecce quomodo Petrus ter Dominum negauit, qui prius dixerat, & si omnes scandalizati fuerint, ego nūquam scandalizabor. Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Ad denotandum

De trina negatione Petri.

Luc. 22.

neminem

neminem suis proprijs viribus confidere debere. At gallo canente (vt Lucas testatur) conuersus Domino respexit Petrum. Et quid est Dominum respicere Petrú. Nisi per misericordiam suam tangere mentem eius ad verbi sui recordationem, & cordialem pœnitentiam. Sic respicit Deus omnes peccatores, & omnes electos, dicente Psalmista. Respice Domine in seruos tuos, &c. Sic respexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Respice igitur & nunc Domine super hanc congregatam familiam tuam, &c. Confestim autem recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat. Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare. Fleuit peccatum, & arrogantiam suam.

Cur Dominus respexit Petrum

Quintum mysterium fuit ipsius condemnatio per iniustam Pilati sententiam. Nam cum Princeps Sacerdotum Principem vitæ morte dignum iudicasset, mane facto, vt inquit Matthæus, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi, quoniam potestatem non habebant crucifigendi. Id enim erat Prætoriæ Potestatis. Et hoc quidem genus mortis in suo consilio exquisierant, decreuerantque cum esset omnium detestatissimum. Quod & Dominus eos facturos iam sæpe prædixerat per Hieremiam dicens. Cogitauerunt super me consilia dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Tunc videns Iudas qui tradidit eum, quòd damnatus esset, id est, Iesus iam à Iudæis esset morti adiudicatus, & à Pilato damnandus, penitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens. Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt. Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, abiens laqueo se suspendit. Penituit enim Iudam, sed non vere: quia penitentia eius non fuit cum spe veniæ, sed desperationi coniuncta. Et velut nouus Chaym arbitratus est maiorem esse iniquitatem suam, quam vt veniam mereretur.

Quintum mysterium.

Hier. 2.

reretur. Doluit ſe tradidiſſe Dominum, confeſſus eſt peccatum ſuum, & hoc Sacerdotibus vt Chriſtum liberarent, quem intelligerent eſſe innocentem. Reſtituit argenteos quibus male pepigerat. Sed hanc pœnitentiam Iudæ, & hanc innocentiæ Chriſti confeſſionem, hanc quoq; ſatisfactionem pro Chriſti liberatione nihil ipſi curarunt, quinimò Iudæ plenum deſperationis laqueũ parauerunt, dicentes. Quid ad nos ſi peccaueris, tradés ſanguinem iuſtum? Tu videbis, tu cognoſces, & intelliges te peccaſſe, cum fueris in pœnis. Id non eſt noſtrũ, ſed tuum peccatum eſt. Nos ſumus inſontes, tu ſolus pęnam lues. Et hanc quidem reſponſionem cum audiſſet Iudas, in abyſſum deſperationis cadens, accepto laqueo ſeipſum ſuſpendit. Et vt ſcribitur in Actis, ſuſpenſus crepuit medius, & viſcera illa quę Dominum glorię tradiderant, & quæ indigne eum in ſancta Sinaxi ſuſceperant, omnia effuſa ſunt. Illis autem quibus proiectis ſatisfacere voluit argenteis, emerunt Sacerdotes agrum figuli pro ſepultura Peregrinorum. Vt adimpleretur prophetia Hieremiæ (quæ vitio ſcriptorum in libro noſtro reperitur) ſcilicet, Et acceperunt triginta argenteos, qui fuerunt precium appreciati, quem appreciauerunt à filijs Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Similis etiam habetur in Zacharia, dicente. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me. Proijce illud ad ſtatuarium. Decorum precium, quo appreciatus ſum ab eis. Et ſi hæc prophetia in Hieremia minime reperitur, forte Hieremiam loco Zachariæ ſcripſerunt.

Quomodo Iudas laqueo ſe ſuſpendit.

Zach. 11.

Ieſus autem ſtetit ante Præſidem, capite inclinato, vultu in terram demiſſo, vinctis manibus ſilentibus labijs, atque mitiſſimo corde. Et interrogauit eum præſes. Tu es Rex Iudæorum? Quemadmodum inducitur in Ioanne. Nam cum Iudæi adduxiſſent Ieſum ad Pilatum in Prætorium, & non vellent introire locum viri gentilis ne macularentur: Pilatus exiuit ad eos. & videns Ieſum ligatum, tanquam mortis reum interrogauit

Ioan. 18

gauit causam mortis, dicens. Quam accusationem affertis aduersus hominem istum? Sciuit enim Pilatus consuetudinem esse Romanis, vt neminem damnarent ad mortem, nisi præsentes haberent accusatores, & locum se defendendi acciperet reus. Itaque hanc voluit obseruare legem. Cui primo responderunt Iudæi. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Quibus dixit Pilatus. Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate. Tanquam diceret. Si sufficit vobis causam rei, & accusationem inquirere, etiam vos ipsum iudicate. Cui dixerunt Iudæi. Nobis non licet interficere quenquam.

Quattuor vijs vsus est Pilatus vt liberaret Christum.

Hic non est ignorãdum quomodo Pilatus quattuor modis vsus est, vt Christum liberaret sciens Iudæos eũ per inuidiam tradidisse.

Primus modus.

Primo, per ipsius examinationem, & interrogationem. Nam cum ipsæ maiorem quæreret accusationem, tunc Iudæi in tribus Christum accusarunt. Dicebant enim, vt refert Lucas Euangelista: Nunc inuenimus subuertentem gentem nostram. Deinde, prohibentem tributa dari Cæsari. Rursus, Dicentem se Christum Regem esse. Duo primo obiecta, tanquam falsa, respuit Pilatus, sed propter tertium interrogauit an esset Rex Iudæorum. Et dixit ei Iesus. Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Dixit itaq; ei Pilatus. Ergo Rex es tu. Respondit Iesus. Tu dicis, id est, ita est, quia Rex sum ego. Et in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui ex veritate est, audit vocem meam. (Et hæc Christum dixisse, Ioannes testatur) Dicit ei Pilatus. Quid est veritas? Et statim exiuit ad Iudæos, & ait ad Principes Sacerdotum, & Turbas. Nullam inuenio causam in hoc homine. Ecce primus modus quo Pilatus voluit liberare, & dimittere Christum. Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum, & senioribus, nihil respondit, quia mortem euadere noluit. Tunc dicit illi

Tres accusationes Iudæorum cotra Christũ

Pilatus.

Pilatus. Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer.

Secundus modus liberandi Chriſtum.

Deinde Pilatus inuenit alium modum ad ipſum liberandum. Nam vt Lucas commemorat, dicentibus Iudæis: Commouit totum populum incipiens, à Galilæa, Pilatus interrogat an Galilæus eſſet. Et cum cognouiſſet, miſit eum ad Herodem, qui viſo Ieſu gauiſus eſt valde, quia diu optauit eum videre, propter famam eius ſperauitque aliquod miraculum videre ab eo fieri. Cumq. multa quæſiſſet à Ieſu, & nullum ab eo reſponſum ſuſciperet, ſpreuit eum cum exercitu ſuo, & illuſum ac alba veſte indutum, remiſit Pilato. Et facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in die illa. Nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, exiuit ad eos foras, & dixit eis. Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum. Ecce adduco eum foras, vt cognoſcatis quia in eo nullam cauſam inuenio, ex his in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes, nam remiſit illum ad nos, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Et ita per hunc ſecundum modum optauit dimittere eum, & non valuit.

Tertius modus liberandi Chriſtũ.

Rurſus, aliam viam agreſſus eſt. Nam per diem ſolénnem, hoc eſt in ſolennitate Paſcali conſueuerat præſes dimittere populo Iudæorum vinctum, vnum quem voluiſſent, in memoriam liberationis patrum ſuorum de terra Ægypti. Id enim Iudæi obtinuerat a Romanis. Habebat autem præſes Pilatus tunc vinctum vnum inſignem, id eſt in ſcelere famoſum, qui dicebatur Barabbas, qui propter homicidium miſſus fuerat in carcerem, vt Lucas aſſerit. Ioannes autem vocat eum latronem. Congregatis ergo principibus ſacerdotum, & plebæ Iudæorum dixit illi Pilatus. Quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Ieſum qui dicitur Chriſtus? Pilatus enim toto affectu cupiens Ieſum eripere proponit eis vnum ſceleratiſſimum, & alium innocentem, putans, quòd nullo modo eligerent Barabbam

bam sibi dimitti, sed Iesum. Vere longe aliter euenit. Nam principes sacerdotum persuaserunt populis vt peterent Barabbam sibi dimitti, Iesum vero perderent. Ideo dicente Pilato, quem vultis vobis de duobus dimitti dixerunt, Barabbam. Et respondente illo, quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes. Crucifigatur. O igitur cæca, & obtusa Iudæorum corda. Nonne Christus est ille qui vestras curauit infirmitates, demoniacos liberauit, mortuos suscitauit, esurientes aluit, ignorantes docuit vestram cæcitatem, futuramque destructionem fleuit. Vos autem ipsum crucifigi, & Barabbam latronem dimitti turpiter clamatis. Siquidem impletum est id quod Dominus per Dauidem dixit. Circundederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. *Exaggeratio in Iudæos.*

Alteram viam tentauit Pilatus vt Dominum liberaret. Nam vt Ioannes fatetur, apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit, & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant. Aue Rex Iudæorum. Et dabant ei alapas. Et ita flagellatum produxit eum foras portantem coronam spineam, & purpureum vestimentum volens sic eorum sedare animos, & ad misericordiam flectere, sicque emendatum innocentem dimittere. Clamabant autem omnes dicentes. Tolle hunc, & crucifige eum. Et dicente Pilato, Accipite eum vos, & crucifigite, ego enim non inuenio causam in eo. Responderunt Iudæi. Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Quo audito, Pilatus magis timuit. Et ingressus prætorium, iterum dixit ad Iesum. Vnde es tu? Sed non respondit ei. At Pilato dicenti, Mihi non loqueris, nescis quia potestatem habeo crucifigendi, & dimittendi te, respondit Iesus. Non haberes potestatem aduersum me, nisi data fuisset tibi desuper. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem *Quartus modus liberandi Christum.*

autem clamabant, dicentes. Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Et iterum clamabant, Crucifige eum. Quibus Pilatus. Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices. Non habemus Regem niſi Cæſarem. Sedente autem eo pro Tribunali, hoc eſt, in ſede iudiciaria, vt ſententiam ferret contra Chriſtum, miſit ad eum vxor eius, dicens. Nihil tibi, & iuſto illi, id eſt, non præſumas aliquid agere contra eum. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum, id eſt, in viſionem propter eum. Diabolus nempe qui ab exordio per mulierem conatus eſt hominum impedire ſalutem nunc quoque vxorem Pilati inſtigauit per ſuggeſtiones comminatorias in ſomno factas vt virum ſuum induceret ad Chriſti liberationem. Vehementer enim ſuſpicabatur ipſum eſſe Chriſtum, & verum Meſſiam in Lege promiſſum. At Pilatus videns, quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens. Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Vos videritis. Reſpōdens vniuerſus populus, dixit. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros, id eſt, vltio ſanguinis, & mortis eius ſit ſuper nos vſque ad vltimam generationem. Quæ & ſuperuenit, & adhuc perſeuerat. Sed hæc ablutio manuum nihil proficere poterat ei. Nam ſi nihil mali fecit, & ſi ipſum eſſe iuſtum confitebatur, cur tanquam malefactorem ita crudeliter flagellatur, & contumelijs affici permiſit? Ecce quomodo errabat Pilatus. Sed magis errauit quando dimiſit illis Barabbam, Ieſum autem flagellatū tradidit eis vt crucifigeretur. Et tunc exuerunt eum chlamydem, & purpuream, & induerunt eum veſtimentis eius, & adduxerunt eum vt crucifigerent extra ciuitatem Hieruſalem, baiulantem ſibi crucem. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum venientem de villa, nomine Simonem, patrem Alexandri, & Ruffi, ſecundùm Marcum, qui & ipſi erant Diſcipuli Chriſti. Hunc angariauerunt, id eſt timore, & minis coëgerunt, vt tolleret crucem eius. Et ita eduxerunt Ieſum, inter duos latrones

Ordo hiſtoria Paſſionis.

Vltimus modus, quo voluit Pilatus Chriſtū liberare.

trones crucifigendos. Sequebatur autem illum turba multa populi,& mulierum,quæ plangebant,& lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus dixit. Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me,ſed ſuper vos,& ſuper filios veſtros,quoniam ecce venient dies in quibus dicent. Beatæ ſteriles,& ventres quæ non genuerunt,& vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt,in arido quid fiet? Poſtquam autem venerunt in locum qui dicitur Golgatha,quòd eſt Caluariæ locus à craneis decollatorum quæ illic (vt quidam aſſerunt) inſepulta iacebant. Vel Caluariæ locus à Caluarijs occiſorum ſuſpenſorum,ſeu decollatorum appellabatur,crucifixerunt eum & diuiſerunt veſtimenta eius ſortem mittentes, vt impleretur,quòd dictum eſt per Prophetam dicentem. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,&c. Deinde impoſuerunt ſuper caput eius ipſius cauſam ſcriptam. Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Quæ verba,vt Ioannes teſtatur, ſcripta erant Hebraicè, Grecæ,& Latinæ. Quæ ſunt tres præcipue linguæ ad quas omnes aliæ reducuntur. Vt omnis lingua ex titulo cognoſceret illum eſſe regem,& Meſſiam in lege promiſſum. Et crucifixi ſunt cum eo duo latrones,vt inquit Matthæus, vnus à dextris,& alter à ſiniſtris. Sicut ſcriptum erat de illo. Cum ſceleratis,& iniquis crucifixus eſt. Prætereuntes autem blaſphemabant eum mouentes capita ſua,& dicentes. Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas. Salua temetipſum,&c. Similiter, & principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis, & ſenioribus dicebant. Alios ſaluos fecit,ſeipſum non poteſt ſaluum facere,&c.

Vaticinium Chriſti contra Hieruſalem.

Iſa. 53.

De ſeptem verbis Chriſti in cruce.

Sextum miſterium.

SExtum miſterium fuerunt verba quæ dixit Chriſtus in cruce. Nempe protulit primum verbum pro ſuorum inimicorum ſalute,cum dixit.

Primũ verbum Chriſti in cruce. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Siquidem non pro eis orauit, vt inquit Beda, qui per inuidiam, & ſuperbiam eum quem filium Dei intellexerunt, negantes crucifixerunt. Sed pro eis qui zelum Dei habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam neſcierunt, quid fecerunt. Non igitur fruſtra orauit, ſed eis, qui poſt eius Paſſionem crediturí erant, væniam impetrauit. *Act. 2.* Nam die vna, vt in Actis ſcribitur, conuerſi ſunt tria milia, & alia die quinque milia. Hoc itaque fuit illud Moyſi ſaluberrimum verbum. *Exod. 32.* Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro Vitæ, quem ſcripſiſti. *Rom. 9.* Apoſtolus quoque: Optabam ego ipſæ anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Id verbum etiam amplexatus eſt Stephanus, dum inter lapides ait. Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.

Secundum verbum ad Latronem dirigitur pœnitentem. Nam vnus de his, qui pendebant latronibus blaſphemabat eum, dicens. Si tu es Chriſtus, Saluum fac temetipſum, & nos. Quem alter increpans ait. Neque tu times Deum, quia in eadem damnatione es. Et nos quidem iuſtæ. Nam digna factis recipimus, Hic vero nihil mali fecit. Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum. Cui Ieſus.

Secundum verbũ Chriſti. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.*

Et quid eſt eſſe in Paradiſo, niſi eſſe cum Chriſto in gloria? O igitur beati qui tecum ſunt. Ecce conſolatio magna, quę pœnitentibus, & peccata ſua confitentibus præſtatur. Qui hodie, & quotidie in Paradiſo dicuntur per gratiam, & in fine per gloriam. Et in quadã requie, & ſecuritate conſcientiæ ſuæ. Ecce, quàm liberalis eſt Dominus, qui Latroni Regnum, crucifixo cœlum, dãnato Paradiſum pro breui petitione largitus eſt.

Tertium verbum fuit, pro conſolatione Matris, quã in anguſtijs deſolatam intuebatur. Dixit ergo.

Tertiũ verbũ Chriſti. *Mulier, ecce filius tuus. Deinde dixit Diſcipulo. Ecce mater tua.*

Id enim verbum dixit Chriſtus ad ſollicitudinem oſtendendam, quam quilibet erga parentes habere teneʼtur.

tur. In quo etiam nos docuit compati parentibus nostris afflictis, & in necessitatibus subuenire, curam quoque, & debitum obsequium eis impendere, & quantum fieri potest parentes honorare. In hoc insuper quòd Ioanni matrem commendauit, non modicam ipsius dignitatem insinuare voluit. Ideo ex illa hora, & quandiu vixit Maria, accepit eam Ioannes in suam, scilicet matrem, licet fuerit valde dissimilis commutatio illa. Tradidit enim Dominus Matri Ioannem pro Iesu, seruum pro Domino, Discipulo pro Magistro, hominem pro Deo, filium Zebedæi pro filio Dei, nepotem pro filio suo. Quis enim sine lacrymis hæc verba audire possit? O Domina, quales cogitationes succedebant in te cunctam inextimabilem commutationem ab ipso, quem super omnia diligebas tibi fieri audiebas. Veræ tuam animam pertransiuit gladius.

Quartum verbum protulit Dominus, dicens.

Hely Hely, lamazabathani.

Quartum verbũ Xp̃i.

Quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? In hoc enim tantum dereliquit eum Dominus, id est, natura diuina, quia Iudæis, & morti præbuit auctoritatem, vt eum affligerent, & occiderent. Aliter id fieri minime potuisset. Subtraxit quidem Deus protectionem, sed non soluit vnionẽ. Quidam autem illic stantes, & audientes, scilicet, Gentiles, qui cum Hebraicæ linguæ essent ignari, cum clamaret, Hely Hely, quod Hebraicæ designat Deus meus, arbitrati sunt, quòd vocaret Helyam, quasi Hely, Helyam barbaricæ significaret.

Quintum verbũ Xp̃i.

Quintum verbum subdit Dominus, dicens. *Sitio.* O domine Iesu, tu alias per Isaiam dixisti: Omnes sitientes venite ad aquas. Et per Hieremiam. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, &c. Et per Ezechielem: Ecce ego effundam super vos aquam mundam. Et in Euangelio Ioannis. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet vltra, sed fiet in eo fons aquæ viuæ. Cur modo clamas, Sitio. Sed in hoc ostenditur Christi ardens desiderium

pro salute generis humani, qui vult omnes homines saluos fieri. Nam vehemens desiderium exprimere consueuimus per sitim. Ideo Psalmus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. O Domine quid sitis. Certe fidem vestram, animarum redemptionem, gaudium humanæ salutis, inquit ipse. Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam, impleuit aceto cum felle mixto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Vt id Psalmi vaticiniũ adimpleretur. Dederũt in escã meã fel, &c.

Sextum verbum adiecit Dominus dicens.

Consumatum est.

Sextum verbum Christi.

Quid est dicere consumatum est, nisi totum completum est in opere etiam vsque ad aceti potum, quidquid de me lex, & prophetæ prædixerant. Et quidquid de me scriptum erat, & opus redemptionis humanæ, & omne quod in mundo facere debui, consumatum est, & perfectum. Omnis pœna, & omnis pugna completa est. Omnisque labor, & dolor quem suscipere veneram, finitus est. Totum vetus testamentum, sacrificium sacramentum, Pascha, & omne Sabbatum consumatum est. Nec quidquam iam restat, nisi vt moriar. Et adhuc fieri oportet.

Septimum verbum, & vltimum protulit Dominus cum clamore valido, & lacrymis dicens.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Septimum verbum Christi.

Per id verbum voluit nobis palam ostendere sanctorũ animas ex tunc in manus Dei ascendere. Nam prius ab inferis omnium animæ tenebantur, donec venit qui captiuis redemptionem prædicauit. Commendat enim patri per se vniuersos mortales in se viuificatos. Nam sumus membra eius secundum illud Apostoli. Omnes vnum estis in Christo. Dominus quippe existens in cruce, suum condidit testamentum. Reliquit enim animam patri, corpus Ioseпho, & Nicodemo vt sepulturæ traderent, sanguinem longino, vestes crucifixoribus, matrem suam Ioanni, paradisum latroni, Iudeis captiuitatem & obstinationem, Apostolis crucem, & persecutionem, Magdalenæ, & omnibus peccatoribus,

Galat. 3.

Testamentum Christi

bus lacrymas in memoriam paſſionis ſuæ.

Septimum myſterium fuerunt ſigna, quæ in ipſius morte apparueruut quæ in numero quinque fuerunt. *Septimum myſterium.*

Primo, à ſexta hora tenebre factę ſunt ſuper vniuer ſam terram vſque ad horam nonam. In quibus tenebris, Chriſtus inclinato capite tradidit ſpiritum. Vnde præter miſſis aliorum aſſertionibus, dicendum eſt illam primi corporis obſcuritatem eclypſim fuiſſe, præter ſolitum naturæ curſum, & conſuetum eclypſationis modum, quæ nunquam in Sole agitur, niſi cum inter ſolem, & terram in tota vel in parte, Luna interponitur. Sed tunc temporis librabatur in inferiori emiſpherio ſub terra deorſum. Sol vero in ſuperiori emiſpherio ſuper terra in altioribus ſuæ ſpheræ partibus ferebatur. Id ergo miraculum fuiſſe conſtat. Cui aliud ſubſequebatur, quia cum luna fuiſſet ſuppoſita ſoli hora ſexta in medio cœli, in veſperis tamen reſtituta eſt ſuo loco in oriente. Sicque ordo temporis minime confuſus eſt. Aliud quoque ſubſecutum eſt miraculum, quoniam naturalis eclypſis breuiter durat, tandiu videlicet vt Luna pertranſeat ſolem. Tunc autem tribus horis immobiliter ſub Sole manſit. Fuit inſuper totus ſenſibilis mundus in omni ſua parte obtenebratus. *Eclypſis ſolis miraculoſa.*

Secundo, velum templi ſciſſum eſt a ſummo vſque deorſum, quod viam cœli apertam monſtrabat, & mediam inter Deum, & homines inimicitiarum materiam diſſolutam, & velamen antiquæ legis, antiquarumque ceremoniarum ſublatum teſtabatur. *Secundum miraculum*

Tertio, petre ſciſſe ſunt ad denotandum duriſſima in fidelium corda fide, & Apoſtolorum prædicatione emolienda. Monumenta aperta ſunt, quod ſignum erat futuræ reſurrectionis, & preſertim eorum qui cum Chriſto ſurrexerunt. Et multa corpora ſanctorum qui dormierunt ſurrexerunt. Non quidem tunc cum Chriſtus emiſit ſpiritum, ad Inferos deſcenſurus, ſed cum reſurrexit. Chriſtus enim primitiæ dormentinm, & primogenitus ex mortuis, vera quidem, & non amplius morti obnoxia reſurrectione fuit. Sed, & captiuam *Tertium ſignum miraculoſum.*

duxit captiuitatem, & hi sunt qui cum eo surrexerunt, & de morte transierunt ad vitam. Et post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerũt multis. Deinde cum eo nunquam vltra morituri, abierunt in cœlum. Ad designandum omnes qui in ipso viuificantur ituros in cœlestem Hierusalem, & apparituros multis Angelorum, & agminum cœlestium Hierarchijs. Diuisio igitur veli Templi a summo, vsque deorsum, scissio saxorum, aperitio monumentorum, omnino miraculum astruunt. Qm̃ opus naturę non fuit, nec ars humana vt hoc operaret assuit, nec accedere potuit.

Quartũ miraculosum signum. Quarto terræmotus, qui nunc & in resurrectione conterruit, etiam opus miraculosum fuit, quoniam quã uis ex naturæ cursu interdum proueniat, etiam tam vehemens vt ædificia sæpe subuertat, non tamen illo in tempore opus naturæ fuit, sed natura in suis a Domino requisita morienti, & resurgenti Christo seruiuit.

Quintum signum miraculosum. Quinto, exitus aquæ, atque sanguinis ex latere ad miraculum spectat, quoniam post mortem infrigidatumque corpus iuræ naturæ; nec sanguinis, aut aquæ potest esse decursus. Hæc omnia cura fierent, non est mirabile si multi territi fuerunt, quia cœlum, & terra, & petræ durissimæ, & elemẽta omnia visa sunt lugere Dominum suum. Centurio igitur, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes. Verę filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum, à Galilæa, ministrantes ei. Inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi, &c.

SABBATO SANCTO, SVPER Euangelium Matthæi.

Matth. 28 V*Espere autem Sabbato quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrũ. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus autem*

Domi

Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

Sabbatum multipliciter sumitur in Scripturis. Interdum pro hebdomada tota iuxta illud Zachæi. Ieiuno bis in Sabbato. Nonnunquam pro septimo hebdomadis die, dicente Domino ad Moysen. Sabbati diem memento vt sanctifices, quia Sabbatum domini Dei tui est die septimo, & Sabbati diei benedixit Dominus, & sanctificauit eum. Sabbatum enim requies interpretatur. Itaque diem in hebdomada determinatam non importat, quia quælibet hebdomadis dies ad requiem, & celeberrimam festiuitatem dicata, Sabbatum dicebatur in Lege, sicut Leuitici narrat historia, Mense septimo, inquit Dominus, prima die mensis erit vobis Sabbatum memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum. Omne opus seruile non facietis in eo. Item: Decimo die huius mensis septimi dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur sanctus. Nihil ergo operis facietis in eo. Legitimum sempiternum erit vobis, quia Sabbatum requietionis est. Die nono mensis septimi à vespera, vsque ad vesperam, celebrabitis Sabba ta vestra. Item: A die quintodecimo mensis huius septimi erunt feriæ Tabernaculorum. Et ita die primo, & octauo Sabbatum erit, id est requies. Sabbatum igitur requiem, & sanctificationem tantum denotare videtur. Et ita non dicit aliquam diem hebdomadis determinatam. Nam quilibet dies festus Sabbatum dicebatur, etiam in quocunque die fuerit. Duo nanque præcepit Deus. Primo, vt homo cessaret ab omni opere seruili. Secundo, vt sancta exerceret opera, vt, scilicet, in illa die soli Deo latriam seruitutem exhiberet, ab omni opere alio cessando, sicut Exodi pandit historia. Itaq; sabbatizare est ab operę seruili cessare, necnon & opera sancta efficere. At quoniam nemo potest diem sanctificare peccando, & male agendo, ideo prius à peccatis abstinere opus erat.

Luc.12. *Exod.20.* *Duplex sabbatum.* *Leuit. 2* *Sabbatũ ad duo præceptum fuit* *Exod. 20, & 21.*

Rursus, ignorare non decet Deum præcepisse Sabbatum celebrari ob duplicem memoriam, creationis, scilicet, & liberationis. Creationis quidem, dicente Moyse. Sabbatum pactum dicitur sempiternum inter Deum & filios Israël, & signum perpetuum, vt sciamus & meditemur sex diebus à Domino facta fuisse omnia, cœlum, scilicet, & terram, septimo autem die cessauerit ab omni operæ suo. Deinde ob memoriam exitus Israël de Ægypto. Vnde Dominus dicit. Obserua diem sabbati, &c. Et subdit. Memēto quòd seruieris in Aegypto, & dominus Deus tuus eduxit te inde in manu forti, & brachio extenso. Iccirco præcepit tibi Dominus vt obserues diem Sabbati. Quibus verbis, populum Israël die Sabbati ad vesperam exisse de Aegypto, palam insinuatur. Fuit insuper præceptum & datum in signum, dicente Domino. Videte vt Sabbatum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos in generationibus vestris. Et per Ezechielem. Dedi eis Sabbata mea vt essent eis in signum sempiternum, &c.

Exod. 31. *Deut. 5* *Cur sabbatū celebrari præceptum est.* *Exod. 31.* *Ezec. 20.*

Præterea, scire contingit omnia Sabbata Deum celebrari mandasse semper in fine alicuius septenarij. De primo Sabbato liquet, cum semper die septimo celebretur. Sed & festum nouarum frugum in Pēthecostes celebrari præcepit in fine septimæ hebdomadæ post Pascha. Quemadmodum Leuitici & Numeri declarant historiæ. Necnon & festum tubarum, expiationis, & Tabernaculorum in septimo mense celebrari præcepit. Patet ibidem. Illud quoque quod Sabbatum terræ appellabatur vt celebraretur in septimo anno, Leuitici liber pulcherrime declarat. Iubileum insuper in fine septime hebdomadis annorum, qui annus quinquagesimus appellatur, & Sabbatum generalis remissionis (vt patet ibidem) celebrari præcepit, ad denotandam Christi requiem in sepulchro septima hebdomadis die necnon, & perpetuam requiem sanctorum in cœlis in septima mundi ætate. Præcepit igitur Deus Sabbatum celebrari ad requiem hominis, & sanctificationem, ad latriam Deo exhibendam, in memoriam quoque creationis,

Leuit. 23. *Num. 29.* *Leuit. 25.* *Cur sabbatū celebrabatur.*

tionis, & exitus Israël de Ægypto, & tandem in signum
mortis Christi, & in signum fœderis & fidei. Quæ om-
nia fuerunt in Christo completa. & per ipsum declara-
ta. Itaque adueniente Christo, vt talia cessarent operę-
precium fuit. Nam adueniente veritate & vero signifi-
cato, deficiunt signa & ænigmata. Ob memoriam etiam
Dominicæ resurrectionis. Sabbatum translatum est in
Dominicam diem, de qua Dauid in Psal. Hæc dies quã
fecit Dominus, &c. Necnon ob quàm plurima priui-
legia illius sacratissimæ diei, de quibus quamplurimi
Doctores diffusæ loquuntur.

Vt igitur ad primum propositum redeamus, dicit
Euangelistæ. Vespere autem Sabbati in quo Chri-
stus in sepulchro quieuit, qua vespera lucescit, id est, lu-
cere cœpit in prima Sabbati, hoc est in principio diei
immediate sequentis Sabbatum seu diem Iudæorum
festiuum, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria,
videlicet Maria Iacobi. Marcus autem asserit venisse
Maria Magdalenæ, Mariam Iacobi & Salome. Lucas
vero nominat Mariam Magdalenæ, Mariam Iacobi,
& Ioannem quæ fuit coniunx Chuzæ procuratoris
Herodis. Et ita videtur Lucas innuere plures fuisse
mulieres quæ, scilicet, à Galilæa secutæ fuerant Iesum,
& venerunt videre sepulchrum, quinimò & Christum
sepultum, & vngere corpus eius. Et si quispiam di-
cat, quomodo Euangelista Matthæus dicit eas venisse
vesperæ Sabbati, cum secundum alios Euangelistas
valde mane, & summo diluculo in prima Sabbati eas
venisse legantur. Dicendum est, quòd Euangelista
Mattheus asserit eas venisse vespere Sabbati, non quòd
hora vespertina vel ante mediam noctem arripuerint
iter, sed quia tunc se præparabant, totamque noctem
duxerunt insomnem, aromata conficiendo. Sic er-
go Matthæus per partem totum intelligit, scilicet, to-
tam noctem per vesperam in cuius noctis fine vene-
runt ad monumentum. Et ecce terræmotus factus est
magnus, & statim Angelus Domini descendit de cœ-
lo, & accedens ad speluncam monumenti amouit
lapidem

Mar. 16.
Luc. 24.

Pulchra q̃o

Cur Angelus reuoluit lapidẽ.

lapidem à monumento, non vt Christo via egrediendi pateret, sed vt Christum resurrexisse, sepulchrumque vacuum esse monstraret. Christus quippe ante lapidis reuolutionem de clauso sepulchro surrexit, quemadmodum prodijt de clauso Virginis vtero, & sedebat super eum, tanquam imperterritus Dominici sepulchri custos. Nempe secundùm Marcum ista clarius describentem, cum mulieres appropinquarent sepulchro, dixerunt adinuicem. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes per ianuam domunculæ in qua erat sepulchrum, viderunt reuolutum lapidem, qui erat magnus valde. Et introëuntes in monumentum, viderunt iuuenem, id est, Angelum, sub forma iuuenis hominis sedentem in dextris, coopertum stola candida, quemadmodum subditur. Erat autē aspectus eius sicut fulgur, id est, vultus igneum, atque terribilem, quasi scintillantem habebat, ad terrendum infideles custodes. Ideo sequitur.

Quomodo custodes timuerūt valde.

Præ timore autem eius exterriti, seu concussi sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Si quidem custodes indigni vt viderunt Angelum cum terræmotu simul, & coruscatione, non nubium, sed formæ Angeli, intus timentes, exterius concussi sunt. Et tam intus, quàm extra exanimes ferè redduntur.

Diuersorū assertio de aduētu mulierum.

Respondens autem Angelus dixit mulieribus. Nolite timere vos. Scio enim quòd Iesum qui crucifixus est quæritis. Non est hic. Surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite Discipuli eius, quia surrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.

Respondit quippe Angelus tum ad corda mulierum trepidantium, tum ad verba inter se dicta. Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et dixit mulieribus. Nolite timere vos. Hinc apparet (vt nonnulli asserunt) descensum Angeli fuisse præsentibus mulieribus, quæ nescientes illic adesse custodes, veniebant ad monumentum. Nulla enim alia ratione Angelus apposuit pronomen vos, nisi ad differentiam custodū.

Alij

Alij autem oppositum fatentur, quòd, scilicet ante mulierum aduentum iam surrexerat Dominus, & terræfacti custodes fugerant, & Angelus lapidem excusserat, & sepulchrum patuerat, & terra terrifico motu fuerat concussa. Quod & verisimilius videtur. Et si prius dictum est, venit & postea, & ecce terræmotus factus est magnus, illud venit priori loco positum per anticipationem dictum est, quæ figura apud Euangelistas, & ipsos quoque Hebræos crebra est. Deinde subdit. Scio enim, quòd Iesum qui crucifixus est, quæritis. Cui ego vnà vobiscum deseruio. Non est hic secundùm corporalem pœnitentiam, qui cœlum, & terram implet, & magnitudinis suæ finem non habet secundùm naturam diuinam. Surrexit enim propria virtute, & potestate, hac tertia die sicut prædixerat. Soluite, inquiens, Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Rursus: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ, &c. Vnde apud Lucam, Angeli feruntur ad mulieres dixisse. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Recordamini qualiter locutus est vobis cum adhuc in Galilæa esset, dicens. Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die resurgere. Venite igitur, & videte locum vbi positus erat Dominus, id est corpus Christi, & ita locum eis ostendit, vt cum esse vacuum conspicientes certiores efficerentur de Christi resurrectione. Et cito euntes dicite Discipulis eius preterea Apostolis. Marcus addit, & Petro, quem Angelus spiritualiter expressit, ne ob trinam negationem diffideret, vel inter Discipulos comparere non auderet, sed a fletu paululum cessaret præ nimia consolatione audiens Christum resuscitatum. Et ecce præcedet vos in Galilæam, vnde Discipuli eum secuti sunt. Ibi eum videbitis oculo corporali. Ecce prædixi vobis hoc, scilicet esse futurum, ut cum venerit magis credatis. Et si quispiam dicat. Asserit Lucas duos Angelos apparuisse, & mulieribus locutos fuisse, vnde Ioannes refert, quòd Maria vidit

Luc. 24.

Mar. 26

Ioan. 20.

vidit duos Angelos, vnum ad caput, & alium ad pedes vbi positum fuit corpus Iesu. Sed numerus minor non excludit maiorem, maiorque minorem complecti tur. Denique Matthæus, & Marcus loquuntur de Angelo illo, qui lapidem reuoluit, & ex amborum persona allocutus est mulieres.

Duo Angeli ad sepulchrũ Christi.

Hic non est silentio prætereundum id, quod subdit Euangelista, quòd, scilicet, quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et quæ nunciauerunt custodes? Siquidem terręmotum, & lapidem reuolutum, & visionem terrificam, vnde velut mortui iacuerant examinati. Quare intellexerant Dominum veræ resuscitatũ, neque vlla amplius opus esse custodia. Sed quid perfidi Principes Sacerdotum fecerunt, vt resurrectionis veritatem offuscarent. Congregati enim, & consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus illis dicentes. Dicite, quòd Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. O viri mendaces in quorum persona loquitur Isaias. Scelera nostra uobiscum, & iniquitates nostras cognouimus, peccare, & mentiri contra Dominum. Profectò mentiti sunt contra Dominum, cum per custodes, veritate cognita, suaderent accepta pecunia, & quidem copiosa, mentiri. Dicite, inquiunt, quòd Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. O falsitas aperta, ò mendacium clarum. Si dormiebant quomodo Discipulos venisse scierunt? Si nescierunt, quomodo testes esse potuerunt? Et si locus munitus erat, quomodo sigilla, & monimenta infringere, necnon, & ingens saxum reuoluere potuerunt? Et in tanto strepitu, quomodo dormire potuerunt omnes? Accepta ergo pecunia, ipsi custodes diuulgarunt inter Iudæos perditionis filios, diabolicum mendacium, quòd tantum valuit in ijs qui reprobi sunt, vt hodie quoque inter omnes gentes per tot annos perpetuati hoc erroris mendacio seducti sint, & ad suos Annam, & Caypham huius erroris auctores descendant omnes, &c.

Isa. 59.

Mendaciũ apertum Pharisæorum, & custodum.

De

De operibus Christi in triduo.

QVattuor præcipuæ beneficia ad salutem nobis necessaria fuere, Videlicet, Beneficium sanguinis, Mortis, Inferni, & Resurrectionis. Quantum ad primum beneficium, sunt nonnulla consideratu digna. *Quattuor beneficia Christi nobis necessaria.*

Primo, an Christus totum sanguinem suum effuderit in morte, & Passione sua.

Secundo, an iterum totum sanguinem suum integre reassumpserit.

Tertio, an cum sanguine in terra vel in cruce sparso coniuncta fuerit natura diuina.

Quarto, quid operatus est Christus per virtutem sanguinis sui.

Ad primum dicendum est, Christum effudisse totum sanguinem suum in morte, & passione sua. Patet per figuram Agni Paschalis à quo totus sanguis extrahebatur. Mandauerat insuper Deus Iudæos, nec sanguinem, nec cum sanguine comedere posse, sed totum sanguinem ab animalibus extrahi in figuram sanguinis Christi, quem totum effundere debebat. Quare adueniente figurato desinit figura. Omnia enim in figura (teste Apostolo) contingebant eis. *Responsio ad primum dubium.* *Leuit. 17.* *1. Cor. 10.*

Ad secundum fatendum est corpus Christi in sepulchro clausum sanguinem proprium, & necessarium virtute diuina reassumpsisse. Quia quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum fuit in corpore Christi resurgẽtis. Manifestum est autem, quòd ad naturam corporis humani pertinent carnes, ossa, & sanguis, & alia id genus. Ideo omnia ista in corpore Christi resurgentis fuisse, operæprecium est. Non est tamen putandum Christum totum sanguinem quem prius habuit reassumpsisse, quoniam corpus gloriosum non indiget tanto sanguine, sicut mortale, & corruptibile corpus, in quo continuo fit noua sanguinis generatio mutatio & alteratio. Quare ibi semper sanguis superfluus extat. Secus de corpore glorioso, in quo nulla fit alteratio. Cum ergo Christus ante passionem comederit, & *Ad secundum.*

biberit,

biberit, nihil prohibet in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem humanæ naturæ minime congruit. Eum igitur assumere, non fuit necesse. Tum quia superfluus erat, tum quia, vt liquet crux, & terra suo sanguine madefacta remansit. Pariter & claui intincti sanguine cum spinea corona, quem non assumpsisse constat. Tum quia in plerisque solemnissimis locis ostenditur verus Christi sanguis.

Ad tertiũ. Ad tertium, absque vlla mentis ambiguitate asserendum est cum sanguine sparso non remansisse diuinitatem coniunctam. Licet enim anima Christi, & caro nunquam fuerint à diuinitate seiunctæ, sanguis tamen separatus à corpore, ex consequenti erat à diuinitate seiunctus, cuius ratio est. Nam equidem bene dicitur, Christus descendit ad Inferos, quia anima diuinitati cõiuncta descendit. Pari ratione, Christus sepultus est, quia corpus nunquam à diuinitate seiunctum iacuit in sepulchro. Et hæc sunt principales homines partes. Nõ dicitur tamen filius Dei, vel Christus effusus est super terram, quòd recte diceretur si sanguis sparsus coniunctus esset naturæ diuinæ.

Ad quartũ Ad quartum dicitur, quòd Christus suo preciosissimo sanguine, quattuor operatus est. Primo, culpam criminis originalis, & actualis pulcherrime abluit, nosq. ab omni crimine redemit, iuxta illud Petri. *1. Pet. 1* Scientes, quòd non corruptibilibus auro, & argento redempti estis, sed precioso sanguine quasi Agni imaculati Christi. *1. Ioan. 1.* Rursus, Ioãnes in Epistola Canonica. Sanguis enim Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Et in Apocalypsi. *Apoc. 1.* Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. *Heb. 9* Apostolus quoque: Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, &c. Et subdit: Neque per sanguinem hircorum, aut taurorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Et concludit. Si enim sanguis hircorum, & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit

imma

immaculatum Deo, emundauit, conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Secundo, sanguis Christi non tantum culpam lauit, sed & pœnam criminis originalis. Quæ quidem pœna erat perpetuum exilium à cœlo, continuaque separatio ab æterna felicitate. Nẽpe Patres in Lymbo in perpetuis tenebris morabantur, nec poterant Deo frui. Christus autem merito preciosissimi sanguinis sui liberauit Patres à carceribus Inferni, dicente Zacharia. Tu quoque in sanguine testamenti tui, eduxisti vinctos de lacu in quo non erat aqua. Tertio, sanguis Christi reconciliauit nos Deo patri, quemadmodum Apostolus testatur. Per eum reconciliauit omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Et quemadmodum sanguis Abel vindictam clamat ad Dominum de terra, ita ex opposito sanguis Christi pacem, & reconciliationem expostulat incessanter. De latere igitur Christi exiuit sanguis, & aqua, quæ fuerunt sacramenta, quibus consecramur Deo in recõciliationem, & pacem. Et si contra Iudæos vindictam clamat eo, quòd petierunt Christum crucifigi, dicentes, Sanguis eius super nos, & super filios nostros, ita vicissim super fideles, pacem, amorem, & gratiam exclamat. Quarto, sanguis Christi omnibus fidelibus morientibus propter eum, non tantum adimit pœnam, & culpam æternam, quinimò & omnem temporalem pœnã, vt statim ad cœlum ascendant, de quibus Ioannes in Apocalypsi. Hi sunt qui venerunt ex mãgna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine Agni, & sequuntur Agnum, &c.

Zac. 9. *Coloss. 1.* *Sãguis Xpi emũdat culpam, & pœnam, reconciliatq;.* *Apoc. 7.*

Ex his omnibus liquide constat, cur Deus præcepit filijs Israël non comedere sanguinem, neque cum sanguine, & cominatur comedentibus cum sanguine. Sanguinem quoque comedens populus faticatus peccat contra Deum. Cuius rei causam assignat Dominus, dicens: Quoniam anima omnis carnis in sanguine est, & spiritus in sicco habitare non potest. Accipitur enim anima pro vita sæpissime in Scripturis.

Leuit. 17. 1. Reg. 1[illegible] 3. Reg. 1[illegible]

Helyas

Helyas enim petiuit animæ suæ, id est vitæ suæ vt moreretur, Et quid est dicere anima omnis carnis in sanguine est, nisi vita omnis carnis humanæ acquisita, & redempta est per sanguinem Christi. Sanguis enim qui extrahebatur ab animalibus brutis (vt alias dictum est) sanguinem Christi quia ex corpore suo extrahi, debebat, pulcherrime figurabant. Rursus. Postquam Deus præcepit Iudæis ne comederent sanguinem, sicut etiam

Deut. 12. 15. Deutoronomij narrat historia) subdit. Sanguis enim eorum pro anima est, Et quo anima, nisi pro redemptione animæ? Idcirco non debes, inquit dominus, animam comedere, id est sumere redemptionem animæ cum carnibus, sed super terram effundes quasi aquam, in figuram sanguinis Christi qui totus debebat effundi super terram. Et bene tibi erit, & filijs tuis, scilicet electis in remissionem peccatorum.

Iudæi præterea (vt scire contingit) sanguine vtebantur ad quattuor.

Primo, ad confirmandum testamentum Dei, quod

Sanguine vtebantur Iudæi ad quattuor. Exod. 24. sanguine confirmatũ est. Iuramentũ quoque ad legem obseruandam. Assumens nanque Moyses (vt Exodi pandit historia) volumen fœderit legit audiente populo, qui dixerunt. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Illæ vero sumptum sanguinem respersit in populum, & ait. Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.

Leuit. 1. Secundo, ad sanctificandum. Nã tabernaculum Moysi, Aaron sacerdos ac ceteri sacerdotes vasa, Templum, vestes, ornamenta, & cetera alia erant sanguine sanctificata.

Tertio, ad emundationem carnis. Siquis enim in lege tangebat mortuum, polluebatur, sed postea aspersione sanguininis mundabatur. Tertio ad peccata expianda:

Leuit. 4. 17. Quarto, ad sacrificandum, & ad sacrificium offerendum in remissionem peccatorum, vt liquet in Leuitici libro. Ita Christus hæc omnia operatus est in sanguine suo.

suo. Confirmauit enim testamentum suum morte, & sanguine. Quid enim est testamentum, nisi dispositio omnium bonorum temporalium, & spiritualium confirmata per vltimam testatoris voluntatem, quæ quidem dispositio non sortitur effectum, nisi post mortem testatoris.

Exempli causa. Rex quidam habens filium contumacem, & inobedientem, præcipit eum in exilium duci, deinde condit testamentum, & disponit omnia bona sua, in quo statuit, & voluit, vt post mortem suam filius reuertatur ad Regnum cui etiam reliquit omnia bona sua. Hæc enim bonorum dispositio à Rege facta dicitur testamentum Regis, quod non sortitur effectum, nisi post mortem testatoris. Ita Deus omnipotens tempore Prophetarum disposuit nobis omnia bona sua, tanquam pientissimus Pater, & promisit in propria persona nos visitare, quemadmodum per Ezechielem ait. Ecce ego visitabo vos, sicut pastor visitat gregẽ suum. Item, Redimere nos à peccatis, iuxta illud Dauidis. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius. Rursus, Exaltare Regnum Dauid spirituale, de ipso carnem assumendo, & aperire Regnum cęlorũ, ipso ad Dauidem dicente. Cumq. completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, &c. Quamobrem nato præcursore Christi, Zacharias exclamauit dicens. Benedictus dominus Deus Israël, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Talis autem dispositio Dei patris, dicta est testamentum vetus, propter temporis diuturnitatem, quæ nunquam habuit effectum, nisi post mortem testatoris Christi filij Dei. Ipse enim in vltima cœna confirmauit testamentum suum cuius confirmatio dicta est nouum testamentum. Et quemadmodum prima dispositio fuit per sanguinem approbata, ita & secunda. Ideo tam vetus, quàm nouum testamentum

Quid testamentum.

Testamentum Dei.

Ezec. 34.
2. Reg. 7.

Christus sanguine confirmauit testamentum suum.

fuit ſanguine confirmatum. Itaque Chriſtus accipiens calicem dixit. Hic eſt calix ſanguinis mei noui, & æterni Teſtamenti, &c. Et hoc eſt, quod ait Apoſtolus, Chri

Heb. 9. ſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius Tabernaculum non manufa-ctum, &c. Et ſubdit: Ideo noui Teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis. Vbi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt: Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Lecto enim omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo. Accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & yſſopo, ipſumque librum, & omnem populum aſperſit, dicens. Hic ſanguis teſtamenti quod mandauit ad vos Deus, & a tabernacula, & omnia vaſa myſterij ſanguine ſimiliter aſperſit. Et omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur, & ſine ſanguinis effuſione, non fit remiſſio, &c.

De ſecundo beneficio. Secundum beneficium nobis neceſſarium ad ſalutem quod operatus eſt Chriſtus in triduo, fuit beneficium mortis. Ipſæ enim veræ ſecundùm carnem interijt, ipſiusque morte mortem mortificauit, & nobis contulit vitam, quemadmodum per Oſeam teſtatur.

Oſea 13. Ero mors tua, ò mors. Et equidem rationabiliter factum eſt, quoniam lex mandat vt ſi quiſpiam alterum iniuſtè occiderit, ipſæ mereatur occidi. Mors autem iniuſtè Chriſtum occidit, ideo iuſtè occidi meruit ab ipſo. Noſtra igitur à corpore animæ ſeparatio non amplius dicitur mors, ſed quædam in Chriſto dormitio, vſque ad extremum iudicium propter ſpem fu-

1. Cor. 15. turæ reſurrectionis, dicente Apoſtolo. Chriſtus reſurrexit a mortuis, primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes mo-

riun-

riuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Nec nos latet mortem in diuinis Scripturis dormitionem appellari, iuxta illud Apostoli: Nolumus vos igno- *Thess. 4.* rare de dormientibus, &c. Dixit quoque Christus in Euangelio Ioannis. Lazarus frater noster dormit. *Ioan. 11.* Et in Euangelio Matthæi. Non est (inquit) mortua *Matth. 8.* puella, sed dormit. Deinde præstitit nobis vitam. Ego *Ioan. 10.* enim veni (inquit Christus) vt vitam habeant, & abundantius habeant. Rursus: Ego sum via, veritas, & vita: Qui credit in me non morietur in æternum, sed habebit vitam æternam.

Tertium fuit beneficium Inferni. *De tertio beneficio.* Si quidem anima Christi statim postquam fuit à corpore separata descendit ad Inferna cum innumerabili Angelorum consortio, quemadmodum diuinarum Scripturarum, quamplura testimonia testantur. Dicit enim Apostolus: Qui ascendit in cœlum, quis est, nisi qui & descendit primum ad inferiores partes terræ? Qui enim *Eph. 4.* descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Petrus insuper ait: Viri Israëlitæ *Act. 2.* audite verba hæc Iesum Nazaræum virum approbatum à Deo in virtutibus & prodigijs, sicut vos scitis. Hunc diffinito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis. Quem Deus suscitauit a mortuis solutis prius Inferni doloribus, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid quoque loquens in persona eius, ita inquit. Quoniam non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ideo Damascenus. Descendit ad Infernum anima *Damasc.* deificata, vt quemadmodum his, qui in terra sunt, ortus est Sol iustitiæ: ita his, qui sub terra sunt in tenebris, & in vmbra mortis superlucesceret. Rursus, Iob in persona Christi. In profundum Infernum de- *Iob 13.* scendit anima mea. Et iterum Dauid de Christo loquens ait: Portas æreas, & vectes ferreos confringet. Et tandem Christus per sapientissimum Salomonem. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illu- *Eccl. 24.*

minabo omnes ſperantes in me. Si igitur Chriſtus penetrauit omnes inferiores partes terræ, ipſum ad locum damnatorum deſcendiſſe operæprecium eſt, in quo tria præcipuæ mala reperiuntur. Videlicet, carentia gratiæ, priuatio gloriæ, & præſentia ſenſibilis pœnæ, ſcilicet, ignis, Deſcendit quippe ad maiorem eorum pœnam, vt eos increparet, qui in ipſum credere noluerunt. Et ſi crediderunt, factis, & operibus malis eum negauerunt. Rurſus: Si Chriſtus omnes inferiores partes terræ penetrauit, igitur ad Lymbum puerorum deſcendit, ſine circunciſione, vel baptiſmate cum culpa originali decedentium. In quo Lymbo non eſt tantum priuatio gratiæ, & gloriæ, ſed & perpetua carentia pœnæ ſenſibilis ignis, licet aliqui ſine ratione oppoſitum aſſerere videantur. Nos autem non ſine rationabili cauſa loquimur. Nulli enim pœna infligitur æterna ob peccata ſuorum parentum, ſed propter ſcelera propria, dicente Domino per prophetam Ezechielem. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij. Sed iuſtitia iuſti ſuper eum, & impietas impij ſuper eum. Qui nõ niſi de pœna æterna loqui poteſt. Ipſi autem pueri minime peccare potuerunt, ideo eos pati pęnam ignis conueniens non eſt. Quos tamen Chriſtus non liberauit, nec ſecum duxit in cœlum, quia non erant membra eius. Efficimur enim membra Chriſti per fidem, & baptiſmũ. Præterea, ſi Chriſtus penetrauit omnes inferiores partes terrę, ideo ad Purgatorium deſcendit, in quo eſt carentia glorię, ſed nõ gratię cum pęna ſenſibilis ignis. Omnes quoque illos à pœnis liberaſſe, pro illa vice tantum, pie fatendum eſt: quorum crimina quo ad culpam, & pœnam Chriſtus ſuo ſanguine lauit, cum eſſent membra eius. Denique. Si Chriſtus omnes inferiores partes terræ penetrauit, igitur ſubterraneum Lymbum penetraſſe, conſequens eſt, in quo Antechriſti deſcenſum erat carentia diuinæ viſionis, & pœnæ ſenſibilis ignis, non tamen gratiæ. Sinus enim Abrahę, & Lymbus Sanctorum merito dicebatur, eo ꝙ patres vſque

Pueri non patiuntur pœnã ignis. Eze. 18.

Quomodo Chriſtus penetrauit omnia loca Inferni.

vsque ad Christi aduentum tantum ibi detinebantur.

Nota insuper, quòd hæc tria, scilicet Gratia, Gloria, & Pœna omnibus animabus inexistere possunt, ex quibus sex combinationes, seu comparationes efficiuntur. Quarum prima tantum inutilis est. Videlicet, aliquas animas gratiam, gloriam, & pœnam simul habere posse, propter contrariorum repugnantiam. Aliquæ tamen animæ omni sensibili pœna carentes, simul in gratia extant, & gloria, scilicet, in cœlo. Nonnullæ autem animæ omni gratia, & gloria carentes, in pœnis cruciantur æternis, videlicet, in Inferno. Aliæ vero omni gratia gloria, & pœna perpetuo carent, vt pueri in Lymbo. Aliqua etiam, & licet gloriosa Dei visione careant, habent tamen gratiam simul, & pœnam sensibilis ignis, scilicet in Purgatorio. Aliæ insuper omni pœna simul, & gloria carentes, non sine auxilio diuinæ gratiæ morabantur in Lymbo. Igitur propter huiusmodi comparationes fuisse quattuor loca ante Christi aduentum, ad quæ Christo descēdere placuit. Et alium locum in cœlo, quem post Resureectionem petijt operæprecium est &c.

Ex gratia gloria, & pæna sex comparationes eliciuntur.

Condecens quidem fuit Christum statim post mortem, visitare Patres in Lymbo. Nam lex naturalis amicitiæ exigit, vt amicus visitet amicum existentem in pœnis, & liberet eum ab ijs, à quibus se liberare non potest. Amicorum enim præsentia summoperæ delectabilis est. Constat autem optimos illos Patres existentes in Lymbo, præcipuos Christi fuisse amicos, cuius aduentum maximoperæ præstolabantur. In cuius etiam fidem mortui sunt, & vicissim Christum eos dilexisse valde. Igitur data temporis opportunitate decuit filium Dei eos quos sanctos esse nouerat, & amicos visitare, & à caligine tenebrarum liberare. Rursus. Cum quispiam pro aliquo debito retinetur in carcerem, soluto precio, mox eum liberum esse oportet. At patres pro debito primi peccati in carcerem detinebantur. Christus autem non corruptibilibus auro & argento, sed precio magno sanguinis sui eos redemit.

Rō triplex cur Christus liberauit patres.

Secunda ratio.

Igitur

Tertia ratio. Igitur soluto precio, & oblata sacratissima hostia Deo accepta, liberari merebantur. Præterea, ait Christus in Euangelio: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens vicerit illum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. *Luc. 11.* Christus vero fortior diabolo multoties vicit eum, quem de corporibus humanis eiecit, necnon & de templorum oraculis, sicut scriptum est. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras. *Ioan. 12* Ideo patres qui à diabolo in carceribus, iniuste detinebantur eos per Christum statim consecuta victoria, liberari oportuit.

Descendit ergo Christus primo ad Lymbum sanctorum Patrum, in quo quattuor efficere voluit.

Primo, eos illuminauit expulsa caligine tenebrarũ. Nam quemadmodum adueniente lumine Solis tenebræ fugantur, sic adueniente anima Christi in Lymbo, Infernus, fugatis tenebris, illustratur. Ideo clamat Isaias: *Isa. 9.* Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, ambulantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Quod quidem vaticinium licet de Gentilibus præcipuæ verificetur, de his etiam patribus non inconuenit verificari.

Secũdo, eos beatifice glorificauit per mirificam Dei visionem, & fruitionem. Et non minorem gloriam adepti sunt, quam nunc possideant in cœlo. Et si quispiam dicat, quomodo illi patres effecti sunt beati, cum adhuc quadraginta diebus morabantur in Inferno? Respondendum est, Infernum accipi pro ipso peccato mortali, à quo si quis liberatur, ab Inferno dicitur liberari, dicente Psalmista: Misericordia tua magna est super me, quoniam eruisti animam meam ex Inferno, scilicet, peccati. Aliquando Infernus accipitur ratione supplicij, damnationis æternæ: de qua nulla redemptio extat. *Quattuor operatus est Christus in lymbo.* Et ita dæmones existentes in isto aëre caliginoso, propter internum supplicium, in Inferno morari dicuntur. Id enim liquet de febricitante, qui si in lectis

pona

ponatur eburneis (vt inquit Hieronymus) feruorem tamen, aut frigus multi laboris nequit euitare. Sic dæmones, & si in templis, vel idolis aureis colantur, igne tamen gehennali semper ardent, à quo minime separari possunt. Ita pari ratione dicendum est de Sanctis, & Angelis Dei, qui si nobiscum immorarentur, non minus gaudijs lætarentur æternis. Nonnunquam accipitur Infernus ratione loci. Licet igitur optimi illi Patres, statim non fuerint de loco tenebrarum liberati, sed post quadraginta dies cum Christo possederint sydereas mansiones, tunc temporis tamen Deo beatifice fruebantur. *Hieron.* *Triplex Infernus.*

Tertio, Christus Sathanam alligauit, seu Luciferum, non ferrea cathena, sed auferendo ab eo dominium, & potestatem, quam in omnibus hominibus exercebat. Ideo Ioannes in Apocalypsi: Vidi, inquit, Angelum, id est Christum, descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & cathenam magnam, id est potestatem in manu sua, & apprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, vel Sathanas, & alligauit eum per annos mille, id est, usque ad tempus Antechristi, & misit eum in abyssum, & clausit, id est nocendi potestatem limitauit, & signauit super illum, scilicet, signaculo sanctissimæ Crucis, vt non seducat amplius gentes, id est electos in diuersis gentibus dispersos, donec consumentur mille anni, hoc est vniuersum tempus à passione Christi, vsque ad aduentum Antechristi. *Apoc. 20.*

Quarto, postquam sacratissima anima Christi ingressa est Lymbum, vt quartum perficeret opus, multis animabus ibidem existentibus, tanquam verus Deus & homo præcepit, vt proprijs corporibus coniungerentur, & ita in die Resurrectionis suæ, cum ipso resurgerent resurrectione perfecta. Et id factum est, dicente Euangelista Matthæo. Multa corpora sanctorum qui dormierant, resurrexerunt, & exeuntes de monumentis post Resurrectionem eius, venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis. Ecce quomodo Christus Infernum expoliauit, & Lymbum prædatus est. *Matt. 27.*

Isa.8. est. Ideo non miremur si Spiritus sanctus loquens de
Osea.13. Christo dixit ad Isaiam. Voca nomen eius accelera,
spolia detrahe, festina prædari. Et per Oseam prophe-
Vaticiniũ tam. Ero mors tua ò mors morsus tuus ero Inferne.
Dauidis Quamobrem Regius Propheta, videns in spiritu, qua-
pulchrum. liter Christus erat in Infernum descensurus vt portas
æreas crumperet, & vectes ferreos confrigeret, Limbumque spoliaret, captiuitatem quoque Sanctorum liberaret, vt cum eis in cœlum ascendens ad dexteram Patris resideret in æternum, ita contra dæmones exclamauit. O Principes Inferni attollite portas Infernales, aperite eas, idest, potestates vestras abijcite. O portæ æternales. s. æternarum pœnarum eleuamini, locum date triumphatori, & introibit Christus Rex gloriæ, cum venerit ad expoliandum Infernum. His autem dicentibus. Quis est iste Rex gloriȩ? Respondent Angeli ministri, & comites Christi, dicentes. Iste Rex gloriæ Christus est, Dominus fortis, & potens, in operæ, & sermone coràm Deo, & omni populo. In potentia miraculorum, & Dominus potens in prœlio, quia vicit Principem Tenebrarum in ara crucis. Proprio quoque sanguine mercatus est genus humanũ, & satisfeci pro peccato primorum parentum, & posteriorum suorum, pacificans omnia per sanguinem suum, quæ in cœlis, & quæ in terris sunt. Ideo tanquam victor, & triumphator venit ad repetẽdam hæreditatem sibi debitam, quá tirannicæ diu tenuistis. Attollite igitur portas, quia ipsi data est vniuersalis potestas in cœlo, in terra, & in Inferno. Itaque non venit ad vos tanquam reus, sed tanquam iudex, iustus, & triumphator.

Quartum beneficium, quod exhibuit Christus nobis præcipuæ necessarium, fuit beneficium Resurrectionis, de quo in sequenti libro dicturi sumus.

F I N I S.


28
17

E. XL. VERRATI


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm